B-337

TERTIVS TOMVS

# OPERVM VENERABILIS Bedæ, hiſtorica, uitas aliquot Sanctorum, ac collectanea quædam cõplectens, quorum catalogum uerſa pagina docet.

BIBLIOTECA HOSPITAL REAL
GRANADA
Sala:
Estante:
Numero:

1622652

BASILEAE, M. D. LXIII

BIBLIOTECA UNIVERSITARIA GRANADA

B-337
A. 16213

TERTIVS TOMVS

# OPERVM VENERABILIS Bedæ, hiſtorica, uitas aliquot Sanctorum, ac collectanea quædam cõplectens, quorum catalogum uerſa pagina docet.

Biblioteca Universitaria GRANADA

BIBLIOTECA HOSPITAL REAL GRANADA
Sala: A
Estante: 45
Numero: 2

C 16226525

BASILEAE, M. D. LXIII

BIBLIOTECA UNIVERSITARIA GRANADA

# TERTII TOMI

## ELENCHVS.


| | | |
|---|---|---|
| | Gentis Anglorū Eccleſiaſtica hiſtoria, Lib. v. Pagina | 2 |
| | Epitome eiuſdem Hiſtoriæ | 203 |
| Vita | Diui Cuthberti | 210 |
| | Diui Felicis | 256 |
| | Diui Vedaſti | 263 |
| | Diui Columbani | 275 |
| | Diui Attalæ | 306 |
| | Diui Patritij, Libri II. | 311 |
| | Diui Euſtaſij | 335 |
| | Diui Bertolfi | 342 |
| | Diui Arnolfi | 349 |
| | Diuæ Burgundoforæ | 356 |
| | Iuſtini martyrium, carmine | 367 |
| | Martyrologium | 380 |
| | De ſitu urbis Hieruſalem | 487 |
| | Interpretatio nominum Hebraicorum & Græcorum in ſacris Biblijs | 498 |
| | Excerptiones & Collectanea quædam. | 647 |


# GLORIOSISSIMO REgi Ceoluulpho, Beda famulus Chriſti & presbyter.

HISTORIAM *Gentis Anglorum Eccleſiaſticam, quam nuper ædideram, libentiſſimè tibi deſideranti Rex, & prius ad legendum ac probandum tranſmiſi, & nunc ad tranſcribendum ac plenius ex tempore meditandum retranſmitto: ſatiſq́; ſtudiū tuæ ſynceritatis amplector, quo non ſolum audiendis ſcripturæ ſacræ uerbis aurem ſedulus accommodas, uerumetiam noſcendis priorum geſtis ſiue dictis, & maximè noſtræ gentis, uirorum illuſtrium curam uigilanter impendis. Siue enim hiſtoria de bonis bona referat, ad imitandum bonum auditor ſolicitus inſtigatur: ſeu mala commemoret de prauis, nihilominus religioſus ac pius auditor ſiue Lector, uitando quod noxium eſt ac peruerſum, ſolertius ad exequenda ea quæ bona ac Deo digna eſſe cognouerit, accenditur. Quod ipſum tu quoq; uigilantiſſimè deprehendens, hiſtoriam memoratam in notitiam tibi, ſimul & eis quibus te regendis diuina præfecit authoritas, ob generalis curam ſalutis latius propagari deſideras. Vt autem in his quæ ſcripſi uel tibi magnanime Rex, uel cæteris auditoribus ſiue Lectoribus huius hiſtoriæ occaſionem dubitandi ſubtraham, quibus hæc maximè authoribus didicerim, breuiter intimare curabo. Author ante omnes atque adiutor* Opuſculi *huius Albinus abbas reuerendiſſimus, uir per omnia doctiſſimus extitit: qui in eccleſia* Cantuariorum *à beatæ memoriæ Theodoro archiepiſcopo, & Hadriano abbate uiris uenerabilibus atque eruditiſſimis inſtitutus, diligenter omnia quæ in ipſa* Cantuariorum *prouincia, uel etiam in contiguis eiuſdem regionibus à diſcipulis beati Papæ Gregorij geſta fuere, uel monimentis literarum uel ſeniorum traditione cognouerat, ea mihi de his quæ memoria digna uidebantur per religioſum Londinenſis eccleſiæ preſbyterum Nothelmum, ſiue literis mandata, ſiue ipſius Nothelmi uiua uoce referenda, tranſmiſit. Qui uidelicet Nothelmus poſtea Romam ueniens, nonnullas ibi beati* Gregorij *papæ ſimul & aliorum pontificum epiſtolas, perſcrutato eiuſdem ſanctæ eccleſiæ Romanæ ſcrinio, permiſſu eius qui nunc ipſi eccleſiæ præeſt,* Gregorij *pontificis, inuenit: reuerſusq́; nobis noſtræ hiſtoriæ inſerendas cum conſilio præfati Albini reuerendiſſimi patris attulit. A principio itaque uoluminis huius uſque ad tempus quo gens Anglorum fidem* Chriſti *percepit, ex priorum maximè ſcriptis hincinde collectis ea quæ promemus, didicimus. Exinde autem uſque ad tempora præſentia, quæ in eccleſia* Cantuariorum *per diſcipulos beati* Gregorij *Papæ, ſiue ſucceſſores eorum, uel ſub quibus regibus geſta ſint, memorati abbatis Albini induſtria, Nothelmo ut diximus perferente, cognouimus. Qui etiam prouinciæ* Orientalium *Saxonum ſimul &* Occidentalium, *necnon &* Orientalium *Anglorum atque Nordan Humbrorum, à quibus præſulibus, uel quorum tempore regū gratiam Euangelij perceperint, nonnulla mihi ex parte prodiderunt. Denique hortatu præcipuè ipſius Albini, ut hoc* Opus *aggredi auderem, prouocatus ſum. Daniel quoque reuerendiſſimus* Occidentalium Saxonum *epiſcopus, qui nunc uſque ſupereſt, nonnulla mihi de Hiſtoria Eccleſiaſtica prouinciæ ipſius, ſimul & proxima illi Auſtralium Saxonum, necnon & Vectæ inſulæ literis mandata declarauit. Qualiter uerò per miniſterium* Ceddi *&* Ceadda *religioſorū* Chriſti *ſacerdotum, uel prouincia Merciorum ad fidem* Chriſti *quam non nouerat, peruenerit, uel prouincia* Orientalium *Saxonum fidem quam olim exufflauerat, recuperauerit, qualis etiam ipſorum patrum uita uel obitus extiterit, diligenter à fratribus monaſterij, quod ab ipſis conditum Læſtingen cognominatur, agnouimus. Porrò in prouincia* Orientalium *Anglorum, quæ fuerint geſta Eccleſiaſtica, partim ex ſcriptis, uel traditione priorum, partim reuerendiſſimi abbatis Eſij relatione cōperimus. At uerò in prouincia Lindiſſig, quæ ſint geſta erga fidem* Chri-

*ſti, quæ uel ſucceſſio ſacerdotalis extiterit, uel literis reuerendiſſimi antiſtitis Cyneberthi, uel aliorum fidelium uirorum uiua uoce didicimus. Ad hæc quæ in Nordan Humbrorum prouincia, ex quo tempore fidem Chriſti perceperunt uſque ad præſens, per diuerſas regiones in eccleſia ſint acta, non unoquolibet auctore, ſed fideli innumerorum teſtium, qui hæc ſcire uel meminiſſe potuerunt, aſſertione cognoui, exceptis his quæ per meipſum noſſe poteram. Inter quæ notandum, quod ea quæ de ſanctiſſimo patre noſtro, & antiſtite Cudberto, uel in hoc uolumine, uel in libello geſtorum ipſius conſcripſi, partim ex eis quæ de illo prius à fratribus Lindisfarnenſis eccleſiæ ſcripta reperi, aſſumpſi, ſimpliciter fidem hiſtoriæ quam legebam, accommodans: partim uero ea quæ certiſſima fidelium uirorum atteſtatione per meipſum cognoſcere potui, ſolerter adijcere curaui. Lectoremq; ſuppliciter obſecro, ut ſi qua in his quæ ſcripſimus, aliter quàm ſe ueritas habet, poſita repererit, non hoc nobis imputet, qui (quæ uera lex hiſtoriæ eſt) ſimpliciter ea quæ fama uulgante collegimus, ad inſtructionem poſteritatis literis mandare ſtuduimus.*

## BEDA AD LECTOREM.

OMNES ad quos hæc Hiſtoria peruenire poterit noſtræ nationis legentes ſiue audientes, ſuppliciter precor, ut pro meis infirmitatibus & mentis & corporis, apud ſupernam clementiam ſæpius interuenire meminerint: & in ſuis quiſque prouincijs hanc mihi ſuæ remunerationis uicem rependant, ut qui de ſingulis prouincijs ſiue locis ſublimioribus, quæ memoratu digna, atque incolis grata crediderim, diligenter adnotare curaui, apud omnes fructum piæ interceſsionis inueniã. Vale.

Eccleſiaſticæ



# Eccleſiaſticæ Hiſtoriæ gentis Anglorum,

## LIBER I.

*De ſitu Britanniæ uel Hyberniæ, & priſcis earum incolis. Caput I.*

BRITANNIA Oceani inſula, cui quondã Albion nomen fuit, inter Septentrionẽ & Occidentem locata eſt, Germaniæ, Galliæ, Hiſpaniæ, maximis Europæ partibus multo interuallo aduerſa. Quæ per milia paſſuum octingenta in Boream longa, latitudinis habet milia ducẽta, exceptis duntaxat prolixioribus diuerſorum promontoriorũ tractibus, quibus efficitur, ut circuitus eius quadragies octies ſeptuaginta quinq; milia compleat. Habet à meridie Galliam belgicam, cuius proximum littus tranſmeantibus aperit ciuitas, quæ dicitur Ruthubi portus, qui portus à gente Anglorum nunc corruptè Reptaceſtir uocata, interpoſito mari à Geſſoriaco Morinorũ gentis littore proximo traiectu, miliarium quinquaginta, ſiue, ut quidam ſcripſere, ſtadiorum quadringentorum quinquaginta: à tergo autem, unde Oceano infinito patet, Orcadas inſulas habet. Optima frugibus atq; arboribus inſula, & alendis apta pecoribus ac iumentis. Vineas etiam quibuſdam in locis germinans: ſed & auium ferax terra mariq; generis diuerſi, fluuijs quoq; multum piſcoſis, ac fontibus præclara copioſis. Et quidẽ præcipuè iſicio abundat & anguilla. Capiuntur autem ſæpiſsimè & uituli marini, & delphines, necnon & balænæ. Exceptis autem uariorum generibus conchiliorum: in quibus ſunt & muſculæ, quibus incluſam ſæpe margaritã omnis quidem coloris optimam inueniunt: id eſt, & rubicundi & purpurei, & hyacinthini & praſini, ſed maximè candidi. Sunt & cochleæ ſatis ſuperq; abundantes, quibus tinctura coccinei coloris conficitur. Cuius rubor pulcherrimus nullo unquã ſolis ardore, nulla ualet pluuiarũ iniuria palleſcere: ſed quo uetuſtior, eo ſolet eſſe uenuſtior. Habet fontes ſalinarum, habet & fontes calidos, & ex eis fluuios balnearum calidarum, omni ætati & ſexui per diſtincta loca iuxta ſuum cuiq; modum accommodos. Aqua enim (ut ſanctus Baſilius dicit) feruidam qualitatem recipit, quum per certa quædam metalla tranſcurrit, & fit non ſolũ calida, ſed & ardens. Quæ etiam uenis metallorum æris, ferri, plumbi, & argenti fœcunda: gignit & lapidem gagatem plurimum optimumq;. Eſt autẽ nigrogemmeus, & ardens igni admotus, incenſus ſerpentes fugat: attritu calefactus adplicita detinet æquè ut ſuccinum. Erat & uiginti & octo ciuitatibus quondam nobiliſsimis inſignita, præter caſtella innumera, quę & ipſa muris, turribus, portis ac ſeris erant inſtructa firmiſsimis. Et quia propè ſub ipſo ſeptentrionali uertice mundi iacet, lucidas æſtate noctes habet, ita ut medio ſæpe tempore noctis in quæſtionẽ ueniat intuentibus, utrũ crepuſculum adhuc permaneat ueſpertinum, an iam aduenerit matutinum: utpote nocturno ſole non longè ſub terris ad orientem Boreales per plagas redeunte. Vnde etiã plurimę longitudinis habet dies æſtate, ſicut & noctes contrà in bruma, ſole nimirum tunc in Libycas partes ſecedente, id eſt, horarum decẽ & octo. Plurimæ item breuitatis noctes æſtate, & dies habet in bruma, hoc eſt, ſex ſolummodo æquinoctialium horarũ. Cùm in Armenia, Macedonia, Italia, cæteriſq; eiuſdem lineæ regionibus longiſsima dies ſiue nox quindecim, breuiſsima nouem compleat horas. Hæc in præſenti iuxta numerum librorum, quibus lex diuina ſcripta eſt, quinque gentium linguis unam eandemq; ſummæ ueritatis & ueræ ſublimitatis ſcientiam ſcrutatur & confitetur, Anglorum uidelicet, Britonum, Scottorum, Pictorum & Latinorum, quæ meditatione ſcripturarum cæteris omnibus eſt facta communis. In primis hæc inſula Britones ſolum, à quibus nomen accepit, incolas habuit, qui de tractu Armoricano (ut fertur) Britanniam aduecti, auſtrales ſibi partes illius uindicarunt. Et cum plurimam inſulę partem (incipientes ab auſtro) poſſediſſent, cõtigit gentem Pictorum de Scythia (ut perhibent) longis nauibus non multis Oceanum ingreſſam, circumagente flatu uentorum extra fines omnes Britanniæ Hyberniam perueniſſe, eiuſq; Septentrionales oras intraſſe, atq; inuenta ibi gente Scottorum ſibi quoque in partibus illius ſedes petiſſe, nec impetrare potuiſſe. Eſt autem Hybernia inſula omnium poſt Britanniam maxima, ad Occidentem quidem Britanniæ ſita: ſed ſicut contra Aquilonem ea breuior, ita in meridiem ſe trans illius fines plurimum protendens, uſque contra Hiſpaniæ Septentrionalia, quamuis magno æquore interiacente, peruenit. Ad hanc ergo uſque peruenientes nauigio Picti (ut diximus) petierunt in ea ſibi quoque ſedes & habitationem donari. Reſponderunt Scotti, quòd non ambos eos caperet inſula: ſed poſſumus (inquiunt) ſalubre uobis dare conſilium, quid agere ualeatis. Nouimus inſulam aliam eſſe non procul à noſtra, contra ortum ſolis, quam ſæpe lucidioribus diebus de longe aſpicere ſolemus. Hanc adire ſi uultis, habitabilem uobis facere ualeatis: uel ſi qui reſtiterint, nobis auxiliarijs utimini. Itaque petentes Britanniam Picti habitare per Septentrionales inſulæ partes cœperunt. Nam auſtrina Britones occupauerant. Cumque uxores Picti non habentes peterent à Scottis, ea ſolum conditione dare conſenſerunt, ut ubi res ueniret in dubium, magis de fœminea regum proſapia, quàm de maſculina regem ſibi eligerent: quod uſq; hodie apud Pictos conſtat eſſe ſeruatum. Procedente autem tempore Britannia poſt Britones & Pictos tertiam



 Scotto-

Scottorum nationem in Pictorum parte recepit: qui duce Reuda de Hybernia egreſsi, uel amicitia uel ferro ſibimet inter eos ſedes, quas hactenus habent, uindicarunt: à quo uidelicet duce uſq; hodie Dalreudini uocantur. nam lingua eorum dal partem ſignificat. Hybernia autem & latitudine ſui ſtatus & ſalubritate ac ſerenitate aërum multum Britanniæ præſtat, ita ut raró ibi nix plus quàm triduana remaneat: nemo propter hyemem aut fœna ſecet æſtate, aut ſtabula fabricet iumentis. Nullum ibi reptile uideri ſoleat, nullus uiuere ſerpens ualeat. Nam ſæpè illò de Britannia allati ſerpentes, mox ut proximante terris nauigio, odore aeris illius attacti fuerint, intereant: quin potius omnia penè, quæ de eadem inſula ſunt, contra uenenum ualent. Denique uidimus, quibuſdam à ſerpente percuſsis, raſa folia codicum, qui de Hybernia fuerunt, & ipſam raſuram aquæ immiſſam, ac potui datam, talibus protinus totam uim ueneni graſſantis, totum inflati corporis abſumpſiſſe ac ſedaſſe tumorẽ. Diues lactis ac mellis inſula, nec uinearum expers, piſcium uolucrumq;: ſed & ceruorum uenatu inſignis. Hęc autem propriè patria Scottorum eſt. Ab hac egreſsi (ut diximus) tertiam in Britannia Britonibus, & Pictis gentem addiderunt. Eſt autem ſinus maris permaximus, qui antiquitus gentem Britonum à Pictis ſecernebat: qui ab occidente in terras longo ſpacio erumpit, ubi eſt ciuitas Britonum munitiſsima uſque hodie, quæ uocatur Alcuith: ad cuius uidelicet ſinus partem ſeptentrionalem Scotti (quos diximus) aduenientes ſibi locum patriæ fecerunt.

*Vt Britanniam primus Romanorum Caius Iulius adierit. Caput II.*

VErùm eadem Britannia Romanis uſq; ad Caium Iulium Cæſarem inacceſſa atq; incognita fuit: qui anno ab urbe condita quingenteſimo nonageſimotertio, ante uerò incarnationis Dominicæ tempus anno ſexageſimo, functus gradu conſulatus cum Lucio Bibulo, dum cõtra Germanorum Gallorumq; gentes, qui Rheno tantum flumine dirimebantur, bellum gereret, uenit ad Morinos, unde in Britanniam proximus & breuiſsimus tranſitus eſt. Et nauib. circiter onerarijs atq; actuarijs octoginta præparatis in Britanniam tranſuehitur, ubi acerba primũ pugna fatigatus, deinde aduerſa tẽpeſtate correptus, plurimã claſsis partem, & non paruum numerum militum, equitum uerò penè omnem diſperdidit. Regreſſus in Galliam, legiones in hyberna dimiſit, ac ſexcẽtas naues utriuſque commodi fieri imperauit: quibus iterum in Britanniam tranſuectus, dum ipſe in hoſtem cum ingenti exercitu pergit, naues in anchoris ſtãtes, tempeſtate correptæ uel colliſæ inter ſe, uel harenis illiſæ ac diſſolutæ ſunt: ex quibus quadraginta perierunt, cæteræ cum magna difficultate reparatæ ſunt. Cæſaris equitatus primo cõgreſſu à Britãnis uictus, ibidem Labienus tribunus occiſus eſt. Secundo prælio cum magno ſuorum diſcrimine uictos Britannos in fugam uertit. Inde ad flumen Thameſim profectus eſt, quem uno tantum loco uadis tranſmeabilem ferunt. In huius ulteriore ripa, Caſſabellauno duce, immenſa hoſtium multitudo conſederat, ripamq; fluminis ac penè totum ſub aqua uadum acutiſsimis ſudibus præſtruxerat. Quarum ueſtigia ſudium ibidem uſque hodie uiſuntur, & uidetur inſpectantibus, quòd ſingulæ earum ad modum humani femoris groſſæ & circumfuſæ plumbo immobiliter hæreant, in profundum fluminis infixę. Quod ubi à Romanis deprehenſum ac uitatum eſt, Barbari legionum impetum non ferẽtes, ſyluis ſeſe abdidere, unde crebris eruptionibus Romanos grauiter ac ſæpè lacerabãt. Interea Trinobantum firmiſsima ciuitas, cum Androgorio duce, datis quadraginta obſidibus Cæſari ſeſe dedidit. Quod exemplum ſecutæ urbes aliæ complures, in fœdus Romanorum uenerũt, ijſdem demonſtrantibus, Cæſar oppidum Caſſibellaum inter duas paludes ſitum, obtentu inſuper ſyluarum munitum, omnibuſq; rebus cõfertiſsimum, tandem graui pugna cepit. Exin Cęſar à Britannis reuerſus in Galliam, poſtquã legiones in hyberna miſit, repẽtinis bellorum tumultibus undique circumuentus & conflictatus eſt.

*Vt eandem ſecundus Romanorum Claudius adiens, Orcadas etiam inſulas adiecerit Romano imperio. Sed & Veſpaſianus ab eo miſſus, Vectam quoq; inſulam Romanis ſubdiderit. Caput III.*

ANno autem ab urbe condita ſeptingenteſimo nonageſimo ſeptimo Claudius imperator ab Auguſto quartus, cupiens ſe utilem reipublicę oſtentare principem, bellum ubique & uictoriam undecunque quæſiuit. Itaque expeditionem in Britanniam mouit, quæ excitata in tumultum propter non redditos transfugas uidebatur. Tranſuectus in inſulam eſt, quam neque ante Iulium Cæſarem, neq; poſt eum quiſquam adire auſus fuerat, ibiq; ſine ullo prælio ac ſanguine intra paucíſsimos dies plurimam inſulæ partem in deditionem recepit. Orcadas etiam inſulas ultra Britanniam in Oceano poſitas, Romano adiecit imperio, ac ſexto quàm profectus erat menſe Romam redijt, filioq; ſuo Britannici nomen impoſuit. Hoc autem bellum quarto imperij ſui anno compleuit, qui eſt annus ab incarnatione Domini quadrageſimuſſextus: quo etiam anno fames grauiſsima per Syriam facta eſt, quæ in actibus Apoſtolorum per prophetam Agabum prædicta eſſe memoratur. Ab eodem Claudio Veſpaſianus, qui poſt Neronẽ imperauit, in Britãniã miſſus, etiã Vectã inſulã Britanniæ proximã à meridie Romanorũ ditioni ſubiugauit: quæ habet ab oriẽte in occaſum triginta circiter millia paſſuũ, ab auſtro in boreã duodecim, in Orientalibus ſuis





partibus mari ſex miliũ, in occidentalibus triũ à meridiano Britãniæ littore diſtans. Succedẽs aũt Claudio in imperium Nero, nil omnino in re militari auſus eſt. Vnde inter alia Romani regni detrimenta innumera Britanniam penè amiſit. Nam duo ſub eo nobiliſsima oppida illic capta atq; ſubuerſa ſunt.

*Vt Lucius Britannorum rex miſsis ad Eleutherium Papam literis, Chriſtianum ſe fieri petierit. Caput IIII.*

ANno ab incarnatione Domini, centeſimo quinquageſimo ſexto, Marcus Antonius Verus decimusquartus, ab Auguſto regnum cum Aurelio Commodo fratre ſuſcepit. Quorum temporibus cum Eleutherius uir ſanctus, pontificatui Romanæ eccleſiæ præeſſet, miſit ad eum Lucius Britannorũ rex epiſtolam, obſecrans ut per eius mandatum Chriſtianus efficeretur. Et mox effectum piæ poſtulationis conſecutus eſt, ſuſceptamq; fidem Britanni uſque in tempora Diocletiani principis inuiolatam integramq; quieta pace ſeruabant.

*Vt Seuerus receptam Britanniæ partem, uallo à cæteris diſtinxerit. Cap. V.*

ANno ab incarnatione Domini, centeſimo octageſimo nono, Seuerus genere Apher tripolitanus, ab oppido Lepti, decimus ſeptimus ab Auguſto imperium adeptus, decem & ſeptem annis tenuit. Hic natura ſæuus, multis ſemper bellis laceſsitus, fortiſsimè quidẽ rempublicam, ſed laborioſiſsimè rexit. Victor ergo ciuilium bellorum, quę ei grauiſsima occurrerunt, in Britanniam defectu penè omnium ſociorum trahitur, ubi magnis grauibuſq; pręlijs ſæpe geſtis, receptam partem inſulæ, à cæteris indomitis gentibus non muro (ut quidam æſtimant) ſed uallo diſtinguendam putauit. Murus etenim de lapidibus, uallum uerò (quoad repellendam uim hoſtium caſtra muniuntur) fit de ceſpitibus, quibus circumciſis è terra, uelut murus extruitur altus ſuper terram, ita ut in ante fiat foſſa, de qua leuati ſunt ceſpites, ſupra quam ſudes de lignis fortiſsimis præfiguntur. Itaq; Seuerus magnam foſſam firmiſsimumq; uallum, crebris inſuper turribus communitũ, à mari ad mare duxit: ibiq; apud Eboracum oppidũ morbo obijt, relinquens duos filios, Baſſianum & Getam: quorum Geta hoſtis publicus iudicatus interijt. Baſsianus uerò Antonini cognomine aſſumpto regno potitus eſt.

*De imperio Diocletiani, & ut Chriſtianos perſecutus ſit. Cap. VI.*

ANno incarnationis Dominicæ, ducenteſimo octageſimoſexto, Diocletianus triceſimus tertius, ab Auguſto imperator ab exercitu electus, annis uiginti fuit, Maximianumq; cognomento Herculium ſocium creauit imperij. Quorum tempore Carauſius quidam genere quidem infimus, ſed conſilio & manu promptus, cum ad obſeruanda Oceani littora (quæ tunc Franci & Saxones infeſtabant) poſitus, plus in perniciem quàm in prouentum reipublicę ageret, ereptam prædonibus prædam, nulla ex parte reſtituendo dominis, ſed ſibi ſoli uẽdicãdo, accendẽs ſuſpicionem, quia ipſos quoque hoſtes ad incurſandos fines artificij negligentia permitteret. Quamobrem à Maximiano iuſſus occidi purpuram ſumpſit, ac Britannias occupauit, quibus ſibi per ſeptem annos fortiſsimè uindicatis ac retentis, tandem fraude Allecti ſocij ſui interfectus eſt. Allectus uerò poſtea ereptam Carauſio inſulam per triennium tenuit, quem Aſclepiodotus præfectus prætorio oppreſsit, Britanniamq; poſt decem annos recepit. Interea Diocletianus in Oriente, Maximianus Herculius in Occidente uaſtari eccleſias, affligi, interficiq; Chriſtianos decimo poſt Neronem loco præceperunt, quæ perſecutio omnibus ferè anteactis diuturnior atq; immanior fuit. Nam per decem annos incendijs eccleſiarum, proſcriptionibus innocentũ, cædibus martyrum inceſſabiliter acta eſt. Denique etiam Britanniam cum plurima confeſsionis Deo deuotè gloria ſublimauit.

*Paſsio ſancti Albani & ſociorum eius, qui eo tempore pro Domino ſanguinem fuderunt. Cap. VII.*

SIquidem in ea paſſus eſt ſanctus Albanus, de quo presbyter Fortunatus in laude uirginum, cum beatorum martyrum, qui de toto orbe ad Dominum uenirent, mentionem faceret, ait: Albanum egregium fœcunda Britannia profert. Qui uidelicet Albanus Paganus, adhuc cum perfidorum principum mandata aduerſum Chriſtianos ſęuirent, clericum quendam perſecutores fugientem hoſpitio recepit: quem dum orationibus continuis ac uigilijs diu noctuq; ſtudere conſpiceret, ſubitò diuina gratia reſpectus exemplum fidei ac pietatis illius cœpit æmulari, ac ſalutaribus eius exhortationibus paulatim edoctus, relictis idololatriæ tenebris, Chriſtianus integro ex corde factus eſt. Cumq; prefatus clericus aliquot diebus apud eum hoſpitaretur, peruenit ad aures nefandi principis, confeſſorem Chriſti, cui necdũ fuerat locus martyrij deputatus, penes Albanũ latere. Vnde ſtatim iuſsit, milites eum diligentius inquirere. Qui cum ad tugurium martyris perueniſſent, mox ſe ſanctus Albanus pro hoſpite ac magiſtro ſuo ipſius habitu, id eſt, caracalla, qua ueſtiebatur indutus, militibus exhibuit, atq; ad iudicẽ uinctus perductus eſt. Contigit aũt iudicem ea hora, qua ad eum Albanus adducebatur, aris aſsiſtere, ac dæmonibus hoſtias offerre. Cũq; uidiſſet Albanũ, mox ira ſuccenſus nimia, ꝙ ſe ille ultrò pro hoſpite, quẽ ſuſceperat, militib. offerre, ac diſcrimini dare pre-

ſumpſiſſet, ad ſimulachra dęmonum, quibus aſſiſtebat, cum iuſsit pertrahi. Quia rebellem, inquiens, ac ſacrilegū celare, quàm militibus reddere maluiſti, ut contemptor diuum, meritam blaſphemiæ ſuæ pœnam lueret, quęcunq; illi debebantur ſupplicia, tu ſoluere habes, ſi à cultu noſtræ religionis diſcedere tentas. At ſanctus Albanus, qui ſe ultrò perſecutoribus fidei Chriſtianum eſſe prodiderat, nequaquā minas principis metuit, ſed accinctus armis militiæ ſpiritualis palam ſe iuſsis illius parere nolle pronūciabat. Tum iudex: Cuius, inquit, familię uel generis es? Albanus reſpondit: Quid ad te pertinet, qua ſim ſtirpe genitus: ſed ſi ueritatem religionis audire deſideras, Chriſtianum iam me eſſe, Chriſtianiſq; officijs uacare cognoſce. Ait iudex: Nomen tuum quęro, quod ſine mora mihi inſinua. At ille: Albanus, inquit, à parētibus uocor, & Deum uerum ac uiuum, qui uniuerſa creauit, adoro ſemper & colo. Tum iudex repletus iracundia dixit: Si uis perennis uitę felicitate perfrui, dijs magnis ſacrificare ne differas. Albanus reſpōdit: Sacrificia hæc quę à uobis redduntur dæmonibus, nec auxiliari ſubiectis poſſunt, nec ſupplicantiū ſibi deſideria uel uota complere. Quin imò quicunq; his ſacrificia ſimulachris obtulerit, æternas inferni pœnas pro mercede recipiet. His auditis iudex nimio furore commotus, cædi ſanctum Dei confeſſorem à tortoribus præcepit: autumans ſe uerberibus, quam uerbis non poterat, cordis eius emoliri conſtantiam. Qui cum tormentis afficeretur acerrimis, patienter hæc pro Domino, imò gaudenter ferebat. At ubi iudex illum tormentis ſuperari, uel à cultu Chriſtianæ religionis reuocari nō poſſe perſenſit, capite eum plecti iuſsit. Cumq; ad mortem duceretur, peruenit ad flumen, quod muro & arena, ubi feriēdus erat, meatu rapidiſsimo diuidebatur. Viditq; ibi non paruam hominum multitudinem utriuſq; ſexus, conditionis diuerſæ & ætatis, quæ ſine dubio diuinitatis inſtinctu ad obſequium beatiſsimi confeſſoris ac martyris uocabatur, & ita fluminis ipſius occupabat pontem, ut intra ueſperam tranſire uix poſſet. Deniq; cunctis penè egreſsis, iudex ſine obſequio in ciuitate ſubſtiterat. Igitur ſanctus Albanus, cui ardens inerat deuotio mentis ad martyriū ocyus peruenire, acceſsit ad torrentem, & dirigens ad cœlum oculos, ilicò ſiccato alueo, uidit undā ſuis ceſsiſſe ac uiā dediſſe ueſtigijs. Quod cùm inter alios etiā ipſe carnifex, qui eum percuſſurus erat, uidiſſet, feſtinauit ei, ubi ad locū deſtinatum morti uenerat, occurrere: diuino nimirū admonitus inſtinctu, proiectoq; enſe, quē ſtrictum tenuerat, pedibus eius aduoluitur, multum deſiderans, ut cum martyre, uel pro martyre, quē percutere iubebatur, ipſe potius mereretur percuti. Dum ergo is ex perſecutore factus eſſet collega ueritatis & fidei, ac iacente ferro eſſet inter carnifices iuſta cunctatio, mōtem cum turbis reuerendiſsimus Dei cōfeſſor aſcēdit. Qui opportunè lætus gratia decentiſsima quingētis ferè paſsibus ad arenam ſitus eſt, uarijs herbarum floribus depictus, imò uſquequaque ueſtitus, in quo nihil repentè arduum, nihil præceps, nihil abruptum, quem lateribus longè lateq; deductum in modum æquoris natura complanat. Dignum uidelicet eum pro inſita ſibi ſpecie uenuſtatis iam olim reddens, qui beati martyris cruore dicaretur. In huius ergo uertice ſanctus Albanus dari ſibi à Deo aquam rogauit, ſtatimq; incluſo meatu ante pedes eius fons perennis exortus eſt, ut omnes agnoſcerent, etiam torrentem martyri obſequium detuliſſe. Neq; enim fieri poterat, ut in arduo montis cacumine martyr aquam, quam in fluuio non reliquerat, peteret: ſi hoc opportunum eſſe non uideret. Qui uidelicet fluuius miniſterio perſoluto, deuotione completa, officij teſtimonium relinquens, reuerſus eſt ad naturam. Decollatus itaq; martyr fortiſsimus, ibidem accepit coronam uitæ, quam repromiſit Deus diligentibus ſe. Sed ille qui pijs ceruicibus impias intulit manus, gaudere ſuper mortuū non eſt permiſſus. Nam oculi eius in terrā unà cum beati martyris capite deciderunt. Decollatus eſt ibi etiam tum miles ille, qui antea ſuperno nutu correptus, ſanctum Dei confeſſorem ferire recuſauit. De quo nimirum conſtat, quia & ſi fonte baptiſmatis non eſt ablutus: ſui tamen eſt ſanguinis lauacro mundatus, ac regni cœleſtis dignus factus ingreſſu. Tunc iudex tāta miraculorum cœleſtium nouitate perculſus, ceſſari mox à perſecutione pręcepit, honorem referre incipiens cædi ſanctorum, per quam eos opinabatur prius à Chriſtianę fidei poſſe deuotione ceſſare. Paſſus eſt autē beatus Albanus die decimo Kalendarum Iuliarum iuxta ciuitatem Verolamiū, quæ nunc à gente Anglorū Vuerlamaceſtir ſiue Vuarlingaceſtir appellatur, ubi poſtea redeūte temporum Chriſtianorum ſerenitate, eccleſia eſt mirandi operis, atq; eius martyrio condigna extructa. In quo uidelicet loco uſque ad hanc diem curatio infirmorum, & frequētium operatio uirtutum celebrari nō deſinit. Paſsi ſunt ea tempeſtate Aarō & Iulius Legionum urbis ciues, alijq; utriuſque ſexus diuerſis in locis per plures, qui diuerſis cruciatibus torti, & inauditi membrorū diſcerptione lacerati, animas ad ſupernæ ciuitatis gaudia perfecto agone miſerunt.

*Vt hac ceſſante perſecutione, eccleſia in Britannis aliquantulum uſq; ad tempora Arrianæ ueſaniæ pacem habuerit. Cap. VIII.*

AT ubi turbo perſecutionis quieuit, progreſſi in publicum fideles Chriſti, qui ſe tempore diſcriminis ſyluis ac deſertis abditis'ue ſpeluncis occultauerant, renouant eccleſias ad ſolum uſq; deſtructas, baſilicas ſanctorum martyrum fundant, conſtruunt, perficiunt, ac ueluti uictricia ſigna paſsim propalāt, dies feſtos celebrāt, ſacra mundo corde atq; ore cōficiunt. Manſitq; hæc in eccleſijs Chriſti, quæ erant in Britannia, pax,



pax, uſq; ad tempora Arrianæ ueſaniæ, quę, corrupto orbe toto, hanc etiam inſulam, extra orbem tam longè remotam, ueneno ſui infecit erroris. Et hac quaſi uia peſtilentiæ trans oceanū patefacta, nōn mora, omnis ſe lues hæreſeos cuiuſq;, inſulę noui ſemper aliquid audire gaudenti, & nihil certi firmiter obtinenti infudit. His temporibus Conſtantius, qui uiuente Diocletiano Galliam Hiſpaniamq; regebat, uir ſummæ manſuetudinis & ciuilitatis, in Britannia mortem obijt. Hic Conſtantinum filium ex cōcubina Helena creatum imperatorem Galliarum reliquit. Scribit autem Eutropius, quòd Conſtantinus in Britannia creatus imperator patri in regnum ſucceſſerit. Cuius temporibus Arriana hęreſis exorta, & in Nicena ſynodo detecta atq; damnata, nihilominus exitiabile perfidiæ ſuæ uirus (ut diximus) non ſolùm orbis totius, ſed & inſularum eccleſijs aſperſit.

*Vt regnante Gratiano, Maximus in Britannia imperator creatus, cum magno exercitu in Galliam redierit. Caput IX.*

ANno ab incarnatione Domini trecētesimo ſeptuageſimo ſeptimo Gratianus quadrageſimus ab Auguſto poſt mortem Valētis ſex annis imperium tenuit: quamuis iam dudum antea cum patruo Valente, & cum Valētiniano fratre regnaret. Qui cum afflictum & penè collapſum reipublicæ ſtatum uideret, Theodoſium Hiſpanum uirum reſtituendæ reipublicæ neceſsitate apud Sirmium purpuram induit, orientiſq; & Thraciæ ſimul præfecit imperio. Qua tempeſtate Maximus, uir quidē ſtrenuus & probus, atq; Auguſto dignus, niſi contra ſacramenti fidem per tyrannidem emerſiſſet in Britannia: inuitus propemodum ab exercitu creatus imperator, in Galliam tranſijt, ubi Gratianum Auguſtum ſubita incurſione perterritum, atq; in Italiam tranſire meditantem, dolis circumuentum interfecit, fratremq; eius Valētinianum Auguſtum Italia expulit. Valentinianus in orientem refugiens, à Theodoſio paterna pietate ſuſceptus, mox etiā imperio reſtitutus eſt: clauſo uidelicet intra muros Aquilegię, & capto atq; occiſo ab eis Maximo tyrāno.

*Vt Arcadio regnante, Pelagius Brito contra gratiam Dei ſuperba bella ſuſceperit, Cap. X.*

ANno ab incarnatione Domini trecētesimo nonageſimo quarto Arcadius filius Theodoſij cum fratre Honorio, quadrageſimus tertius ab Auguſto regnum ſuſcipiens, tenuit annos tredecim. Cuius temporibus Pelagius Brito contra auxilium gratiæ ſupernę uenena ſuę perfidiæ longè lateq; diſperſit, utens cooperatore Iuliano de Campania, quem dudum amiſſi epiſcopatus intemperās cupido exagitabat. Quibus ſanctus Auguſtinus, ſicut & cæteri patres orthodoxi, multis ſententiarum catholicarum milibus reſponderunt, nec eorum tantum dementiam corrigere ualebant: ſed quod uius eſt, correpta eorum ueſania, magis a ſcere contradicendo, quàm fauendo ueri uoluit emendari. Quod pulchrè uerſibus he cis Proſper rhetor inſinuat, cùm ait:

Contra Auguſtinum narratur ſerpere quid
Scriptor, quem dudum liuor adurit edax.
Quis caput obſcuris contectū utcūq; cauern
Tollere humo miſerū protulit anguiculum
Aut hunc fruge ſua æquorei pauere Britanni.
Aut huic Campano gramine corda tument

*Vt regnante Honorio Gratianus & Conſtantinus in Britanni tyranni creati, & mox prior in Britannia, ſecundus in Gallia ſint interempti. Cap. XI.*

ANno ab incarnatione Domini quadringentesimo ſeptimo, tenente imperium Honorio Auguſto filio Theodoſij iunioris loco, a Auguſto quadrageſimo quarto, ante bienniu Romanæ irruptionis, quæ per Alaricum re Gotthorum facta eſt, cùm gentes Alanoru Sueuorum, Vandalorum, multæq; cum his liæ, protritis Francis, tranſito Rheno, totas p Gallias ſæuirent, apud Britannias Gratian municeps tyrānus creatur & occiditur. Hu loco Conſtantinus ex infima militia, pro ſolam ſpem nominis ſine merito uirtutis e tur, qui continuò ut inuaſit imperium, in G lias tranſijt, ubi ſæpè à Barbaris incertis fœd ribus illuſus, detrimento magis reipublicę fu Vnde mox iubente Honorio Conſtantius c mes in Galliam cum exercitu profectus, Conſtantinum imperatorem apud Arelatem ci tatem clauſit, cepit, & occidit: Conſtantemq lium eius, quem ex monacho Cęſarem fecera Gerontius comes ſuus apud Viennam interfe cit. Fracta eſt autem à Gotthis anno milleſimo centeſimo ſexageſimo quarto ſuæ conditionis, ex quo tempore Romani in Britannia regnare ceſſarunt, poſt annos fermè quadringentos ſeptuaginta, ex quo Caius Iulius Cæſar eādem inſulam adijt. Habitabant autem intra uallum, quod Seuerum trans inſulam feciſſe commemorauimus, ad plagam meridianam, quod ciuitates, fana, pontes, & ſtratæ ibidem factæ uſq; hodie teſtantur, & cæterum ulteriores Britanniæ partes, uel eas etiam quę ultra Britanniam ſunt, inſulas iure dominandi poſsidebant.

*Vt Britones à Scottis uaſtati Pictiſq;, Romanorum auxilia quæſierint, qui ſecundo uenientes murum trans inſulam fecerunt. Sed hi confeſtim à præfatis hoſtibus interrupti, maiore ſint calamitate depreſsi. Caput XII.*

EXin Britannia omni armato milite, militaribus copijs uniuerſis, tota floridę iuuētutis alacritate ſpoliata, quę tyrānorū temeritate abducta, nuſq; ultra domū redijt, prędę tm̄ patuit, utpote oīs bellici uſus prorſus ignara. Deniq; ſubitò duabus gentibus trāſmarinis uehemēter ſæuis, Scottorū à Circio, Pictorū ab Aquilone multos

multos ſtupet gemitq; per annos. Tranſmarinas autem dicimus has gentes, non quòd extra Britanniam eſſent poſitæ, ſed quia à parte Britonum erant remotæ, duobus ſinibus mari interiacentibus, quorum unus ab orientali mari, alter ab occidentali, Britanniæ terras longè lateq; irrumpit, quamuis ad ſe inuicem pertingere poſsint. Orĩetalis habet in medio ſui urbem Guidi. Occidentalis ſupra ſe, hoc eſt, ad dexteram ſui habet urbem Alcluit, quod lingua eorũ ſignificat Petram Cluith: eſt enim iuxta fluuiũ nominis illius. Ob harum ergo infeſtationem gẽtium, Britones legatos Romam cum epiſtolis mittentes, lachrymoſis precibus auxilia flagitabant, ſubiectionemq; continuam, dum modo hoſtis imminens, longius arceretur, promittebant. Quibus mox legio deſtinatur armata, quæ ubi in inſulam aduecta, & congreſſa eſt cũ hoſtibus, magnam eorum multitudinem ſternens, cæteros ſociorũ finibus expulit, eosq; interim à diriſsima depreſsione liberatos, hortata eſt, inſtruere inter duo maria trans inſulam murum, qui arcendis hoſtibus poſſet eſſe pręſidio: ſicq; domum cum triumpho magno reuerſa eſt. At inſulani murũ, quem iuſsi fuerant non tam lapidibus, quàm ceſpitibus conſtruentes, utpote nullum tanti operis artificem habẽtes, ad nihil utilem ſtatuunt. Fecerunt autem eum inter duo freta, uel ſinus (de quibus diximus) maris, per milia paſſuum plurima: ut ubi aquarũ munitio deerat, ibi præſidio ualli fines ſuos ab hoſtium irruptione defenderent. Cuius operis ibidem facti, id eſt, ualli latiſsimi & altiſsimi uſq; hodie certiſsima ueſtigia cernere licet. Incipit autem duorum fermè milium ſpacio à monaſterio Aebercũrnig ad Occidentẽ, in loco qui ſermone Pictorum Peanuahel, lingua autem Anglorum Penueltum appellatur, & tendens contra Occidentem terminatur iuxta urbem Alcluith. Verùm priores inimici ut Romanũ militem abijſſe conſpexerant, mox aduecti nauibus irrumpunt terminos, cæduntq; omnia, & quaſi maturam ſegetem obuia quæq; metunt, calcant, tranſeunt. Vnde rurſum mittũtur Romam legati, flebili uoce auxilium implorãtes, ne penitus miſera patria deleretur, ne nomen Romanæ prouinciæ, quod apud eos tã diu claruerat, exterarum gentium improbitate obrutum uileſceret. Rurſum mittitur legio, quæ inopinata tempore autumni adueniens magnas hoſtium ſtrages dedit, eosq; qui euadere poterant omnes trans maria fugauit, qui prius anniuerſarias prædas trans maria, milite nullo obſiſtente, cogere ſolebant. Tum Romani denunciauere Britonibus non ſe ultra ob eorum defenſionem tam laborioſis expeditionibus poſſe fatigari, ipſos potius monent arma corripere, & certandi cum hoſtibus ſtudium ſubire, qui non ob aliam cauſam, quàm ſi ipſi inertia ſoluerentur, eis poſſent eſſe fortiores: quin etiã quia & hoc ſocijs, quos derelinquere cogebãtur, aliquid commodi allaturum putabant, murum à mari ad mare recto tramite inter urbes, quę ibidem ob metum hoſtiũ factæ fuerant (ubi & Seuerus quondam uallum fecerat) firmo de lapide locarunt. Quem uidelicet murum hactenus famoſum atq; conſpicuum, ſumptu publico priuatoq; adiuncta ſecum Britannorum manu cõſtruebant, octo pedes latum, & duodecim altũ, recta ab Oriente in Occaſum linea, ut uſq; hodie intuentibus clarum eſt. Quo mox condito, dant fortia ſegni populo monita, præbent inſtruendorum exemplaria armorum. Sed & in litore Oceani ad meridiem, quo naues eorum habebantur, quia & inde Barbarorum irruptio timebatur, turres per interualla ad proſpectũ maris collocant, & ualedicunt ſocijs tanquam ultra non reuerſuri. Quibus ad ſua remeantibus, cognita Scotti Pictiq; reditus denegatione redeunt confeſtim ipſi, & ſolito confidentiores facti, omnem aquilonarem extremamq; inſulæ partem pro indigenis ad murũ uſq; capeſſunt. Statuitur ad hęc in ædito arcis acies ſegnis, ubi trementi corde ſtupida diu noctuq; mercebat. At contrà non ceſſant uncinata hoſtium tela. Ignaui propugnatores miſerrimè de muris tracti ſolo allidebantur. Quid plura? relictis ciuitatibus ac muro, fugiunt, diſperguntur. Inſequitur hoſtis, accelerãtur ſtrages, cunctis crudeliores prioribus. Sicut enim agni à feris, ita miſeri ciues diſcerpuntur ab hoſtibus. Vnde à manſionibus ac poſſeſsiunculis ſuis eiecti, imminens ſibi famis periculum, latrocinatio, ac rapacitate mutua temperabant, augentes externas domeſticis motibus clades, donec omnis regio totius cibi ſuſtentaculo, excepto uenandi ſolatio, uacuaretur.

*Vt regnante Theodoſio iuniore, cuius tempore Palladius ad Scotos in Chriſtum credentes miſſus eſt, Britones à Boetio conſule auxilium flagitantes non impetrauerint.*
Cap. XIII.

ANno Dominicæ incarnationis uigeſimo quadringenteſimo tertio Theodoſius iunior poſt Honorium quadrageſimus quintus, ab Auguſto regnum ſuſcipiens uiginti & ſeptẽ annis tenuit: cuius anno imperij octauo Palladius ad Scottos in Chriſtum credentes à pontifice Romanæ eccleſiæ Cæleſtino primus mittitur epiſcopus. Anno autẽ regni eius uigeſimo tertio Boetius uir illuſtris, qui & patricius fuit, tertium cum Symacho geſsit conſulatum. Ad hunc pauperculæ Britonum reliquiæ mittunt epiſtolam, cuius hoc principium eſt: Boetio ter conſuli gemitus Britannorũ. Et in proceſſu epiſtolæ ita ſuas calamitates explicant: Repellunt Barbari ad mare, repellit mare ad Barbaros: inter hęc oriuntur duo genera funerum, aut iugulamur, aut mergimur. Neq; hęc tamen agentes quicquam ab illo auxilij impetrare quiuerunt, utpote qui grauiſsimis eo tempore bellis cum Bleda & Attila regibus Hunnorum erat occupatus. Et quãuis anno ante hunc proximo Bleda Attilæ fratris ſui ſit interemptus inſidijs, Attila



tila tamen ipſe adeò intolerabilis reipublicę remanſit hoſtis, ut totam penè Europam exciſis inuaſisq; ciuitatibus atq; caſtellis corroderet. Quin & iiſdem temporibus fames Conſtantinopolim inuaſit, nec mora peſtis ſecuta eſt: ſed & plurimi eiuſdem urbis muri cum quinquaginta ſeptem turribus corruerunt, multis quoque ciuitatibus collapſis, fames & aerum peſtifer odor plurima hominum milia iumentorumq; deleuit.

*Vt Britones fame coacti, Barbaros ſuis è finibus pepulerint, nec mora frugum copia, luxuria, peſtilentia, & exterminium gentis ſecutum ſit.*
Cap. XIIII.

INterea Britones fames illa pręfata magis magisq; afficiens, ac famam ſuæ malitiæ poſteris diuturnam relinquens, multos eorũ coegit uictas infeſtis prædonibus dare manus: alios uerò nunquam, quin potius confidentes in diuinum (ubi humanum ceſſauit) auxilium, de ipſis montibus, ſpeluncis ac ſaltibus continuè rebellabãt, & tum primùm inimicis, qui per multos annos prædas in terra agebãt, ſtrages dare cœperunt. Reuertuntur ergo impudentes graſſatores Hyberni domum, poſt non longum tempus reuerſuri. Picti in extrema parte inſulæ tũc primùm & deinceps quieuerunt, prædas tamẽ nonnunquam exinde, & contritiones de Britonum gente agere non ceſſarunt. Ceſſante autẽ uaſtatione hoſtili, tantis frugum copijs inſula, quantis nulla retrò ætas meminit, affluere cœpit, cum quibus & luxuria creſcere, & hanc cõtinuò omnium lues ſcelerum comitari accelerauit: crudelitas præcipuè, & odium ueritatis amorq; mendacij: ita ut ſi quis eorum mitior & ueritati aliquatenus propior uideretur, in hũc quaſi Britanniæ ſubuerſorem, omnium odia telaq; ſine reſpectu contorquerentur. Et non ſolùm hæc ſeculares uiri, ſed etiam ipſe grex Domini, eiusq; paſtores egerunt, ebrietati, animoſitati, litigio, contentioni, inuidiæ, cæterisq; huiuſmodi facinoribus ſua colla, abiecto leui iugo Chriſti ſubdentes. Interea ſubitò corruptæ mẽtis homines acerba peſtis corripuit, quæ in breui tantam eius multitudinem ſtrauit, ut ne ſepeliendis quidem mortuis uiui ſufficerent: ſed ne morte quidem ſuorũ, nec timor mortis, hi qui ſupererant, à morte animæ, qua peccando ſternebantur, reuocari poterant. Vnde non multo pòſt acrior gentem peccatricem ultio diri ſceleris ſecuta eſt. Initum nanq; eſt cõcilium, quid agendum, ubi quærendum eſſet præſidium, ad euitandas uel repellendas tam feras, tamq; creberrimas gentium aquilonarium irruptiones: placuitq; omnibus cum ſuo rege Vortigerio, ut Saxonum gentem de tranſmarinis partibus in auxilium uocarent: quod Domini nutu diſpoſitum eſſe conſtat, ut ueniret contra improbos malum, ſicut euidentius rerum exitus probauit.

*Vt inuitata in Britanniam gens Anglorum primò quidem aduerſarios longius abire compulerit, ſed non multo poſt iuncto cum his fœdere, in ſocios arma uerterit.* Cap. XV.

ANno ab incarnatione Domini quadringenteſimo nono, Martianus cum Valentiniano quadrageſimus ſextus ab Auguſto regnum adeptus, ſeptem annis tenuit. Tunc Anglorum ſiue Saxonum gens, inuitata à rege præfato in Britanniam, tribus longis nauibus aduehitur, & in orientali parte inſulæ iubente eodem rege, locum manendi, quaſi pro patria pugnatura, re autem uera hanc expugnatura ſuſcepit. Inito ergo certamine cum hoſtibus, qui ab Aquilone ad aciem uenerant, uictoriam ſumpſere Saxones. Quod ubi domi nunciatum eſt, ſimul & inſulæ fertilitas, ac ſegnitia Britonum, mittitur cõfeſtim illò claſsis prolixior armatorum, ferens manum fortiorem, quæ præmiſſæ adiũcta cohorti, inuincibilem fecit exercitum. Suſceperunt ergo qui aduenerant, donãtibus Britannis locum habitationis inter eos: ea conditione, ut hi pro patriæ pace & ſalute contra aduerſarios militarent, illi militantibus debita ſtipenda conferrent. Aduenerant autem de tribus Germaniæ populis fortioribus, id eſt, Saxonibus, Anglis, Vitis. De Vitarum origine ſunt Cantuarij & Vectuarij: hoc eſt, ea gens quę Vectam tenet inſulam, & ea quæ uſq; hodie in prouincia occidentalium Saxonum, Vitarum natio nominatur, poſita cõtra ipſam inſulam Vectam. De Saxonibus, id eſt, ea regione quæ nũc antiquorum Saxonum cognominatur, uenere orientales Saxones, Meridiani Saxones, Occidui Saxones. Porrò de Anglis, hoc eſt, de illa patria, quæ Anglia dicitur, & ab eo tempore uſque hodie manere deſertus inter prouincias Vitarum & Saxonum perhibetur, orientales Angli, Mediterranei Angli, Mercij tota Nord Humbrorum progenies, id eſt, illarum gentiũ, quæ ad Boream Tumbri fluminis inhabitant, cæteri'que Anglorum populi ſunt orti. Duces fuiſſe perhibentur eorum primi duo fratres Hẽgiſtus & Horſus. E quibus Horſus poſtea occiſus in bello à Britonibus, hactenus in orientalibus Cantij partibus monumentum habet ſuo nomine inſigne. Erant autem filij Vuetgiſsi, cuius pater Vecta, cuius pater Voden: de cuius ſtirpe multarum prouinciarum regium genus originem duxit. Non mora ergo, confluentibus certatim in inſulam gentium memoratarum cateruis, grandeſcere populus cœpit aduenarum, ita ut ipſis quoque, qui eos aduocauerant, indigenis eſſent terrori. Tum ſubitò inito ad tempus fœdere cum Pictis, quos longius iam bellando pepulerant, in ſocios arma uertere incipiunt. Et primùm quidem annonas ſibi eos affluentius miniſtrare cogunt, quærentesq; occaſionem diuortij proteſtantur, niſi profuſior ſibi alimẽtorum copia daret, ſe cuncta inſulæ rupto fœdere loca uaſtaturos: neque aliquãdo ſegnius minas effectibus proſequuntur.

Siqui

Siquidem, ut breuiter dicam, accenſus manibus paganorum ignis, iuſtas de ſceleribus populi Dei ultiones expetijt: non illius impar, qui quondam à Chaldæis ſuccenſus, Hieroſolymorum mœnia, imò & ędificia cuncta conſumpſit. Sic enim & hic agente impio uictore, imò diſponente iuſto iudice, proximas quaſq; ciuitates agroſq; depopulans, ab orientali mari uſq; ad occidentale, nullo perhibente ſuum continuauit incendium, totamq; propè inſulæ pereũtis ſuperficiem obtexit. Ruebant ædificia publica, ſimul & priuata, paſsim ſacerdotes inter altaria trucidabantur, præſules cum populis ſine ullo reſpectu honoris ferro pariter ac flammis abſumebantur, nec erat, qui crudeliter interemptos ſepulturæ traderet. Itaque nonnulli de miſerandis reliquijs in montibus comprehẽſi aceruatim iugũlabantur. Alij fame confecti procedentes, manus hoſtibus dabant, pro accipiendis alimentorum ſubſidijs, æternum ſubituri ſeruitium: ſi tamen non continuò trucidarentur. Alij tranſmarinas regiones dolentes petebant: alij perſtantes in patria trepidi pauperẽ uitam in montibus, ſyluis, uel rupibus arduis, ſuſpecta ſemper mente agebant.

*Vt Britones primam de gente Anglorum uictoriam, duce Ambroſio Romano homine, ſumpſerint.*
Cap. XVI.

AT ubi hoſtilis exercitus, exterminatis diſperſiſq; inſulæ indigenis, domum reuerſus eſt, cœperũt & illi paulatim uires animoſq; reſumere, emergentes de latibulis, quibus abditi fuerant, & unanimo conſenſu auxilium cœleſte precantes, ne uſque ad internicionem, uſquequaque delerentur. Vtebantur eo tempore duce Ambroſio Aureliano, uiro modeſto, qui ſolus fortè Romanæ gentis præfatæ tempeſtati ſuperfuerat, occiſis in eadem parentibus regium nomen & inſigne ferentibus. Hoc ergo duce uires capeſſunt Britones, & uictores prouocantes ad prælium, uictoriam (ipſi Deo fauente) ſuſcipiunt. Et ex eo tempore nunc ciues, nunc hoſtes uincebant, uſq; ad annum obſeſsionis Badonici montis, quando non minimas eiſdem hoſtibus ſtrages dabant, quadrageſimo circiter & quarto anno aduentus eorum in Britanniam. Sed hæc poſtmodum.

*Vt Germanus epiſcopus cum Lupo in Britanniam nauigans, & primò maris, poſtmodum Pelagianorum tempeſtatem diuina uirtute ſedauerit.*
Cap. XVII.

ANte paucos ſanè aduentus eorum annos hęreſis Pelagiana per Agricolam illata, Seueriani epiſcopi Pelagiani filium, fidem Britannorum fœda peſte commaculauerat. Verùm Britãni cum neq; ſuſcipere dogma peruerſum, gratiam Chriſti blaſphemando nullatenus uellent, neq; uerſutiam nefarię perſuaſionis refutare uerbis certando ſufficerent, inueniunt ſalubre conſilium, ut à Gallicanis antiſtibus auxilium belli ſpiritalis inquirãt. Quam ob cauſam collecta magna ſynodo quærebatur in commune, qui illuc ad ſuccurrendum fidei mitti deberent: atq; omnium iudicio eligebantur Apoſtolici ſacerdotes Germanus Altiſiodorenſis, & Lupus Trecaſſenæ ciuitatis epiſcopi, qui ad cõfirmandã fidem gratiæ cœleſtis in Britanniã uenirent. Qui cum prompta deuotione preces & iuſſa ſanctæ eccleſiæ ſuſcepiſſent, intrant Oceanum, & uſq; ad medium itineris, quo à Gallico ſinu in Britanniã uſq; tenditur, ſecundis flatibus nauis tuta uolabat. Tum ſubitò occurrit pergẽtibus inimica uis dæmonum, qui tantos taleſq; uiros ad recuperandam tendere populis ſalutẽ inuiderẽt. Concitant procellas, cœlum diemq; nubium nocte ſubducunt. Ventorum furores uela non ſuſtinent, cedebant miniſteria uicta nautarum, ferebatur nauigium oratione, non uiribus, & caſu dux ipſe uel pontifex fractus corpore, laſsitudine ac ſopore reſolutus eſt. Tunc uerò quaſi repugnatore ceſſante tempeſtas excitata conualuit, & iam nauigium ſuperfuſis fluctibus mergebatur. Tum beatus Lupus omneſq; turbati excitant ſeniorem, elementis furentibus opponendum, qui periculi immanitate cõſtantior Chriſtum inuocat, & aſſumpto in nòmine ſanctæ Trinitatis leui aquæ aſpergine, fluctus ſæuientes opprimit, collegam commonet, hortatur uniuerſos, oratio uno ore & clamore profunditur. Adeſt diuinitas, fugãtur inimici, tranquillitas ſerena ſubſequitur, uenti è contrario ad itineris miniſteria reuertuntur, decurſiſq; breui ſpacijs pelagi, optati littoris quiete potiuntur. Ibi conueniẽs ex diuerſis partibus multitudo, excepit ſacerdotes, quos uenturos etiã uaticinatio aduerſa prędixerat. Nunciabant enim ſiniſtri ſpiritus, quod timebant, qui imperio ſacerdotum dum ab obſeſsis corporibus detruduntur, & tempeſtatis ordinem & pericula, quę intulerant, fatebantur, uictoſq; ſe eorum meritis & imperio non negabant. Interia Britanniarum inſulam apoſtolici ſacerdotes raptim opinione, prædicatione, uirtutibus impleuerunt. Diuinuſq; per eos ſermo quotidie non ſolùm in eccleſijs, uerumetiam per triuia & per rura prædicabatur, ita ut paſsim & fideles catholici firmarentur, & deprauati uiam correctionis agnoſcerent. Erat illis apoſtolorum inſtar & gloria & auctoritas per conſcientiam, doctrina per literas, uirtutes ex meritis. Itaq; regionis uniuerſitas in eorum ſententiam prompta tranſierat. Latebant abditi ſiniſtræ perſuaſionis auctores, & more maligni ſpiritus gemebant perire ſibi populos euadẽtes, ad extremum diuturna meditatione concepta, præſumunt inire conflictum, procedunt conſpicui diuitijs, ueſte fulgẽtes, circundati aſſentatione multorũ. Diſcrimenq; certaminis ſubire maluerunt, q̃ in populo, quẽ ſubuerterãt pudorẽ taciturnitatis incurrere, ne uiderentur ſe ipſi ſilẽtio dãnauiſſe. Illic planè immẽſa multitudo etiã cũ

coniu-



cõiugibus ac liberis excitata, cõuenerat. Aderat populus & ſpectator futurus & iudex, aſtabant partes diſpari conditione diſsimiles, hinc diuina fides, inde humana pręſumptio: hinc pietas, inde ſuperbia: inde Pelagius auctor, hinc Chriſtus. Primo in loco beatiſsimi ſacerdotes Germanus atq; Lupus præbuerunt aduerſarijs copiam diſputandi, quæ ſola nuditate uerborũ diu inaniter & aures occupauit & tempora: deinde uti antiſtites uenerãdi torrẽtes eloquij ſui cum apoſtolicis & euãgelicis imbribus profuderunt. Miſcebatur ſermo proprius cum diuino, & aſſertiones moleſtiſsimas lectionũ teſtimonia ſequebantur. Cõuincitur uanitas, perfidia confutatur, ita ut ad ſingulas uerborũ obiectiones errare ſe, dum reſpondere nequit, fateretur: populus arbiter uix manus continet, iudicium tamen clamore teſtatur.

*Vt idem filiam Tribuni cæcam illuminauerit, ac deinde ad ſanctum Albanum perueniens reliquias ibidem & ipſius acceperit, & beatorum Apoſtolorum, ſiue aliorum martyrum poſuerit.*
Cap. XVIII.

TVm ſubitò quidam Tribuniciæ poteſtatis cum coniuge procedit in mediũ, filiam decem annorum cæcam curandam ſacerdotibus offerens, quam illi aduerſarijs offerri præceperunt: ſed ij conſcientia puniente deterriti, iungunt cum parentibus preces, & curationẽ paruulæ à ſacerdotibus deprecantur. Qui inclinatos animo aduerſarios intuentes, orationem breuiter fundũt. Ac deinde Germanus plenus ſpiritu ſancto inuocat trinitatem, nec mora adhærentem lateri ſuo capſulam cum ſanctorum reliquijs collo auulſam manibus comprehendit, eamq; in conſpectu omnium puellæ oculis applicuit. Quos ſtatim, euacuatis tenebris, lumen ueritatis impleuit. Exultant parentes, miraculum populus cõtremiſcit: poſt quam diem ita ex animis omnium ſuaſio iniqua deleta eſt, ut ſacerdotum doctrinam ſitientibus deſiderijs ſectarentur. Compreſſa itaq; peruerſitate damnabili, eiuſq; auctoribus confutatis, atque animis omnium fidei puritate compoſitis, ſacerdotes beatum Albanum martyrem auctori Deo per ipſum gratias petierunt. Vbi Germanus omnium Apoſtolorum diuerſorumq; martyrũ ſecum reliquias habẽs, facta oratione iuſsit reuelli ſepulchrum, precioſa ibidem munera conditurus: arbitrãs opportunum, ut membra ſanctorum ex diuerſis regionibus collecta, quos pares meritis receperat cœlum, ſepulchri quoque unius teneret hoſpitium. Quibus depoſitis honorificè atque ſociatis de loco ipſo, ubi beati martyris effuſus erat ſanguis, maſſam pulueris ſecum portaturus abſtulit, in qua apparebat cruore ſeruato, rubuiſſe martyrum cædem, perſecutore pallente. Quibus ita geſtis innumera hominum eodem die ad Dominum turba conuerſa eſt.



*Vt idem cauſa infirmitatis ibidem detentus, & incendia domorum orando reſtinxerit: & ipſe per uiſionem à ſuo ſit languore curatus.* Cap. XIX.

VNde dum redeunt, inſidiator inimicus caſualibus laqueis præparatis, Germani pedem lapſus occaſione contriuit, ignorans merita illius, ſicut Iob beatiſsimi, afflictione corporis propaganda. Et dum aliquamdiu uno in loco infirmitatis neceſsitate teneretur, in uicina qua manebat caſula exarſit incendium. Quod conſumptis domibus, quæ illic paluſtri arundine tegebantur, ad illud habitaculum in quo idẽ iacebat flabris ſtimulantibus ferebatur. Cõcurſus omnium ad antiſtitem conuolauit, ut elatis manibus, periculum quod imminebat, euaderet. Quibus increpatis moueri ſe, fidei pręſumptione, non paſſus eſt. At multitudo omnis deſperatione perterrita obuiam currit incendio. Sed ut Dei potẽtia manifeſtior appareret, quicquid cuſtodire tentauerat turba, conſumitur. Quod uerò iacẽs & infirmus defenderat, referto hoſpitio ſancti uiri expaueſcens flãma trãſiliuit, ultra citráque deſæuiens, & inter globos flammantis incendij, incolume tabernaculum, quód habitator incluſus ſeruabat, emicuit. Exultat turba miraculo, & uictam ſe diuinis uirtutibus gratulatur. Excubabat diebus ac noctib. ante tugurium pauperis uulgus ſine numero. Hi animas curare cupientes, hi corpora. Referri nequeunt, quæ Chriſtus operabatur in famulo, qui uirtutes faciebat infirmus. Et cùm debilitati ſuæ nihil remedij pateretur adhiberi, quadam nocte candentem niueis ueſtibus uidit ſibi adeſſe perſonam, quæ manu extenſa iacentẽ uideretur attollere, eumq; conſiſtere firmis ueſtigijs imperabat. Poſt quam horam ita fugatis doloribus recepit priſtinam ſanitatem, ut die reddito itineris laborem ſubiret intrepidus.

*Vt idem epiſcopi Britonibus in pugna auxilium cœleſte tulerint, ſicq; domum reuerſi ſunt.*
Caput XX.

INterea Saxones Pictiq; bellũ aduerſum Britones iunctis uiribus ſuſceperunt, quos eadẽ neceſsitas in caſtra contraxerat: & cum trepidi partes ſuas penè impares iudicarent, ſanctorũ antiſtitum auxilium petierũt: qui promiſſum maturantes aduentum, tantum pauentibus fiduciæ contulerunt, ut acceſsiſſe maximus crederetur exercitus. Itaque apoſtolicis ducibus Chriſtus militabat in caſtris. Aderãt etiam quadrageſimæ uenerabiles dies, quos religioſiores reddebat præſentia ſacerdotum, in tantum, ut quotidianis prædicationibus inſtituti, certatim populi ad gratiam baptiſmatis conuolarent. Nam maxima exercitus multitudo undam lauacri ſalutaris expetijt, & eccleſia ad diẽ reſurrectionis Dominicæ frondibus contextá componitur, atque in expeditione campeſtri inſtar ciuitatis aptatur. Madidus baptiſmate procedit exercitus, fides feruet in populo, &



contem-

conterrito armatorum præſidio, diuinitatis expectatur auxilium. Inſtitutio, uel forma caſtitatis hoſtibus nunciatur, qui uictoriam quaſi de inermi exercitu præſumentes aſſumpta alacritate feſtinant, quorum tamen aduentus exploratione cognoſcitur: cumq; emenſa ſolennitate Paſchali, recens de lauacro pars maior exercitus arma capere ac bellum parare tentaret, Germanus ſe ducem prælij profitetur. Eligit expeditos, circũiecta percurrit, & e regione qua hoſtium ſperabatur aduentus, uallem circundatam medijs montibus intuetur. Quo in loco nouum componit exercitum ipſe dux agminis. Et iam aderat ferox hoſtium multitudo, quam appropinquare intuebantur in inſidijs conſtituti. Tunc ſubitò Germanus ſignifer uniuerſos admonet & prædicat, ut uoci ſuæ uno clamore reſpondeant: ſecuriſq; hoſtibus qui ſe inſperatos adeſſe confiderent, Alleluia tertiò repetitũ ſacerdotes exclamabãt. Sequitur una uox omnium, & elatum clamorem repercuſſo aëre mõtium concluſa multiplicant, hoſtile agmen terrore proſternitur, & ſuper ſe non ſolum rupes circundatas, ſed etiam cœli machinam contremiſcunt, trepidationiq; iniectę uix ſufficere pedum pernicitas credebatur. Paſsim fugiunt, arma proijciunt, gaudentes uel nuda corpora eripuiſſe diſcrimini, plures etiam timore præcipites, flumen quod tranſierant, deuorauit. Vltionem ſuam innocens exercitus intuetur, & uictoriæ conceſſæ ocioſus ſpectator efficitur. Spolia colliguntur expoſita, & cœleſtis palmæ gaudia miles religioſus amplectitur. Triumphant pontifices hoſtibus fuſis ſine ſanguine, triumphant uictoria fide obtenta, non uiribus. Compoſita itaque inſula, ſecuritati multiplici, ſuperatiſq; hoſtibus uel inuiſibilibus uel carne conſpicuis, reditum moliuntur pontifices. Quibus tranquillam nauigationem, & merita propria, & interceſsio beati martyris Albani parauerunt, quietoſq; eos ſuorum deſiderijs fœlix carina reſtituit.

*Vt renaſcentibus uirgultis Pelagianæ peſtis Germanus cum Seuero Britanniam reuerſus, prius claudo iuueni inceſſum, deinde & populo Dei, condemnatis ſiue emendatis hæreticis, greſſum recuperarit fidei. Caput XXI.*

NEc multo pòſt interpoſito tempore nunciatur ex eadem inſula, Pelagianam peruerſitatem iteratò paucis authoribus dilatari: rurſuſq; ad beatiſsimum uirum preces ſacerdotũ omnium deferũtur, ut cauſam Dei, quam prius obtinuerat, tueretur. Quorum petitioni feſtinus obtemperat. Nam adiuncto ſibi Seuero totius ſanctitatis uiro (qui erat diſcipulus beatiſsimi patris Lupi Trecaſenorũ epiſcopi, & tunc Treueris ordinatus epiſcopus, gentibus primæ Germaniæ uerbum Dei prædicabat) mare conſcendit, & conſentientibus elementis tranquillo nauigio Britannias petijt. Interea ſiniſtri ſpiritus prouolãtes totam inſulam Germanum uenire inuitis uaticinationibus nunciabant, intantum ut Elafius quidam regionis illius primus in occurſum ſanctorũ ſine ulla manifeſti nuncij relatione properaret, exhibens ſecum filium, quem in ipſo flore adoleſcentiæ debilitas dolenda damnauerat. Erat enim areſcentibus neruis contracto poplite, cui per ſiccitatem cruris uſus ueſtigij negabantur: hunc Elafium prouincia tota ſubſequitur. Veniunt ſacerdotes, occurrit inſcia multitudo, cõfeſtim benedictio, & ſermonis diuini doctrina profunditur. Recognoſcunt populum, in ea qua illum reliquerant credulitate, durantem, intelligunt culpam eſſe paucorum, inquirunt auctores, inuentoſq; condemnant. Tum ſubitò Elaficis pedibus aduoluitur ſacerdotum, offerens filium, cuius neceſsitatẽ ipſa debilitas etiam ſine precibus allegabat. Fit communis omnium dolor, & præcipuè ſacerdotum, qui conceptam miſericordiam ad diuinam clementiã contulerunt, ſtatumq; adoleſcentem beatus Germanus ſedere compulit, adtrectat poplitem debilitate curuatum, & per tota infirmitatis ſpacia medicabilis dextera percurrit, ſalubremq; tactum ſanitas feſtina ſubſequitur, ariditas ſuccum, nerui officia receperunt, & in conſpectu omnium incolumis patri filius reſtituitur. Implentur populi ſtupore miracula, & in pectoribus omniũ fides catholica inculcata firmatur, prædicatio deinde ad plebem de præuaricationis emendatione conuertitur. Omniumq; ſententia prauitatis auctores qui erant expulſi inſula, ſacerdotibus adducuntur ad mediterranea deſerendi, ut & regio abſolutione, & illi emẽdatione fruerentur, factumq; eſt ut illis locis multo ex eo tempore fides intemerata perduraret. Itaque compoſitis omnibus, beati ſacerdotes ea qua uenerant proſperitate redierunt. Porrò Germanus poſthæc ad Rauennam pro pace Armoricanæ gentis ſupplicaturus aduenit, ibiq; à Valentiniano & Placidia matre ipſius ſumma reuerentia ſuſceptus, migrauit ad Chriſtum. Cuius corpus honorifico agmine comitãtibus uirtutum operibus ſuam defertur ad urbem. Nec multo pòſt Valentinianus ab Etij patricij, quẽ occiderat, ſatellitibus interimitur, Anno imperij Marciani ſexto, cum quo ſimul Heſperium concidit regnum.

*Vt Britones quieſcentibus ad tempus exteris, ciuilibus ſeſe bellis contriuerint, ſimul & maioribus flagitijs ſubmerſerint. Caput XXII.*

INterim Britannia ceſſatum quidem eſt parumper ab externis, ſed non à ciuilibus bellis. Manebant exterminia ciuitatum ab hoſte dirutarum ac deſertarum, pugnabant contra inuicem, qui hoſtem euaſerant ciues: attamen recenti adhuc memoria calamitatis & cladis inflictæ ſeruabant utcunque reges, ſacerdotes, priuati & optimates ſuum quique ordinem. At illis decedentibus, quum ſucceſsiſſet ætas tem-





peſtatis illius neſcia, & præſentia ſolum ſerenitatis ſtatum experta, ita cuncta ueritatis ac iuſticiæ moderamina concuſſa ac ſubuerſa ſunt, ut nullum earum non dicam ueſtigium, ſed ne memoria quidem pręter in paucis, & ualde paucis ulla appareret. Quin inter alia inenarrabilium ſcelerum facta, quæ hiſtoricus eorum Gildas flebili ſermone deſcribit, & hoc addebat, ut nunquam genti Saxonum ſiue Anglorum ſecum Britanniam incolenti, uerbum fidei prædicandum committerent. Sed non tamen diuina pietas plebem ſuam quam præſciuit, deſeruit, quin multo digniores genti memoratæ præcones ueritatis, per quos crederet, deſtinanuit.

*Vt ſanctus papa Gregorius Auguſtinum cum monachis ad prædicandum genti Anglorum mittens, epiſtola quoque illos exhortatoria, ne à laborando ceſſarent, confortauerit. Caput XXIII.*

SIquidẽ anno ab incarnatione Domini quingenteſimo octogeſimo ſecundo Mauritius ab Auguſto quinquageſimus quartus imperiũ ſuſcipiens, uno & uiginti annis tenuit. Cuius anno regni decimo Gregorius uir doctrina & actione præcipuus pontificatum Romanæ & apoſtolicæ ſedis ſortitus, rexit annos tredecim, menſes ſex, & dies decem. Qui diuino admonitus inſtinctu anno decimoquarto eiuſdẽ principis, aduentus uerò Anglorum in Britãniam anno circiter centeſimo quinquageſimo miſit ſeruum Dei Auguſtinum, & alios plures cum eo monachos timentes Dominum, prædicare uerbum Dei genti Anglorum. Qui cum iuſsis pontificalibus obtemperantes, memoratum opus aggredi cœpiſſent, iamq; aliquantum itineris confeciſſent, perculſi timore inerti redire domum, potius quàm barbaram, feram, incredulamq; gentem, cuius nec linguam quidem noſſent, adire, cogitabant, & hoc eſſe tutius communi conſilio decernebant. Nec mora Auguſtinum, quem eis epiſcopum ordinandum (ſi ab Anglis ſuſciperentur) diſpoſuerat, domum remittunt, qui à beato Gregorio humili ſupplicatu obtineret, ne tam periculoſam, tam laborioſam, tam incertam peregrinationem adire deberent. Quibus ille exhortatorias mittens literas, in opus eos uerbi, diuino confiſos auxilio, proficiſci ſuadet. Quarum uidelicet literarum iſta eſt forma: Gregorius ſeruus ſeruorum Dei. Quia melius fuerat bona non incipere, quàm ab his quę cœpta ſunt cogitatione retrorſum redire, ſummo ſtudio dilectiſsimi filij oportet, ut opus bonum, quod auxiliante Domino cœpiſtis, impleatis. Nec ergo labor uos itineris, nec maledicorum hominum linguæ deterreant: ſed omni inſtantia, omniq; feruore quæ inchoaſtis Deo authore peragite. Scientes quòd laborem magnum æternæ retributionis gloria ſequitur. Remeanti autem Auguſtino præpoſito ueſtro, quem & abbatem uobis conſtituimus, in omnibus humiliter obedite, Sciẽtes hoc ueſtris animabus per omnia profuturum, quicquid à uobis fuerit in eius admonitione completum. Omnipotens Deus ſua uos gratia protegat, & ueſtri laboris fructum in æterna me patria uidere concedat. Quatenus & ſi uobiſcum laborare nequeo, ſimul in gaudio retributionis inueniar, quia laborare ſcilicet uolo. Deus uos incolumes cuſtodiat dilectiſsimi filij. Data die decima Kalẽdarum Auguſtarum, imperante Domino noſtro Mauricio Tiberio pijſsimo Auguſto anno decimo quarto, poſt Conſulatum eiuſdem Domini noſtri anno decimo tertio, indictione decima quarta.

*Vt Arelatenſi Archiepiſcopo epiſtolam pro eorum ſuſceptione miſerit. Caput XXIIII.*

MIſit etiam tunc ijſdem uenerandus pontifex ad Etherium Arelatenſem archiepiſcopum (ut Auguſtinum Britanniam peragentem benignè ſuſciperet) literas, quarum iſte eſt textus. Reuerendiſsimo & ſanctiſsimo fratri Etherio coepiſcopo Gregorius ſeruus ſeruorũ Dei. Licet apud ſacerdotes habentes Deo placitam charitatem religioſi uiri nullius commendatione indigeant: quia tamen aptum tempus ſcribendi ſe ingeſsit, fraternitati ueſtræ noſtra mittere ſcripta curauimus, inſinuãtes latorem præſentium Auguſtinum ſeruum Dei, de cuius certi ſumus ſtudio, cum alijs ſeruis Dei, illuc nos pro utilitate animarum auxiliante Domino direxiſſe. Quem neceſſe eſt, ut ſacerdotali ſtudio ſanctitas ueſtra adiuuare, & ſua ei ſolatia præbere feſtinet. Cui etiam ut promptiores ad ſuffragandum poſsitis exiſtere, cauſam uobis iniunximus ſubtiliter indicare. Scientes quòd ea cognita tota uos propter Deum deuotione ad ſolandum, quia res exigit, commodetis. Candidum pręterea presbyterum communem filium, quem ad gubernationem patrimoniali eccleſiæ noſtræ tranſmiſimus, charitati ueſtræ in omnibus commendamus. Deus te incolumem cuſtodiat reuerendiſsime frater. Data die decima Kalendarum Auguſtarum imperãte Domino noſtro Mauricio Tiberio pijſsimo Auguſto, Anno decimo quarto poſt conſulatum eiuſdem Domini noſtri, Anno decimo tertio, indictione decima quarta.

*Vt ueniens Britanniam Auguſtinus primo in inſulam Tanetò regi Cantuariorum prædicarit, & ſic accepta ab eo licentia Cantium prædicaturus intrauerit. Caput XXV.*

ROboratus ergo confirmatione beati patris Gregorij Auguſtinus, cum famulis Chriſti qui erant cum eo, redijt in opus uerbi, peruenitq; in Britanniã. Erat eo tempore rex Edilberthus in Cantio potentiſsimus, qui ad cõfinium uſque Humbri fluminis maximi, quo meridiani & Septentrionales Anglorum populi dirimuntur, fines imperij tetenderat. Eſt autem ad

orientalem Cantij plagam Tanetos inſula non modica, id eſt, magnitudinis iuxta conſuetudinem æſtimationis Anglorum, miliarium ſexcentorum, quam à cõtinenti terra ſecernit fluuius Vantſumu, qui eſt latitudinis circiter triũ ſtadiorum, & duobus tantum in locis eſt tranſmeabilis. Vtrunque enim caput protendit in mare. In hac ergo applicuit ſeruus Domini Auguſtinus, & ſocij eius uiri (ut fertur) fermè quadraginta. Acceperunt autem præcipiente beato Papa Gregorio de gente Francorum interpretes, & mittens ad Edilberthum mandauit ſe ueniſſe de Roma, ac nuncium ferre optimum, qui ſibi obtemperantibus æterna in cœlis gaudia, & regnum ſine fine cum Deo uiuo & uero futurũ, ſine ulla dubitatione promitteret. Qui hæc audiens, manere illos in ea quam adierant inſula, & eis neceſſaria miniſtrari, donec uideret quid eis faceret, iuſsit. Nam & antea fama ad eum Chriſtianæ religionis peruenerat, utpote qui & uxorem habebat Chriſtianam de gente Frãcorum regia, nomine Berthã: quam ea cõditione à parentibus acceperat, ut ritum fidei ac religionis ſuæ cum epiſcopo, quem ei adiutorem fidei dederant nomine Luidhardo, inuiolatam ſeruare, licẽtiam haberet. Poſt dies ergo aliquot uenit ad inſulã rex, & reſidẽs ſub diuo iuſsit Auguſtinũ cum ſocijs ad ſuum ibidẽ aduenire colloquium. Cauerat autem ne in aliquam domum ad ſe introirent ueteri uſus augurio, ne ſuperuentu ſuo, ſi quid maleficæ artis habuiſſent, eum ſuperando deciperent. At illi non dæmonica, ſed diuina uirtute præditi ueniebant, crucem pro uexillo ferentes argenteam, & imaginem Domini ſaluatoris in tabula depictam, letaniasq́ canentes pro ſua ſimul & eorum propter quos & ad quos uenerant ſalute æterna, Domino ſupplicabant. Cumq́ ad iuſsionem regis reſidentes, uerbum ei uitę unà cum omnibus, qui aderant eius comitibus prędicarent: reſpondit ille dicẽs, Pulchra ſunt quidem uerba & promiſſa quæ affertis, ſed quia noua ſunt & incerta, non his poſſum aſſenſum tribuere, relictis eis quæ tanto tempore cum omni Anglorum gente ſeruaui. Verùm quia de longè huc peregrini ueniſtis, & ut ego mihi uideor perſpexiſſe, ea quæ uos uera & optima credebatis, nobis quoque communicare deſideratis: nolumus moleſti eſſe uobis, quinpotius benigno uos hoſpitio recipere, & quæ uictui ueſtro ſunt neceſſaria, miniſtrare curamus: nec prohibemus, quin omnes, quos poteſtis, fidei ueſtræ religionis prædicando ſocietis. Dedit ergo eis manſionẽ in ciuitate Dorouernenſi (quę imperij ſui totius erat metropolis) eisq́, ut promiſerat, cum adminiſtratione uictus temporalis, licentiam quoque prædicandi non abſtulit. Fertur autem quòd appropinquantes ciuitati, more ſuo cum cruce ſancta & imagine magni regis Domini noſtri Ieſu Chriſti, hãc letaniam conſona uoce modularentur: Deprecamur te Domine in omni miſericordia tua, ut auferatur furor tuus & ira tua à ciuitate iſta, & de domo ſancta tua, quoniam peccauimus, alleluia.

*Vt idem in Cantio primitiuæ eccleſiæ & doctrinam ſit imitatus & uitam, atq; in urbe regis ſedem epiſcopatus acceperit.* Caput XXVI.

AT ubi ſibi datam manſionem intrauerunt, cœperunt Apoſtolicam primitiuæ eccleſiæ uitam imitari, orationibus uidelicet aſsiduis, uigilijs, ac ieiunijs ſeruiendo, uerbum uitæ, quibus poterant, prædicando, cuncta huius mundi uelut aliena ſpernendo, ea tantum, quæ uictui neceſſaria uidebantur, ab eis, quos docebant, accipiendo, ſecundum ea quæ docebant ipſi per omnia uiuendo, & paratum ad patiendum aduerſa queque, uel etiam ad moriendum pro ea quam prædicabant ueritate, animum habendo. Quid? Crediderunt nonnulli, & baptizabantur, mirantes ſimplicitatem innocentis uitæ, ac dulcedinem doctrinæ eorum cœleſtis. Erat autem prope ipſam ciuitatem ad oriẽtem eccleſia in honorem ſancti Martini antiquitus facta, dum adhuc Romani Britanniam incolerent, in qua regina, quam Chriſtianam fuiſſe prædiximus, orare conſueuerat. In hac ergo & ipſi primò conuenire, pſallere, orare, miſſas facere, prædicare, & baptizare cœperunt, donec rege ad fidem conuerſo, maiorem prædicandi per omnia, & eccleſias fabricandi uel reſtaurãdi, licentiam acciperent. At ubi ipſe etiam inter alios delectatus uita mundiſsima ſanctorũ, & promiſsis eorum ſuauiſsimis, quæ uera eſſe miraculorum quoque multorum oſtenſione firmauerunt, credens baptizatus eſt, cœpere plures quotidie ad audiendum uerbum confluere, ac relicto gentilitatis ritu, unitati ſe ſanctę Chriſti eccleſiæ credendo ſociare. Quorum fidei & conuerſioni ita congratulatus eſſe rex perhibetur, ut nullum tamen cogeret ad Chriſtianiſmum, ſed tantummodo credentes arctiori dilectione quaſi conciues ſibi regni cœleſtis amplecteretur. Didicerat enim & à doctoribus auctoribusq́ ſuæ ſalutis, ſeruitium Chriſti uoluntarium, non coacticium debere eſſe. Nec diſtulit, quin etiam ipſis doctoribus ſuis locum ſedis, eorum gradui congruum, in Dorouernia metropoli ſua donaret, ſimul & neceſſarias in diuerſis ſpeciebus poſſeſsiones conferret.

*Vt idem epiſcopus factus Gregorio papæ, quæ ſint Britanniæ geſta mandarit, ſimul & de neceſsitatibus eius reſponſa petens, acceperit.* Caput XXVII.

INterea uir Domini Auguſtinus uenit Arelas, & ab archiepiſcopo eiuſdẽ ciuitatis Etherio, iuxta quod iuſſa ſancti patris Gregorij acceperant, archiepiſcopus genti Anglorũ ordinatus eſt: reuerſusq́ in Britanniã, miſit continuò Romam Laurẽtium presbyterum, & Petrum monachum, qui beato pontifici Gregorio gentem Anglorum fidem Chriſti accepiſſe, ac ſe epiſcopum factum eſſe referrent: ſimul & de eis,





quæ neceſſaria uidebantur, quæſtionibus eius conſulta flagitans. Nec mora, congrua quæſtionibus reſponſa recepit, quæ etiam huic hiſtorię noſtræ commodum duximus indere. Interrogatio Auguſtini epiſcopi Cantuariorum eccleſiæ. De epiſcopis, qualiter cum ſuis clericis conuerſentur, uel de his, quæ fidelium oblationibus accedunt altari, quantæ debeãt fieri portiones, & qualiter epiſcopus agere in eccleſia debeat? Reſpondit Gregorius Papa, urbis Romæ, Sacra ſcriptura teſtatur (quam te bene noſſe dubium non eſt) & ſpecialiter beati Pauli ad Timo. epiſtolæ, in quibus eum *erudire ſtuduit, qualiter in domo Dei conuerſari debuiſſet. Mos autẽ ſedis Apoſtolicę eſt, ordinatis epiſcopis, pręcepta tradere, ut in omni ſtipendio quod accedit, quatuor debeant fieri portiones: una uidelicet epiſcopo & familiæ propter hoſpitalitatem atque ſuſceptionem, alia clero, tertia pauperibus, quarta eccleſijs reparãdis. Sed quia fraternitas tua monaſterij regulis erudita, ſeorſum fieri non debet à clericis ſuis in eccleſia Anglorum, quæ authore Deo nuper adhuc ad fidem perducta eſt, hanc debet conuerſationem inſtituere, quæ initiò naſcẽtis eccleſiæ fuit patribus noſtris, in quibus nullus eorum ex his quæ poſsidebant aliquid ſuum eſſe dicebat, ſed erant eis omnia cõmunia. Si qui uerò ſunt clerici extra ſacros ordines conſtituti, qui ſe continere non poſſunt, ſortiri uxores debent, & ſtipẽdia ſua exterius accipere. Quia & de ijſdem partibus, de quibus præfati ſumus, nouimus ſcriptum quod diuidebatur ſingulis prout cuiq́ opus erat. De eorum quoque ſtipendio cogitandum atque prouidendum eſt, & ſub eccleſiaſtica regula ſunt tenendi, ut bonis moribus uiuant, & canendis pſalmis inuigilent, & ab omnibus illicitis & cor & linguam & corpus Deo auctore conſeruent. Communi autem uita uiuentibus, iam de faciendis portionibus, uel exhibenda hoſpitalitate, & ad implenda miſericordia, nobis quid erit loquendum? Cùm omne quod ſupereſt, in cauſis pijs ac religioſis erogandum eſt, Domino magiſtro omnium docente: Quod ſupereſt, date eleemoſynam, & ecce omnia munda ſunt uobis. Interrogatio Auguſtini: Cùm una ſit fides, cur ſunt eccleſiarum diuerſæ conſuetudines, & altera conſuetudo miſſarum in ſancta Romana eccleſia, atque altera in Galliarum tenetur. Reſpondit Gregorius Papa: Nouit fraternitas tua Romanę eccleſiæ conſuetudinem, in qua ſe meminit nutritam. Sed mihi placet, ut ſiue in Romana, ſiue in Galliarum, ſeu in qualibet eccleſia, aliquid inueniſti quod plus omnipotenti Deo poſsit placere, ſolicitè eligas, & in Anglorum eccleſia, quæ adhuc ad finem noua eſt, inſtitutione præcipua, quæ de multis eccleſijs colligere potuiſti, infundas. Non enim pro locis res, ſed pro bonis rebus loca amanda ſunt. Ex ſingulis ergo quibuſque eccleſijs, quæ pia, quæ religioſa, quę recta ſunt elige, & hæc quaſi in faſciculum collecta, apud Anglorum mentes in conſuetudinem depone. Interrogatio Auguſtini: Obſecro quid pati debeat, ſi quis aliquid de eccleſia furto abſtulit? Reſpõdit Gregorius. Hoc tua fraternitas ex perſona furis penſare poteſt, qualiter ualeat corrigi. Sunt enim quidam, qui habentes ſubſidia furtum perpetrant, & ſunt alij, qui hac in re ex inopia delinquũt. Vnde neceſſe eſt, ut quidam damnis, quidam uerò uerberibus: & quidã diſtrictius, quidam autem lenius corrigantur. Et cùm paulo diſtrictius agitur, ex charitate agendum eſt, non ex furore: quia ipſi hoc præſtatur qui corrigitur, ne gehennæ ignibus tradatur. Sic enim nos fidelibus tenere diſciplinam debemus, ſicut boni patres carnalibus filijs ſolent, quos & pro culpis uerberibus feriunt, & tamen ipſos, quos doloribus affligunt, habere hæredes quærunt: & quæ poſsident ipſis ſeruant, quos irati inſequi uidentur. Hæc ergo charitas in mente tenenda eſt, & ipſa modum correptionis dictet, ita ut mens extra rationis regulam omnino nihil faciat. Addes etiam, quomodo ea, quæ furto de eccleſijs abſtulerunt, reddere debeant. Sed abſit, ut eccleſia cum augmento recipiat, quod de terrenis rebus uidetur amittere, & lucra de uanis quærere. Interrogatio Auguſtini: Si debeant duo germani fratres ſingulas ſorores accipere, quæ ſunt ab illis longa progenie generatæ? Reſpondit Gregorius: Hoc fieri modis omnibus licet. Nequaquam enim in ſacris eloquijs inuenitur, quod huic capitulo contradicere uideatur. Interrogatio Auguſtini: Vſque ad quotam generationem debeant fideles cum propinquis ſibi coniugio copulari? Reſpondit Gregorius: Quędam terrena lex in Romana republica permittit, ut ſiue frater & ſoror, ſeu duorum fratrum germanorum, uel duarum ſororum filius & filia miſceantur. Sed experimento didicimus, ex tali coniugio ſobolem non poſſe ſuccreſcere. Et ſacra lex prohibet cognationis turpitudinem reuelare. Vnde neceſſe eſt, ut iam tertia uel quarta generatio fidelium licenter ſibi iungi debeat. Nam ſecunda, quam diximus, à ſe omni modo debet abſtinere. Cum nouerca autem miſceri graue eſt facinus: quia & in lege ſcriptum eſt, Turpitudinem patris tui nõ reuelabis. Neque enim patris turpitudinem filius reuelare poteſt: ſed quia ſcriptum eſt, Erunt duo in carne una, qui turpitudinem nouercæ, quæ una caro cum patre fuit, reuelare præſumpſerit, profectò patris turpitudinem reuelauit. Cùm cognata quoque miſceri prohibitum eſt, quia per iunctionem priorem caro fratris fuerit facta. Pro qua re etiam Iohãnes Baptiſta càpite truncatus eſt, & ſancto martyrio conſummatus. Cui non eſt dictum, ut Chriſtum negaret, & tamẽ pro Chriſti cõfeſsione occiſus eſt: ſed quia ijſdem Dominus noſter Ieſus Chriſtus dixerat, Ego ſum ueritas, quia pro ueritate Iohannes occiſus eſt, uidelicet & pro Chriſto ſanguinẽ fudit. Quia uerò ſunt multi in Anglorum gẽte, qui dum adhuc in infidelitate eſſent, huic nefando coniugio dicuntur admixti, ad

fidem uenientes admonendi ſunt, ut ſe abſtineant, & graue hoc eſſe peccatum cognoſcant. Tremendum Dei iudicium timeāt, ne pro carnali dilectione tormenta æterni cruciatus incurrant. Non tamen pro hac re corporis & ſanguinis Domini communione priuandi ſunt, ne in eis illa ulciſci uideantur, in quibus ſe per ignorantiam ante lauacrum baptiſmatis aſtrinxerunt. In hoc enim tempore ſancta eccleſia quædam per feruorem corrigit, quædam per manſuetudinem tolerat, quædam per conſiderationem diſsimulat, atque ita portat & diſsimulat, ut ſæpè malum quod aduerſatur portando & diſsimulando compeſcat. Omnes autem qui ad fidem ueniunt, admonendi ſunt, ne tale aliquid audeant perpetrare. Si qui autem perpetrauerint, corporis & ſanguinis Domini cōmunione priuādi ſunt: quia ſicut in his, qui per ignorantiam fecerunt, culpa aliquatenus toleranda eſt: ita in his fortiter inſequenda, qui non metuunt ſciendo peccare. Interrogatio Auguſtini: Si longinquitas itineris magna interiaceat, ut epiſcopi non facilè ualeant conuenire, an debeat ſine aliorum epiſcoporum pręſentia epiſcopus ordinari? Reſpondit Gregorius: Et quidem in Anglorum eccleſia, in qua adhuc ſolus tu epiſcopus inueniris, ordinare epiſcopū nō aliter, niſi ſine epiſcopis potes. Nā quando de Gallis epiſcopi ueniunt, qui in ordinatione epiſcopi teſtes aſsiſtunt? Sed fraternitatem tuam ita uolumus epiſcopos ordinare, ut ipſi ſibi epiſcopi longo interuallo minimè diſiungātur: quatenus nulla ſit neceſsitas, ut in ordinatione epiſcopi, alij conuenire nō poſsint. Paſtores quoque quorum præſentia ualde eſt utilis, facilè debeant conuenire. Cùm igitur auctore Deo ita fuerint epiſcopi in propinquis ſibi locis ordinati per omnia, epiſcoporum ordinatio ſine aggregatis tribus uel quatuor epiſcopis fieri non debet. Nam in ipſis rebus ſpiritalibus, ut ſapienter & maturè diſponantur, exemplum trahere à rebus etiā carnalibus poſſumus. Certè enim dum coniugia in mundo celebrantur, coniugati quique conuocantur: ut qui in uia iam coniugij præceſſerūt, in ſubſequentis quoque copulæ gaudio miſceantur. Cur non ergo & in hac ſpiritali ordinatione, qua per ſacrum miniſterium homo Deo cōiungitur, tales conueniant, qui uel in profectu ordinati epiſcopi gaudeant, uel pro eius cuſtodia omnipotenti Deo preces pariter fundant? Interrogatio Auguſtini: Qualiter debemus cum Galliarum & Britanniarum epiſcopis agere? Reſpondit Gregorius: In Galliarum epiſcopis nullam tibi auctoritatem tribuimus: quia ab antiquis prædeceſſorum meorum temporibus pallium Arelatenſis epiſcopus accepit, quem nos priuare auctoritate percepta minimè debemus. Si igitur contingat, ut fraternitas tua ad Galliarum prouinciam tranſeat, cum eodem Arelatenſi epiſcopo debet agere, qualiter (ſi qua ſunt uitia in epiſcopis) corrigantur. Qui ſi fortè in diſciplinæ uigore tepidus exiſtat, tuę fraternitatis zelo accēdendus eſt. Cui etiam epiſtolas fecimus, ut cum tuæ ſanctitatis præſentia in Gallijs & ipſe tota mēte ſubueniat, & quę ſunt creatoris noſtri iuſsioni contraria, ab epiſcoporum moribus compeſcat. Ipſe autem ex auctoritate propria epiſcopos Galliarum iudicare non poteris: ſed ſuadendo, blandiendo, bona quoque opera eorum imitationi monſtrando, prauorū mentes ad ſanctitatis ſtudia reforma. Quia ſcriptum eſt in lege, Per alienam meſſem tranſiēs, falcem mittere non debet: ſed manu ſpicas conterere & manducare. Falcem enim iudicij mittere non potes in ea ſegete, quæ alteri uidetur eſſe commiſſa: ſed per effectum boni operis frumenta Dominica uitiorum ſuorum paleis expolia, & in eccleſiæ corpore monendo & perſuadendo, quaſi mādendo conuerte. Quicquid uerò ex auctoritate agendum eſt, cum prędicto Arelatēſi epiſcopo agatur, ne prætermitti poſſit hoc, quod antiqua patrū inſtitutio inuenit. Britanniarū uerò omnes epiſcopos tuæ fraternitati committimus, ut indocti doceantur, infirmi perſuaſione roborentur, peruerſi auctoritate corrigantur. Interrogatio Auguſtini: Si prægnans mulier debeat baptizari? Aut poſtquam genuerit, poſt quātum tempus poſsit eccleſiam intrare? Aut etiam ne morte præoccupetur, quod genuerit, poſt quot dies hoc liceat ſacri baptiſmatis ſacramenta percipere? Aut poſt quantum temporis huic uir ſuus poſsit in carnis copulatione coniungi? Aut ſi menſtrua conſuetudine tenetur, an eccleſiam intrare ei liceat? Aut ſacræ communionis ſacramenta percipere? Aut uir ſuæ coniugi permixtus, priuſquam lauetur aqua, ſi eccleſiam poſsit intrare? Vel etiam ad myſterium communionis ſacræ accedere? Quæ omnia rudi Anglorum genti oportet habere comperta. Reſpondit Gregorius: Hoc non ambigo, fraternitatem tuam eſſe requiſitam, cui iam & reſponſum reddidiſſe me arbitror. Sed hoc quod ipſe dicere & ſentire potuiſti, credo quòd mea apud te uolueris reſponſione firmari. Mulier etenim prægnans cur non debeat baptizari, cùm non ſit ante omnipotentis Dei oculos culpa aliqua fœcūditas carnis? Nam cùm primi parentes noſtri in paradiſo deliquiſſent, immortalitatem, quam acceperant, recto Dei iudicio perdiderunt. Quia itaque ijſdem omnipotens Deus humanum genus pro culpa ſua funditus extinguere noluit, immortalitatem homini pro peccato ſuo abſtulit: & tamen pro benignitate ſuæ pietatis, fœcunditatem ei ſobolis reſeruauit. Quod ergo naturę humanæ ex omnipotentis Dei dono ſeruatum eſt, qua ratione poterit à ſacri baptiſmatis gratia prohiberi? In illo quippe myſterio, in quo omnis culpa funditus extinguitur, ualde ſtultum eſt, ſi donum gratiæ ei contradicere poſſe uideatur. Cum uerò enixa fuerit mulier, poſt quot dies debeat eccleſiā intrare, Teſtamenti ueteris præcepto manifeſtū eſt, quod ita habet: Mulier ſi ſuſcepto ſemine pepererit maſculum, triginta tribus diebus manebit in





ſanguine purificationis ſuæ. Omne ſanctū non tanget, nec ingredietur in ſanctuarium, donec impleantur dies purgationis ſuæ: ſin autem fœminā pepererit, ſexaginta ſex diebus manebit in ſanguine purificationis ſuę. Quod tamē ſciēdum eſt, quia in myſterio accipitur. Nam ſi hora eadem qua genuerit, actura gratias intret eccleſiam, nullo peccati pondere grauatur. Voluptas etenim carnis, nō dolor in culpa eſt. In carnis autē commixtione uoluptas eſt, nam in prolis prolatione gemitus. Vnde & ipſi primæ matri omnium Dei præceptum tranſgreſſæ dictū eſt: Multiplicabo ærumnas tuas, & conceptus tuos, & in doloribus paries. Si itaq; enixam mulierem prohibemus eccleſiam intrare, ipſam ei pœnam ſuam in culpam deputamus. Baptizare autem uel enixam mulierem, uel hoc quod genuerit, ſi mortis periculo urgetur, uel ipſa hora eadem qua gignit, uel hoc quod gignitur eadem qua natū eſt, nullo modo prohibetur: quia ſancti myſterij gratia ſicut uiuētibus atq; diſcernentibus, cum magna diſcretione prouidenda eſt. Ita his quibus mors imminet, ſine ulla dilatione offerenda, ne dum adhuc tempus, ad præbendum redemptionis myſterium quęritur, interueniente paululum mora inueniri non ualeat, qui redimatur. Ad eius ergo concubitum uir ſuus accedere non debet, quoadusq; qui gignitur, ablactetur. Praua autem conſuetudo in coniugatorum moribus effecit, ut mulieres filios quos gignunt, nutrire contemnant, eosq; alijs mulieribus ad nutriendum tradant, quod uidelicet ex ſola cauſa incōtinentiæ uidetur inuentum: quia dum ſe continere nolunt, deſpiciunt lactare quos gignunt. Hæ itaque quæ filios ſuos praua ex conſuetudine alijs ad nutriēdum tradunt, niſi purgationis tempus tranſierit, uiris ſuis non debent admiſceri: quippe & ſine partus cauſa, quum in conſuetis ſuis menſtruis detinētur, uiris ſuis miſceri prohibentur: ita ut morte lex ſacra feriat, ſi quis uir ad menſtruatam mulierem accedat. Quę tamen mulier dum conſuetudinem menſtruam patitur, prohiberi eccleſiam intrare non debet: quia ei naturæ ſuperfluitas in culpam nō ualet reputari, & per hoc quod inuita patitur, iuſtum non eſt, ut ingreſſu eccleſiæ priuetur. Nouimus namque quòd mulier, quę fluxum patiebatur ſanguinis, poſt tergum Domini humiliter ueniens, ueſtimēti eius fimbriam tetigit, atq; ab ea ſtatim ſua infirmitas receſsit. Si ergo in fluxu ſanguinis poſita, laudabiliter potuit Domini ueſtimentum tangere, cur quę menſtruum ſanguinis patitur, ei non liceat Domini eccleſiam intrare? Sed dicis, illam infirmitas compulit: has uerò, de quibus loquimur, conſuetudo conſtringit. Perpende autem frater chariſsime, quia omne quod in hac mortali carne patimur ex infirmitate naturæ, eſt digno Dei iudicio poſt culpam ordinatū. Eſurire nāq;, ſitire, æſtuare, algere, laſſeſcere, ex infirmitate naturæ eſt. Et quid eſt aliud contra famem alimenta, contra ſitim potum, contra æſtum auras, contra frigus ueſtem, contra laſsitudinem requiem quærere, niſi medicamentum quoddā contra ægritudines explorare? Fœminæ itaq; & menſtruus ſui ſanguinis fluxus, ægritudo eſt. Si igitur bene præſumpſit, quę ueſtimētū Domini in languore poſita tetigit, quod uni perſonę infirmanti conceditur, cur nō cōcedatur cunctis mulieribus, quæ naturæ ſuæ uitio infirmantur? Sanctę autē communionis myſteriū in ijſdem diebus percipere, non debet prohiberi. Si autē ex ueneratione magna percipere nō præſumit, laudanda eſt: ſed ſi perceperit, non iudicanda. Bonarum quippe mentium eſt, & ibi aliquo modo culpas ſuas agnoſcere, ubi culpa non eſt: quia ſæpè ſine culpa agitur, quod uenit ex culpa. Vnde etiā cū eſurimus, ſine culpa comedimus: ex culpa aūt primi hominis factū eſt, ut eſuriamus. Menſtrua enim conſuetudo mulieribus nō aliqua culpa eſt, uidelicet quia naturaliter accidit: ſed tamen quia natura ipſa ita uitiata eſt, ut etiā ſine uoluntatis ſtudio uideatur eſſe polluta, ex culpa uenit uitiū, in quo ſe ipſa, qualis per iudicium facta ſit, humana natura, cognoſcat. Et homo qui culpā ſpontè perpetrauit, reatū culpæ portet inuitus. Atq; ideo fœminæ cum ſemetipſas conſiderant, ſi in menſtrua conſuetudine ad ſacramentum Dominici corporis & ſanguinis accedere nō præſumunt, de ſua recta conſideratione laudandæ ſunt: dum uerò percipiendo ex religioſæ uitæ conſuetudine eiuſdem myſterij amore rapiuntur, reprimendæ (ſicut prædiximus) non ſunt. Sicut enim in Teſtamento ueteri exteriora opera obſeruantur: ita in Teſtamento nouo, nō tam quod exterius agitur, quā id quod interius cogitatur, ſolicita intentione attenditur, ut ſubtili ſentētia puniatur. Nam cùm multa lex uelut immunda manducare prohibeat, in Euangelio tamen Dominus dicit: Non quod intrat in os, coinquinat hominē: ſed quæ exeunt de orę, illa ſunt quę coinquinant. Atque paulo pòſt ſubiecit exponens: Ex corde exeūt cogitationes malę. ubi ubertim indicatum eſt, quod illud ab omnipotenti Deo pollutum eſſe in opere oſtenditur, quod ex pollutæ cogitationis radice generatur. Vnde Paulus quoq; apoſtolus dicit: Omnia munda mundis, coinquinatis autem & infidelibus nihil eſt mundum. Atque mox eiuſdem cauſam coinquinationis annuncians ſubiungit: Coinquinata ſunt enim & mens eorum & conſcientia. Si ergo ei cibus immundus non eſt, cui mens immunda non fuerit, cur quòd munda mente mulier ex natura patitur, ei in immundiciam reputetur? Vir autem cum propria coniuge dormiens, niſi lotus aqua intrare eccleſiam non debet: ſed neque lotus ſtatim intrare debet. Lex autem ueteri populo præcipit, ut mixtus uir mulieri & lauari aqua debeat, & ante ſolis occaſum eccleſiam non intrare, quod tamē intelligi ſpiritaliter poteſt: quia mulieri uir miſcetur, quando illicitæ concupiſcentiæ animus in cogitatione per delectationem coniungitur. Quia niſi prius ignis concupiſcētię à mēte deferueat, dignum ſe congregationi fratrum

æſtimare non debet, qui ſe grauari per nequitiam prauæ uoluntatis uidetur. Quamuis de hac re diuerſæ hominum nationes diuerſa ſentiant, atque alia cuſtodire uideantur: Romanorum tamen ſemper ab antiquioribus uſus fuit, poſt admixtionem propriæ coniugis, & lauacri purificationem quærere, & ab ingreſſu eccleſiæ paululum reuerenter abſtinere. Nec hęc dicentes culpam deputamus eſſe coniugium, ſed quia ipſa licita admixtio coniugis ſine uoluptate carnis fieri non poteſt, à ſacri loci ingreſſu abſtinendum eſt: quia uoluptas ipſa eſſe ſine culpa nullatenus poteſt. Non enim de adulterio, uel fornicatione, ſed de legitimo coniugio natus fuerat, qui dicebat: Ecce enim in iniquitatibus conceptus ſum, & in delictis peperit me mater mea. Qui enim in iniquitatibus conceptum ſe nouerat, à delicto ſe natum gemebat: quia portat arbor in ramo humorem uitij, quem traxit ex radice. In quibus tamen uerbis non admixtionem coniugum iniquitatem nominat, ſed ipſam uidelicet uoluptatem admixtionis. Sunt etenim multa quæ licita eſſe probantur ac legitima, & tamen in eorum actu aliquatenus fœdamur: ſicut ſæpe iraſcendo culpas inſequimur, & tranquillitatem in nobis animi perturbamus: & cum rectum ſit quod agitur, non eſt tamen approbabile, quòd in eo animus perturbatur. Contra uitia quippe delinquentium iratus fuerat, qui dicebat: Turbatus eſt præ ira oculus meus. Quia enim non ualet niſi tranquilla mens in contemplationis ſe lucem ſuſpendere, in ira ſuum oculum turbatum dolebat: quia dum malè acta deorſum inſequitur, confundi atq; turbari à ſummorum contemplatione cogebatur. Eſt ergo laudabilis ira contra uitium, & tamen moleſta, quia turbatum ſe aliquem reatum incurriſſe æſtimat. Oportet itaque legitima carnis copula ut cauſa prolis ſit, non uoluptatis: & carnis commixtio, creandorum liberorum ſit gratia, non ſatisfactio uitiorum. Si quis uerò ſua coniuge, non cupidine uoluptatis raptus, ſed ſolummodo creandorum liberorum gratia utitur, iſte profectò ſiue de ingreſſu eccleſiæ, ſiue de ſumendo Dominici corporis ſanguinisq; myſterio, ſuo eſt relinquendus iudicio, quia à nobis prohiberi non debet accipere, qui in igne poſitus neſcit ardere. Cum uerò non amor procreandæ ſobolis, ſed uoluptas dominatur in opere commixtionis: habent coniuges etiam de ſua commixtione quod defleant. Hoc enim eis concedit ſancta prædicatio, & tamen de ipſa conceſsione metu animum concutit. Nam cum Paulus apoſtolus Corinthijs ſcribēs diceret, Qui ſe continere non poteſt, habeat uxorem ſuam: ſtatim ſubiungere curauit, Hoc autem dico ſecundum indulgentiam, non ſecundum imperium: nō enim indulgetur quod licet, quia iuſtum eſt: quod igitur indulgere dixit, culpam eſſe demonſtrauit. Vigilanti uerò mente penſandum eſt, quòd in Sina monte Dominus locuturus ad populum, prius eundē populum abſtinere à mulieribus præcepit. Et ſi illic ubi Dominus per creaturam ſubditam hominibus loquebatur, tanta prouiſione eſt munditia corporis requiſita, ut qui uerba Dei perciperent, mulieribus mixti non eſſent: quanto magis mulieres quæ corpus Domini omnipotentis accipiunt, cuſtodire in ſe munditiam carnis debent, ne ipſa inæſtimabilis myſterij magnitudine grauentur. Hinc etenim ad Dauid de pueris ſuis per ſacerdotem dicitur, ut ſi à mulieribus mundi eſſent, panes propoſitionis acciperent, quos omnino non acciperent, niſi prius mundos eos Dauid à mulieribus fateretur. Tunc autem uir, qui poſt admixtionem coniugis lotus aqua fuerit, etiam ſacræ communionis myſteriū ualet accipere, cùm ei iuxta præfinitam ſententiam etiam eccleſiam licuerit intrare. Interrogatio. Auguſtinus: Si poſt illuſionem, quæ per ſomnium ſolet accidere, uel corpus Domini quilibet accipere ualeat, uel ſi ſacerdos ſit, ſacra myſteria celebrare? Reſpondit Gregorius: Hunc quidem teſtamentum ueteris legis, ſicut & in ſuperiori capitulo iam diximus, pollutum dicit, & niſi lotum aqua ei uſq; ad ueſperam intrare eccleſiam non concedit. Quod tamen aliter populus ſpiritalis intelligens, ſub eodē intellectu accipiet quo præfati ſumus: quia quaſi per ſomnium illuditur, qui tentatus immunditia ueris imaginibus in cogitatione inquinatur, ſed lauandus eſt aqua, ut culpas cogitationis lachrymis abluat. Et niſi prius ignis tentationis receſſerit, reum ſe quaſi uſque ad ueſperum cognoſcat: ſed eſt in eadem illuſione ualde neceſſaria diſcretio, quæ ſubtiliter penſari debet, ex qua re accidat menti dormientis. Aliquando enim ex crapula, aliquando ex naturæ ſuperfluitate uel infirmitate, aliquando ex cogitatione contingit. Ita & quidem cùm ex naturæ ſuperfluitate uel infirmitate euenerit, omnimodo hæc illuſio non eſt timenda: quia hanc animus neſciens pertuliſſe magis dolendum eſt, quàm feciſſe: cum uerò ultra modum appetitus gulæ in ſumendis alimentis rapitur, atque idcirco humorum receptacula grauantur, habet exinde animus aliquem reatum, non tamen uſque ad prohibitionem percipiendi ſancti myſterij, uel miſſarum ſolēnia celebrandi: cum fortaſſe aut feſtus dies exigit, aut exhiberi myſterium (pro eo quod ſacerdos alius in loco deeſt) ipſa neceſsitas cōpellit. Nam ſi adſunt alij, qui implere myſterium ualeant, illuſio pro crapula facta, à perceptione ſacri myſterij prohibere non debet: ſed ab immolatione ſacri myſterij abſtinere (ut arbitror) humiliter debet, ſi tamen dormientis mentem turpi imaginatione non concuſſerit. Nam ſunt quibus ita plerumque illuſio naſcitur, ut eorum animus etiam in ſomno corporis poſitus, turpibus imaginationibus non fœdetur: qua in re unum ibi oſtenditur ipſa mens rea, non tamen uel ſuo iudicio libera, cum ſe, etſi dormienti corpore nihil meminit uidiſſe, tamen in uigilijs corporis meminit in ingluuiem



uiem cecidiſſe. Si uerò ex turpi cogitatione uigilantis oritur illuſio dormientis, patet animo ſuus reatus. Videt enim à qua radice inquinatio illa proceſſerit: quia quod cogitauit ſciens, hoc protulit neſciens. Sed penſandum eſt, ipſa cogitatio utrum ſuggeſtione, an delectatione, uel quod maius eſt, peccati conſenſu acciderit. Tribus etenim modis impletur omne peccatum, uidelicet ſuggeſtione, delectatione, conſenſu. Suggeſtio quippe fit per diabolum: delectatio per carnem: conſenſus per ſpiritum. Quia & primam culpam ſerpens ſuggeſsit, Eua uelut caro delectata eſt, Adam uerò uelut ſpiritus conſenſit. Et neceſſaria eſt magna diſcretio, ut inter ſuggeſtionem atque delectationem: inter delectationem & conſenſum, iudex ſui animus præſideat. Cum enim malignus ſpiritus peccatum ſuggerit in mente, ſi nulla peccati delectatio ſequatur, peccatum omnimodo perpetratum non eſt: cum uerò delectari caro cœperit, tunc peccatum incipit naſci: ſi autem ex deliberatione conſentit, tunc peccatum cognoſcitur perfici: in ſuggeſtione igitur peccati initium eſt, in delectatione fit nutrimentum, in conſenſu perfectio. Et ſæpe contingit, ut hoc quod malignus ſpiritus ſeminat in cogitatione, caro in delectationem trahat, nec tamen anima eidem delectationi conſentiat. Et cum caro delectari ſine anima nequeat, ipſe tamen animus carnis uoluptatibus reluctans, in delectatione carnali aliquo modo ligatur inuitus, ut ei ex ratione contradicat, nec conſentiat, & tamen delectatione ligatus ſit, ſed ligatum ſe uehementer ingemiſcat. Vnde & ille cœleſtis exercitus præcipuus miles gemebat, dicens: Video aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meæ, & captiuum me ducentem in lege peccati, quæ eſt in membris meis. Si autem captiuus erat, minimè pugnabat: ſed etſi pugnabat, quare captiuus erat? Repugnabat igitur legi mentis, cui lex quæ in membris eſt, repugnabat. Si autem pugnabat, captiuus non erat. Ecce itaque homo eſt (ut ita dixerim) captiuus & liber. Liber ex iuſtitia quam diligit: captiuus ex delectatione quam portat inuitus. Hucuſque reſponſiones beati Papæ Gregorij, ad conſulta reuerendiſsimi antiſtitis Auguſtini. Epiſtolam uerò quam ſe Arelatenſi epiſcopo feciſſe commemorat, ad Vergilium Etherij ſucceſſorem dederat: cuius hæc forma eſt.

*Vt Papa Gregorius epiſtolam Arelatenſi epiſcopo, pro adiuuando in opere Dei Auguſtino, miſerit.* Cap. XXVIII.

REuerendiſsimo & ſanctiſsimo fratri Vergilio coëpiſcopo, Gregorius ſeruus ſeruorum Dei: Quantus ſit affectus ueniētibus ſpontè fratribus impendendus, ex eo quòd plerunque ſolent charitatis cauſa inuitari, cognoſcitur. Et ideo ſi communem fratrem Auguſtinū epiſcopum ad uos uenire contigerit, ita illū dilectio ueſtra, ſicut decet affectuoſe dulciterq; ſuſcipiat, ut & ipſum conſolationis ſuę honore foueat, & alios qualiter fraterna charitas colenda ſit, doceat. Et quoniam ſæpius euenit, ut hi qui longè ſunt poſiti, prius ab alijs quæ ſunt emendata cognoſcant: ſi quas fortaſſe fraternitati ueſtræ ſacerdotum uel aliorum culpas intulerint, unà cum eo reſidentes ſubtili cuncta inueſtigatione perquirite: & ita uos in ea quæ Deū offendunt, & ad iracundiam prouocant, diſtrictos ac ſollicitos exhibete, ut ad aliorum emendationem & uindicta culpabilem feriat, & innocentem falſa opinio non affligat. Deus te incolumem cuſtodiat reuerendiſsime frater. Data die decimo Kalendarum Iuliarum, imperante Domino noſtro Mauricio Tiberio pijſsimo Auguſto, Anno decimo octauo, poſt conſulatum eiuſdem domini noſtri, anno decimo nono, indictione quarta.

*Vt idem Auguſtino pallium & epiſtolam, & plures uerbi miniſtros miſerit.* Cap. XXIX.

PRæterea idem papa Gregorius, Auguſtino epiſcopo (quia ſuggeſſerat ei, multam quidem ſibi eſſe meſſem, ſed operarios paucos) miſit cum præfatis legatarijs ſuis plures cooperatores ac uerbi miniſtros, in quibus primi & pręcipui erant Mellitus, Iuſtus, Paulinus, Rufinianus: & per eos generaliter uniuerſa, quæ ad cultum erant ac miniſterium eccleſiæ neceſſaria, uaſa uidelicet ſacra & ueſtimenta altarium, ornamenta quoque eccleſiarum, & ſacerdotalia uel clericalia indumenta, ſanctorum etiam apoſtolorum ac martyrum reliquias, necnon & codices plurimos. Miſit etiam literas, in quibus ſignificat, ſe ei pallium direxiſſe: ſimul & inſinuat qualiter epiſcopos in Britannia conſtituere debuiſſet, quarum literarum iſte eſt textus:

Reuerendiſsimo & ſanctiſsimo fratri Auguſtino coëpiſcopo, Gregorius ſeruus ſeruorū Dei. Cùm certum ſit, pro omnipotenti Deo laborantibus ineffabilia æterni regni præmia reſeruari: nobis tamen eis neceſſe eſt honorū beneficia tribuere, ut in ſpiritalis operis ſtudio ex remuneratione ualeant multiplicius inſudare. Et quia noua Anglorum eccleſia ad omnipotētis Dei gratiam, eodem Domino largiente, & te laborante perducta eſt, uſum tibi pallij in ea ad ſola miſſarum ſolennia agenda, cōcedimus, ita ut per loca ſingula duodecim epiſcopos ordines, qui tuæ ſubiaceāt ditioni, quatenus Lundonienſis ciuitatis epiſcopus ſemper in poſterum à ſynodo propria debeat conſecrari, atque honoris pallium ab hac ſancta & Apoſtolica (cui Deo auctore deſeruio) ſede percipiat. Ad Eboracum uerò ciuitatem te uolumus Epiſcopum mittere, quem ipſe iudicaueris ordinare: ita duntaxat, ut ſi eadem ciuitas cum finitimis locis uerbum Dei receperit, ipſe quoque duodecim epiſcopos ordinet, & metropolitani honore perfruatur: quia ei quoque (ſi uita comes fuerit) pallium tribuere Domino fauente diſponi-

diſponimus, quem tamen tuæ fraternitatis uolumus diſpoſitioni ſubiacere. Poſt obitum uerò tuum ita epiſcopis quos ordinauerit, præſit, ut Lundoniēſis epiſcopi nullo modo ditioni ſubiaceat. Sit uerò inter Lundonienſis & Eboracēſis ciuitatis epiſcopos in poſterum honoris iſta diſtinctio: ut ipſe prior habeatur, qui prius fuerit ordinatus. Communi autem conſilio, concordi actione quæque ſunt pro Chriſti zelo agenda, diſponant unanimiter, rectè ſentiant, & ea quæ ſenſerint, non ſibimet diſcrepando perficiant. Tua uerò fraternitas non ſolùm eōs epiſcopos quos ordinauerit, neque hos tantummodo qui Eboraci per epiſcopum fuerint ordinati, ſed etiam omnes Britanniæ ſacerdotes habeat Deo Domino noſtro Ieſu Chriſto auctore ſubiectos. Quatenus ex lingua & uita tuæ ſanctitatis, & rectè credendi & bene uiuendi normam percipiant, atque officium ſuum fide ac moribus exequentes, ad cœleſtia, quum Dominus uoluerit regna pertingant. Deus te incolumem cuſtodiat, reuerendiſsime frater. Data die decima Kalendarum Iuliarum, imperante domino noſtro Mauricio Tiberio pijſsimo Auguſto, anno decimonono, poſt conſulatū eiuſdē domini anno decimooctauo, indictiōe quarta.

*Exemplar epiſtolæ, quam Mellito abbati Britanniam pergenti miſerit.* *Caput* XXX.

ABeuntibus autem præfatis legatarijs, miſit poſt eos beatus pater Gregorius literas memoratu dignas, in quibus apertè, quàm ſtudioſe erga ſaluationem noſtræ gentis inuigilauerit, oſtendit, ita ſcribens: Dilectiſsimo filio Mellito abbati, Gregorius ſeruus ſeruorum Dei. Poſt diſceſſum congregationis noſtræ quæ tecum eſt, ualde ſumus ſuſpenſi redditi: quia nihil de proſperitate ueſtri itineris audiſſe nos contigit. Quum ergo Deus omnipotens uos ad reuerendiſsimum uirum fratrem noſtrum Auguſtinum epiſcopum perduxerit, dicite ei, quid diu mecum de cauſa Anglorum cogitans tractaui, uidelicet quòd fana idolorum deſtrui in eadem gente minimè debeant: ſed ipſa quæ in eis ſunt idola, deſtruantur: aqua benedicta fiat, in eiſdem fanis aſpergatur, altaria conſtruantur, reliquiæ componantur. Quia ſi fana eadem bene conſtructa ſunt, neceſſe eſt ut à cultu dæmonum in obſequia ueri Dei debeant commutari, ut dum gens ipſa eadem fana ſua non uidet deſtrui, de corde errorem deponat, & Deum uerum cognoſcens ac adorans ad loca quæ conſueuit familiarius concurrat. Et quia boues ſolent in ſacrificio dæmonum multos occidere, debet eis etiam hac de re aliqua ſolennitas immutari. Vt die dedicationis, uel natalitijs ſanctorum martyrum, quorum illic reliquiæ ponuntur tabernacula ſibi circa eaſdem eccleſias, quæ ex fanis commutatæ ſunt, de ramis arborum faciant, & religioſis conuiuijs ſolennitatem celebrēt, nec diabolo iam animalia immolent, ſed ad laudem Dei in eſu ſuo animalia occidant, & donatori omnium de ſatietate ſua gratias referant, ut dum eis aliqua exterius gaudia reſeruantur, ad interiora gaudia conſentire facilius ualeant. Nam duris mentibus ſimul omnia abſcindere impoſsibile eſſe non dubium eſt: quia & is qui ſummum locum aſcendere nititur, gradibus uel paſsibus, non autem ſaltibus eleuatur. Sic Iſraëlitico populo Dominus in Aegypto quidem innotuit, ſed tamen eis ſacrificiorum uſus, quæ diabolo ſolebat exhibere in cultu proprio reſeruauit, ut eis in ſuo ſacrificio animalia immolare præciperet, quatenus cor mutantes, aliud de ſacrificio amitterent, aliud retinerent, ut & ipſa eſſent animalia, quę offerre conſueuerant, uero tamen Deo hæc & non idolis immolantes iam ſacrificia ipſa non eſſent. Hæc igitur dilectionem tuam prædicto fratri neceſſe eſt dicere, ut ipſe in præſenti illic poſitus perpendat, qualiter omnia debeat diſpenſare. Deus te incolumem cuſtodiat dilectiſsime fili. Data die decimaquinta Kalendarum Iuliarum, imperante domino noſtro Mauricio Tiberio pijſsimo Auguſto, anno decimonono, poſt conſulatum eiuſdem domini, anno decimooctauo, indictione quarta.

*Vt Auguſtinum per literas, ne de uirtutibus ſuis gloriaretur, exhortatus ſit.* *Caput* XXXI.

QVo in tempore miſit etiam Auguſtino epiſtolam ſuper miraculis, quæ per eum facta eſſe cognouerat, in qua eum ne per illorum copiam periculum elationis incurreret, his uerbis hortatur: Scio frater chariſsime, quia omnipotens Deus per dilectionem tuam in gentem quam eligi uoluit, magna miracula oſtendit. Vnde neceſſe eſt, ut de eodem dono cœleſti & timendo gaudeas, & gaudendo pertimeſcas. Gaudeas uidelicet, quia Anglorum animæ per exteriora miracula ad interiorem gratiam pertrahuntur: pertimeſcas uerò, ne inter ſigna quæ fiunt, infirmus animus in ſua præſumptione ſe eleuet, & unde foris in honorem tollitur, inde per inanem gloriam intus cadat. Meminiſſe etenim debemus, quòd diſcipuli cum gaudio à prædicatione redeuntes, dum cœleſti magiſtro dicerent, Domine in nomine tuo etiam dæmonia nobis ſubiecta ſunt: protinus audierunt, Nolite gaudere ſuper hoc, ſed potius gaudete, quia nomina ueſtra ſcripta ſunt in cœlo. In priuata enim & temporali lætitia mentem poſuerant, qui de miraculis gaudebant. Sed de priuato ad communem, & de temporali ad æternā lætitiam reuocantur, quibus dicitur, In hoc gaudete, quia nomina ueſtra ſcripta ſunt in cœlo. Non enim omnes electi miracula faciunt, ſed tamen eorum nomina omniū in cœlo tenētur adſcripta. Veritatis etenim diſcipulis eſſe gaudiū non debet, niſi de eo bono, quod commune cum omnibus habent,

& in



& in quo finem lætitię non habent. Reſtat itaq; frater chariſsime, ut inter ea quæ operante Domino exterius facis, ſemper te interius ſubtiliter iudices, ac ſubtiliter intelligas, & temetipſum quis ſis, & quanta ſit in eadem gente gratia, pro cuius conuerſione etiam faciendorum ſignorum dona percepiſti. Et ſi quando te creatori noſtro ſeu per linguam ſeu per opera reminiſceris deliquiſſe, ſemper hæc ad memoriam reuoces, ut ſurgentē cordis gloriam memoria reatus premat. Et quicquid de faciendis ſignis acceperis uel accepiſti, hæc non tibi, ſed eis deputes donata, pro quorū tibi ſalute collata ſūt.

*Vt Edilbertho regi literas & dona miſerit.* *Caput* XXII.

MIſit & idem beatus Papa Gregorius eodē tempore etiam regi Edilbertho epiſtolā, ſimul & dona in diuerſis ſpeciebus perpulchra, temporalibus quoq; honoribus regem glorificare ſatagens, cui gloriæ cœleſtis ſuo labore & induſtria notitiam proueniſſe gaudebat. Exemplar autem præfatæ epiſtolæ hoc eſt: Domino glorioſiſsimo atq; præcellentiſsimo filio Edilbertho regi Anglorum, Gregorius epiſcopus. Propter hoc omnipotens Deus bonos quoſque ad regimina populorum perducit, ut per eos omnibus quibus prælati fuerint, dona ſuæ pietatis impendat. Quod in Anglorū gente factum cognouimus, cui ueſtra gloria eſt idcirco præpoſita, ut per bona, quę uobis conceſſa ſunt, etiam ſubiectæ uobis genti ſuperna beneficia præſtarentur. Et ideo glorioſe fili, eam quam accepiſti diuinitus gratiam, ſollicita mēte cuſtodi, Chriſtianamq; fidem in populis tibi ſubditis extendere feſtina, zelum rectitudinis tuæ in eorum multiplica conuerſione, idolorū cultus inſequere, fanorum ædificia euerte, ſubditorum mores ex magna uitæ munditia exhortando, terrendo, blandiendo, corrigendo, & boni operis exempla monſtrando ædifica, ut illū retributorem inuenias in cœlo, cuius nomē atque cognitionē dilataueris in terra. Ipſe enim ueſtræ quoque gloriæ nomen etiam poſteris glorioſius reddet, cuius uos honorem quæritis & ſeruatis in gentibus. Sic etenim Conſtantinus quondam pijſsimus imperator Romanā rempublicam à peruerſis idolorum cultibus reuocans, omnipotenti Deo, domino noſtro Ieſu Chriſto ſecum ſubdidit, ſeq; cum ſubiectis populis tota ad Deum mente conuertit. Vnde factum eſt, ut antiquorum principum nomen ſuis uir ille laudibus uinceret, & tanto in opinione præceſſores ſuos, quanto & in bono opere ſuperaret. Et nunc itaque ueſtra gloria cognitionem unius Dei patris, & filij & ſpiritus ſancti regibus ac populis ſibimet ſubiectis feſtinet infundere, ut & antiquos gentis ſuæ reges laudibus ac meritis tranſeat, & quanto in ſubiectis ſuis etiam aliena peccata deterſerit, tanto etiam de peccatis proprijs ante omnipotentis Dei terribile examen ſecurior fiat. Reuerendiſsimus frater noſter Auguſtinus epiſcopus, in monaſterij regula doctus, ſacræ ſcripturæ ſcientia repletus, bonis auctore Deo operibus præditus, quæque uos admonet, libenter audite, deuotè peragite, ſtudioſe in memoria reſeruate: quia ſi uos eum in eo quod pro omnipotenti Deo loquitur auditis, idem omnipotēs Deus hunc pro uobis exorantem celerius exaudiet. Si enim (quod abſit) uerba eius poſtponitis, quomodo eum omnipotens Deus poterit audire pro uobis, quem uos negligitis audire pro Deo? Tota igitur mente cum eo uos in feruore fidei ſtringite, atque ad niſum illius uirtute quam uobis diuinitas tribuit adiuuante, ut regni ſui uos ipſe faciat participes, cuius uos fidem in regno ueſtro recipi facitis & cuſtodiri. Præterea ſcire ueſtram gloriam uolumus, quòd ſicut in ſcriptura ſacra ex uerbis Domini omnipotentis agnoſcimus, præſentis mundi iam terminus iuxtà eſt, & ſanctorum regnū uenturum eſt, quod nullo unquam poterit fine terminari. Appropinquante autem eodem mundi termino, multa imminent quæ antea non fuerunt, uidelicet immutationes aëris, terroresq; de cœlo, & contra ordinem temporum tempeſtates, bella, fames, peſtilentiæ, terræmotus per loca: quæ tamen non omnia noſtris diebus uentura ſunt, ſed poſt noſtros dies omnia ſubſequentur. Vos itaque, ſi qua ex his euenire in terra ueſtra cognoſcitis, nullo modo animum ueſtrum perturbetis: quia idcirco hæc ſigna de fine ſeculi præmittuntur, ut de animabus noſtris debeamus eſſe ſoliciti, de mortis hora ſuſpecti, & uenturo iudici in bonis actibus inueniamur eſſe præparati. Hæc nunc glorioſe fili paucis locutus ſum, ut cum Chriſtiana fides in regno ueſtro excreuerit, noſtra quoque locutio apud uos latior excreſcat, & tanto plus loqui libeat, quanto ſe in mente noſtra gaudia de gentis ueſtræ perfecta conuerſione multiplicant. Parua autē xenia tranſmiſi, quæ uobis parua non erunt, quum à uobis ex beati Petri apoſtoli fuerint benedictione ſuſcepta. Omnipotens itaque Deus, in uobis gratiam ſuam quam cœpit perficiat, atque uitam ueſtram, & hic per multorum annorum curricula extendat, & poſt longa tempora in cœleſtis uos patriæ congregatione recipiat. Incolumem excellentiam ueſtram gratia ſuperna cuſtodiat domine fili. Data die decima Kalendarum Iuliarum, imperante domino noſtro Mauritio Tiberio pijſsimo Auguſto, anno decimonono, poſt conſulatum eiuſdem anno decimooctauo, indictione quarta.

*Vt Auguſtinus eccleſiam Saluatoris inſtaurauerit, & monaſterium beati Petri apoſtoli fecerit, & de primo eius abbate Petro.* *Caput* XXXIII.

AT Auguſtinus ubi in regia ciuitate ſedem epiſcopalem (ut prædiximus) accepit, recuperauit in ea, regio fultus adminiculo, eccleſiam

ſiam

ſiam quam ibi Romanorum antiquorum fidelium opere factam fuiſſe didicerat, & eam in nomine ſancti ſaluatoris Dei & domini noſtri Ieſu Chriſti ſacrauit, atq; ibidem ſibi habitationē ſtatuit & cunctis ſucceſſoribus ſuis. Fecit autē & monaſterium non longè ab ipſa ciuitate ad Orientem, in quo eius hortatu Edelbert eccleſiam beatorũ apoſtolorum Petri & Pauli à fundamentis conſtruxit, ac diuerſis donis ditauit, in qua & ipſius Auguſtini & omnium epiſcoporum Dorouernienſium, ſimul & regum Cantij poni corpora poſſent. Quam tamen eccleſiā non ipſe Auguſtinus, ſed ſucceſſor eius Laurētius conſecrauit. Primus autem eiuſdem monaſterij abbas Petrus presbyter fuit, qui legatus Galliam miſſus, demerſus eſt in ſinu maris, qui uocatur Ampleat, & ab incolis loci ignobili traditur ſepulturæ: ſed omnipotens Deus, ut qualis meriti uir fuerit demonſtraret, omni nocte ſupra ſepulchrum eius lux cœleſtis apparuit, donec animaduertentes uicini, qui uidebant ſanctum fuiſſe uirũ, qui ibi eſſet ſepultus, & inueſtigantes unde & quis eſſet, abſtulerunt corpus, & in Bononia ciuitate iuxta honorem tanto uiro congruum in eccleſia poſuerunt.

*Vt Edelfridus rex Nord Humbrorum Scottorum gentes prælio conterens, ab Anglorum finibus expulſus eſt. Caput* XXXIIII.

HIs temporibus Norda Humbrorum regno præfuit rex fortiſsimus, & gloriæ cupidiſſimus Edelfridus, qui plus omnibus Anglorum primatibus gentem uaſtabat Britonum, ita ut Sauli quondam, regi Iſraëliticæ gentis comparandus uideretur: excepto duntaxat hoc, quòd diuinæ erat religionis ignarus. Nemo enim in tribunis, nemo in regibus plures eorum terras, exterminatis uel ſubiugatis indigenis, aut tributarias genti Anglorum, aut habitabiles fecit. Cui meritò poterat illud, quod benedicens filium Patriarcha in perſona Saulis dicebat, aptari: Beniamin lupus rapax, mane comedet prædam, & ueſpere diuidet ſpolia. Vnde motus eius profectibus Edan rex Scottorum, qui Britanniam inhabitant, uenit contra eum cum immenſo ac forti exercitu, ſed cum paucis uictus aufugit. Siquidē in loco celeberrimo, qui dicitur Degſaſtē, id eſt, degſa lapis, omnis penè eius eſt cæſus exercitus. In qua etiam pugna Theodbaldus frater Edilfridi, cum omni illo, quē ipſe ducebat exercitu, perēptus eſt. Quod uidelicet bellũ Edilfridus anno ab incarnatione Domini ſexcenteſimo tertio, regni autē ſui, quod uigintiquatuor annis tenuit, anno undecimo perfecit. Porrò anno Focatis, qui tum regni Romani apicē tenebat, primo. Neq; ex eo tempore quiſquam regum Scottorũ in Britanniam aduerſus gentem Anglorum uſq; ad hanc diem in prælium uenire audebat.

LIBRI PRIMI FINIS.

# Eccleſiaſticæ Hiſtoriæ gentis Anglorum,

## LIBER II.

*De obitu beati Papæ Gregorij. Caput I.*

HIS temporibus, id eſt, anno Dominicæ incarnationis ſexcenteſimo quinto, beatus Papa Gregorius, poſtquam ſedē Romanæ & apoſtolicæ eccleſiæ tredecim annos, mēſes ſex, & dies decē glorioſiſsimè rexit, defunctus eſt, atq; ad æternam regni cœleſtis ſedem translatus. De quo nos conuenit (quia noſtram, id eſt, Anglorum gentem de poteſtate Satanæ ad fidem Chriſti ſua induſtria conuertit) latiorem in noſtra hiſtoria Eccleſiaſtica facere ſermonē, quem rectè noſtrum appellare poſſumus & debemus Apoſtolum. Quia cum primum in toto orbe gereret pontificatum, & conuerſis iamdudum ad fidem ueritatis eſſet prælatus eccleſijs, noſtram gentem eatenus idolis mancipatam Chriſti fecit eccleſiam, ita ut apoſtolicum illum de eo liceat nobis proferre ſermonem, Quia & ſi alijs non eſt apoſtolus, ſed tamen nobis eſt. Nam ſignaculum apoſtolatus eius nos ſumus in Domino. Erat autem natione Romanus, ex patre Gordiano, genus à proauis non ſolum nobile, ſed & religioſum ducens. Deinde Felix eiuſdem ſedis Apoſtolicæ quondam epiſcopus, uir magnæ glorię in Chriſto & eccleſię eius fuit atauus. Sed & ipſe nobilitatem religionis non minore quàm parentes & cognati uirtute deuotionis exercuit. Nobilitatem uerò illam, quam ad ſeculum uidebatur habere, totam ad nanciſcendam ſupernæ gloriā dignitatis diuina gratia largiente conuertit. Nam mutato repentè ſeculari habitu, monaſterium petijt, in quo tanta perfectionis gratia cœpit conuerſari, ut (ſicut ipſe poſtea flendo atteſtari ſolebat) animo illius labentia cuncta ſubtereſſent, ut rebus omnibus quę uoluuntur, emineret, ut nulla niſi cœleſtia cogitare ſoleret, ut etiam retentus corpore ipſa iam carnis clauſtra contēplatione tranſiret, ut mortem quoq;, quæ penè cunctis pœna eſt: uidelicet ut ingreſſum uitę & laboris ſui pręmium amaret. Hoc autem ipſe de ſe non profectum iactando uirtutũ, ſed deflendo potius defectum, quem (ut referre conſueuerat) ſibi per curam paſtoralem incurriſſe uidebatur. Denique tempore quodam ſecreto, cum diacono ſuo Petro colloquens, enumeratis animi ſui uirtutibus priſcis mox dolendo ſubiunxit. At nunc ex occaſione curæ paſtoralis ſecularium hominũ negocia patitur, & poſt tam pulchram quietis ſuæ ſpeciē terreni actus puluere fœdatur. Cũq; ſe pro condeſcenſione multorum ad exteriora ſparſerit, etiam cum interiora appetit, ad hæc





proculdubio minor redijt. Perpendo itaq; quid tolero: perpendo quid amiſi, dumq; intueor illud quod perdidi, fit hoc grauius quod porto. Hæc quidem ſanctus uir ex magna humilitatis intentione dicebat: ſed nos credere decet, nihil eum monaſticæ perfectionis perdidiſſe, occaſione curæ paſtoralis, imò potiorem tunc ſumpſiſſe profectum de labore conuerſionis multorũ, quàm de propria quondam quiete conuerſationis habuerat, maximè quia & pontificali functus officio, domum ſuam monaſterium facere curauit. Et dum primum de monaſterio abſtractus, ad miniſterium altaris ordinatus, atq; Conſtantinopolim apocriſarius ab apoſtolica ſede directus eſt, non tamen in terreno conuerſatus palatio, propoſitum uitæ cœleſtis intermiſit. Nam quoſdam fratrum ex monaſterio ſuo, qui eum gratia germanæ charitatis ad regiam urbem ſecuti ſunt, in tutamentum cœpit obſeruātiæ regularis habere, uidelicet ut eorũ ſemper exemplo (ſicut ipſe ſcribit) ad orationis placidum littus, quaſi anchoræ fune reſtringeretur, cum inceſſabili cauſarum ſecularium impulſu fluctuaret, concuſſamq; ſeculi actibus mentem inter eos quotidie per ſtudioſæ lectionis roboraret alloquium. Horum ergo conſortio non ſolum à terrenis eſt munitus incurſibus, uerumetiam ad cœleſtis exercitia uitæ magis magiſq; ſuccenſus. Nam hortati ſunt eum, ut librũ beati Iob magnis inuolutum obſcuritatibus, myſtica interpretatione diſcuteret: neq; negare potuit opus, quod ſibi fraternus amor multis utile futurum imponebat. Sed eundem librum, quomodo iuxta literam intelligendus, qualiter ad Chriſti & eccleſiæ ſacramenta referendus, quo ſenſu unicuiq; fidelium ſit aptandus, per triginta quinq; libros expoſitionis, miranda ratione perdocuit: quod uidelicet opus in regia quidē urbe apocriſarius inchoauit, Romæ autē iam factus pontifex impleuit. Qui cum eſſet adhuc regia in urbe poſitus, naſcentem ibi nouam hæreſim de ſtatu noſtræ reſurrectionis, cum ipſo quo exorta eſt initio, iuuante ſe gratia catholicæ ueritatis attriuit. Siquidē Euthichius eiuſdē urbis epiſcopus dogmatizabat, corpus noſtrũ in illa reſurrectionis gloria impalpabile, uentis aeriq; ſubtilius eſſe futurum. Quod ille audiēs, & ratione ueritatis, & exemplo Dominicæ reſurrectionis probauit hoc dogma orthodoxæ fidei omnibus modis eſſe contrarium. Catholica etenim fides habet, quòd corpus noſtrum in illa immortalitatis gloria ſublimatum, ſubtile quidem ſit per effectum ſpiritalis potentiæ, ſed palpabile per ueritatem naturę, iuxta exemplũ Dominici corporis, de quo à mortuis ſuſcitato, dicit ipſe diſcipulis: Palpate & uidete, quia ſpiritus carnem & oſſa nō habet, ſicut me uidetis habere. In cuius aſſertione fidei uenerabilis pater Gregorius, in tantum contra naſcentem hæreſim nouam laborare contendit, tanta hac inſtantia iuuante etiam pijſsimo imperatore Tiberio Conſtantino comminuit, ut nullus exinde ſit inuentus, qui eius reſuſcitator exiſteret.

Alium quoq; librum compoſuit egregium, qui uocatur Paſtoralis, in quo manifeſta luce patefecit, qualis ad eccleſiæ regimen aſſumi, qualiter ipſi rectores uiuere, qua diſcretione ſingulas quaſque audientium inſtruere perſonas, & quanta conſideratione propriam quotidie debeant fragilitatem penſare. Sed & Homilias euangelij numero quadraginta cōpoſuit, quas in duobus codicibus æqua ſorte diſtinxit. Libros etiam dialogorũ quatuor fecit, in quibus rogatu Petri diaconi ſui uirtutes ſanctorum, quos in Italia clariores noſſe uel audire poterat, ad exemplum uiuendi poſteris collegit, ut (ſicut in libris expoſitionum ſuarum, quibus ſit uirtutibus inſudandum edocuit) ita etiam deſcriptis ſanctorum miraculis, quæ uirtutum earundem ſit claritas oſtenderet. Primam quoq; & ultimam Ezechielis prophetæ partem, quæ uidebantur obſcuriores, per homilias uiginti duas, quantum lucis intus habeant, demonſtrauit: excepto libello reſponſionum, quem ad interrogationes ſancti Auguſtini primi Anglorũ gentis epiſcopi ſcripſit, ut ſuprà docuimus, totum ipſum libellum his inſerentes hiſtorijs: libello quoq; Synodico, quem cum epiſcopis Italiæ de neceſſarijs eccleſiæ cauſis utiliſsimũ compoſuit: & familiaribus ad quoſdā literis. Quod eo magis mirum eſt, tot eum ac tanta condere uolumina potuiſſe, quòd penè omni iuuentutis ſuę tempore (ut uerbis ipſius loquar) crebris uiſcerum doloribus cruciabatur, horis momentiſq; omnibus fracta ſtomachi uirtute laſſeſcebat, lentis quidem, ſed tamē continuis febribus anhelabat. Verùm inter hæc dum ſolicitus penſaret, quia ſcriptura teſte, omnis filius qui recipitur, flagellatur, quo malis pręſentibus durius deprimebatur, eo de æterna certius præſumptione reſpirabat. Hæc quidem de immortali eius dicta ſint ingenio, quod nec tāto corporis potuit dolore reſtringi. Nam alij quidem pontifices conſtruendis ornandiſq; auro uel argento eccleſijs operam dabant: hic autem totus erga animarum lucra uacabat. Quicquid pecuniæ habuerat, hoc ſedulus diſpergere ac dare pauperibus curabat, ut iuſtitia eius maneret in ſeculum ſeculi, & cornu eius exaltaretur in gloria: ita ut illud beati Iob ueraciter dicere poſsit, Auris audiens beatificabat me, & oculus uidens teſtimonium reddebat mihi: eo quòd liberaſſem pauperem uociferantem, & pupillum cui non eſſet adiutor. Benedictio perituri ſuper me ueniebat, & cor uiduæ conſolatus ſum. Iuſtitia indutus ſum, & ueſtiuit me ſicut ueſtimento & diademate iudicio meo. Oculus fui cæco, & pes claudo. Pater eram pauperum, & cauſam quam neſciebam, diligētiſsimè inueſtigabam. Cōterebam molas iniqui, & de dentibus illius auferebam prędam. Et paulo pòſt: Si negaui, inquit, quod uolebāt pauperibus, & oculos uiduę expectare feci. Si comedi buccellā meā ſolus, & nō comedi pupillus ex ea. Quia ab infantia mea creuit mecum miſeratio, & de utero matris meæ egreſſa eſt mecum. Ad cuius pietatis

& iuſtitię opus pertinet etiam hoc, quòd noſtrã gentem per prædicatores quos huc direxit, de dentibus antiqui hoſtis eripiens, æternæ libertatis fecit eſſe participem: cuius fidei & ſaluti congaudens, quanque digna laude commendans, ipſe dicit in expoſitione beati Iob: Ecce lingua Britãniæ, quæ nihil aliud nouerat quàm barbarum frendere, iamdudum in diuinis laudibus Hebræum cœpit alleluia reſonare. Ecce quondam tumidus, iam ſubſtratus ſanctorum pedibus, ſeruit oceanus, eiuſq; barbaros motus, quos terreni principes edomare ferro nequiuerant, hos pro diuina formidine ſacerdotũ ora ſimplicibus uerbis ligant: & qui cateruas pugnantium infideles nequaquam metueret, iam nũc fideles humilium linguas timet. Quia enim præceptis, cœleſtibus uerbis, clareſcentibus quoque miraculis, uirtus ei diuinæ cognitionis infunditur, eiuſdem diuinitatis terrore refrenatur, ut prauè agere metuat, ac totis deſiderijs ad æternitatis gloriam uenire concupiſcat. Quibus uerbis beatus Gregorius hoc quoque declarat, quòd ſanctus Auguſtinus, & ſocij eius non ſola prædicatione uerborum, ſed etiam cœleſtium oſtenſione ſignorum gentem Anglorũ ad agnitionem ueritatis perducebant. Fecit inter alia beatus papa Gregorius, ut in eccleſijs beatorum apoſtolorũ Petri & Pauli, ſuper corpora eorum miſſæ celebrarentur. Sed & in ipſa miſſarum celebratione tria uerba maximę perfectionis plena ſuper adiecit, Dieſq; noſtros in tua pace diſponas, atq; ab æterna damnatione nos eripi, & in electorum tuorum iubeas grege numerari. Rexit autem eccleſiam temporibus imperatorũ Mauricij & Focatis. Secundo autem eiuſdem Focatis anno tranſiens ex hac uita, migrauit ad ueram, quæ in cœlis eſt, uitam. Sepultus uerò eſt corpore in eccleſia beati Petri apoſtoli ante ſecretarium, die quarto iduum Martiarũ: quandoq; in ipſo cum cæteris ſanctę eccleſiæ paſtoribus reſurrecturus in gloria: ſcriptumq; eſt in tũba ipſius Epitaphiũ huiuſmodi,

Suſcipe terra tuo corpus de corpore ſumptũ,
 Reddere quod ualeas uiuificante Deo.
Spiritus aſtra petit, lethi nil iura nocebunt,
 Cui uitæ alterius mors magis ipſa uia eſt.
Põtificis ſũmi hoc claudũtur mẽbra ſepulchro,
 Qui innumeris ſemper uiuit ubiq; bonis.
Eſuriem dapibus ſuperauit, frigora ueſte,
 Atq; animas monitis texit ab hoſte ſacris.
Implebatq; actu, quicquid ſermone docebat,
 Eſſet ut exemplum, myſtica uerba loquens.
Ad Chriſtũ Anglos cõuertit pietate magiſtra,
 Acquirẽs fidei agmina gẽte noua. (agebas,
Hic labor, hoc ſtudiũ, hæc tibi cura, hoc paſtor
 Vt Domino offerres plurima lucra gregis.
Hiſq; Dei conſul factus lætare triumphis,
 Nam mercedẽ operum iam ſine fine tenes.

Nec ſilentio prætereunda opinio, quæ de Beato Gregorio, traditione maiorum, ad nos uſque perlata eſt: qua uidelicet ex cauſa admonitus, tam ſedulam erga ſalutem noſtræ gentis curam geſſerit. Dicunt, quia die quadam cum aduenientibus nuper mercatoribus multa uenalia in forum fuiſſent collata, multiq; ad emẽdum confluxiſſent, & ipſum Gregorium inter alios aduenisse, ac uidiſſe inter alia pueros uenales poſitos, candidi corporis, ac uenuſti uultus, capillorum quoque forma egregia. Quos cum aſpiceret, interrogauit (ut aiunt) de qua regione uel terra eſſent allati? dictumq; eſt quòd de Britãnia inſula, cuius incolæ tales eſſent aſpectu. Rurſus interrogauit, utrum ijdem inſulani Chriſtiani, an paganis adhuc erroribus eſſent implicati? Dictumq; eſt, quòd eſſent pagani. At ille intimo ex corde longa trahẽs ſuſpiria: Heu proh dolor, inquit, quòd tam lucidi uultus homines tenebrarum auctor poſsidet, tantaq; gratia frontis conſpicui mentem ab interna gratia uacuã geſtant. Rurſus ergo interrogauit, quod eſſet uocabulum gentis illius? Reſponſum eſt, quòd Angli uocarentur. At ille, Bene, inquit. Nam & angelicam habent faciem, & tales angelorum in cœlis decet eſſe cohæredes. Quod (ait) habet nomẽ ipſa prouincia, de qua iſti ſunt allati? Reſponſum eſt, quòd Deiri uocarentur ijdem prouinciales. At ille, Bene, inquit, Deiri de ira eruti, & ad miſericordiam Chriſti uocati. Rex prouinciæ illius quomodo uocatur? Reſponſum eſt, quòd Elle diceretur. At ille alludens ad nomen, ait: Alleluia laudem Dei creatoris illis in partibus oportet cãtari. accedẽſq; ad pontificem Romanę & Apoſtolicę ſedis (nõdum enim erat ipſe pontifex factus) rogauit, ut genti Anglorum in Britanniam aliquos uerbi miniſtros, per quos ad Chriſtũ conuerteretur, mitteret: ſeipſum paratum eſſe in hoc opus, Domino cooperante, perficiendum, ſi tamen apoſtolico papæ, hoc ut fieret, placeret. Quod dum perficere non poſſet, quia etſi pontifex concedere illi quod petierat, uoluit: non tamen ciues Romani ut tã longè ab urbe ſecederet, potuere permittere. Mox ut ipſe pontificatus officio functus eſt, perfecit opus diu deſideratũ: alios quidem prædicatores mittens, ſed ipſe prędicationẽ ut fructificaret, ſuis exhortationibus ac precibus adiuuans. Hæc iuxta opinionem quã ab antiquis accepimus, hiſtoriæ noſtræ eccleſiaſticæ inſerere optimum duximus.

*Vt Auguſtinus Britonum epiſcopos pro pace catholica etiam miraculo cœleſti coram eis facto monuerit, quæ ue illos ſpernentes ultio ſecuta ſit. Caput II.*

INterea Auguſtinus adiutorio uſus Edilberthi regis, conuocauit ad ſuum colloquium epiſcopos ſiue doctores maximæ & proximæ Britonum prouinciæ, in loco ubi uſque hodie lingua Anglorum Auguſtineizat, id eſt, robur Auguſtini, in cõfinio Vectiorũ & occidẽtaliũ Saxonũ appellatur: cœpitq; eis fraterna admonitione ſuadere, ut pace catholica ſecũ habita, communẽ euangelizãdi gẽtibus pro Domino laborẽ ſuſciperẽt. Nõ enim paſchę diẽ Domini cũ ſuo tẽpore, ſed à decimaquarta uſq; ad uice-
ſimam



ſimam lunam obſeruabant. Quæ computatio octoginta quatuor annorũ circulo continetur. Sed & alia plurima unitati eccleſię contraria faciebant. Qui cum longa diſputatione habita, neq; precibus neq; hortamentis neq; increpationibus Auguſtini ac ſociorum eius aſſenſum præbere uoluiſſent, ſed ſuas potius traditiones uniuerſis, quę per orbem ſibi in Chriſto concordant, eccleſijs præferrent, ſanctus pater Auguſtinus hũc laborioſi ac longi certaminis finem fecit, ut diceret: Obſecremus Deum, qui habitare facit unanimes in domo patris ſui, ut ipſe nobis inſinuare cœleſtibus ſignis dignetur, quæ ſequenda traditio, quibus ſit uijs ad ingreſſum regni illius properandum. Adducatur aliquis æger, & per cuius preces fuerit curatus, huius fides & operatio Deo deuota atque omnibus ſequenda credatur. Quod cum aduerſarij inuiti licet concederent, allatus eſt quidam de genere Anglorũ oculorum luce priuatus, qui cum oblatus Britonũ ſacerdotibus nil curationis uel ſanationis horum miniſterio perciperet: tandẽ Auguſtinus iuſta neceſsitate compulſus, flectit genua ſua ad patrem Domini noſtri Ieſu Chriſti, deprecans ut uiſum cæco, quem amiſerat, reſtitueret, & per illuminationem unius hominis corporalem in plurimorum cordibus fidelium ſpiritalis gratia lucem accenderet. Nec mora, illuminatur cæcus, ac uerus ſummæ lucis præco ab omnibus prædicatur Auguſtinus. Tum Britones confitentur quidem intellexiſſe ſe, ueram eſſe uiam iuſtitiæ quam prædicaret Auguſtinus: ſed non ſe poſſe abſq; ſuorum conſenſu ac licentia priſcis abdicare moribus. Vnde poſtulabant, ut ſecũdò ſynodus pluribus aduenientibus fieret. Quod cum eſſet ſtatutum, uenerũt (ut perhibent) ſeptem Britonũ epiſcopi, & plures uiri doctiſsimi, maximè de nobiliſsimo eorum monaſterio, quod uocatur lingua Anglorum Bancornaburg, cui tempore illo Dinooth abbas præfuiſſe narratur, qui ad prefatum ituri concilium, uenerunt primò ad quẽdam uirum ſanctum ac prudentem, qui apud eos anachoriticam ducere ſolebat uitam, conſulentes, an ad prædicationem Auguſtini ſuas deſerere traditiones deberent? Qui reſpõdebat: Si homo Dei eſt, ſequimini illum. Dixerũt, Et unde hoc poſſumus probare? At ille, Dominus inquit, ait: Tollite iugum meum ſuper uos, & diſcite à me, quia mitis ſum & humilis corde. Si ergo Auguſtinus ille mitis eſt & humilis corde, credibile eſt, quia iugum Chriſti & ipſe portet, & uobis portandum offerat: ſin autem immitis ac ſuperbus eſt, conſtat, quia non eſt de Deo, neq; nobis eius ſermo curandus eſt. Qui rurſus aiebant, Et unde uel hoc dinoſcere ualemus? Procurate, inquit, ut ipſe prior cum ſuis ad locum ſynodi adueniat, & ſi uobis appropinquantibus aſſurrexerit, ſcientes quia famulus Chriſti eſt, obtemperanter illum audite. Sin autem uos ſpreuerit, nec coram uobis aſſurgere uoluerit, cum ſitis numero plures, & ipſe ſpernatur à uobis. Fecerunt ut dixerat. Factumq; eſt, ut uenientibus illis ſederet Auguſtinus in ſella. Quod illi uidentes, mox in iram conuerſi ſunt, eumq; notantes ſuperbiæ, cunctis quæ dicebat, contradicere laborabant. Dicebat autẽ eis, quòd in multis quidem noſtræ conſuetudini, imò uniuerſalis eccleſię contraria geritis: & tamen ſi in tribus his mihi obtemperare uultis, ut paſcha ſuo tempore celebretis, ut miniſterium baptizandi, quo Deo renaſcimur, iuxta morem Romanę ſanctę eccleſiæ & Apoſtolicæ eccleſiæ compleatis, ut genti Anglorum unà nobiſcum prædicetis uerbum Domini: cætera quæ agitis quamuis moribus noſtris contraria, æquanimiter cuncta tolerabimus. At illi nihil horum ſe facturos, neque illum pro archiepiſcopo habituros eſſe reſpondebant: conferentes ad inuicem, quia ſi modò nobis aſſurgere noluit, quanto magis ſi ei ſubdi cœperimus, iam nos pro nihilo cõtemnet. Quibus uir Domini Auguſtinus fertur minitans prædixiſſe, quòd ſi pacem cum fratribus accipere nollent, bellum ab hoſtibus forent accepturi. Et ſi nationi Anglorum noluiſſent uiam uitę prædicare, per horum manus ultionem eſſent mortis paſſuri. Quod ita per omnia (ut prędixerat) diuino agente iudicio patratum eſt. Siquidem poſt hæc ipſe, de quo diximus, rex Anglorum fortiſsimus Edilfridus collecto grandi exercitu ad ciuitatem Legionum, quę à gente Anglorum Legaceſtir: à Britonibus autem rectius Carlegion appellatur, maximam gentis perfidæ ſtragem dedit. Cumq; bellum acturus uideret ſacerdotes eorum, qui ad exorãdum Deum pro milite bellum agente conuenerãt, ſeorſum in tutiore loco conſiſtere: ſciſcitabatur qui eſſent ij, quid ue acturi illò cõueniſſent? Erant autem plurimi eorum de monaſterio Bancor, in quo tãtus fertur fuiſſe numerus monachorum, ut cum in ſeptem portiones eſſet cum præpoſitis ſibi rectoribus monaſterium diuiſum, nulla harum portio minus quàm trecentos homines haberet, qui omnes de labore manuum ſuarum uiuere ſolebãt. Horum ergo plurimi ad memoratã aciem, peracto ieiunio triduano, cum alijs orandi cauſa conuenerunt, habentes defenſorẽ nomine Brocmalium, qui eos intentos precibus à Barbarorum gladijs protegeret. Quorũ cauſam aduentus cum intellexiſſet rex Edilfridus, ait: Ergo ſi aduerſum nos ad Deum ſuum clamant, profectò & ipſi, quamuis arma non ferant, contra nos pugnant, qui aduerſis nos imprecationibus perſequuntur. Itaq; in hos primum arma uerti iubet, & ſic cæteras nefandæ militiæ copias, non ſine magno exercitus ſui damno, deleuit. Extinctos in ea pugna ferunt, de his qui ad orandum uenerunt, uiros circiter mille ducentos, & ſolùm quinquaginta fuga eſſe lapſos. Brocmalius ad primum hoſtium aduentum cum ſuis terga uertens, eos quos defendere debuerat, inermes ac nudos ferientibus gladijs reliquit. Sicq; completum eſt pręſagium ſancti pontificis Auguſtini, quamuis ipſo iam multo antè tempore ad cœleſtia regna ſublato, ut etiam temporalis interitus ultionem ſen-

tirent perfidi, quòd oblata ſibi perpetuæ ſalutis conſilia ſpreuerant.

*Vt idem Mellitum ac Iuſtum epiſcopos fecerit, & de obitu eius.* Caput III.

ANno Dominicæ incarnationis ſexcenteſimo quarto, Auguſtinus Britanniarum archiepiſcopus ordinauit duos epiſcopos, Mellitum uidelicet & Iuſtum: Mellitũ quidẽ ad prædicandum prouinciæ orientalium Saxonum, qui Thameſi fluuio dirimũtur à Cantio, & ipſi orientali mari contigui, quorũ metropolis Londonia ciuitas eſt, ſuper ripam præfati fluminis poſita, & ipſa multorum emporium populorũ terra mariq; uenientium: in qua uidelicet gente tũc temporis Saberethus nepos Edelberthi ex ſorore Ricula regnauit, quamuis ſub poteſtate poſitus eiuſdem Edelberthi, qui omnibus (ut ſuprà dictum eſt) uſq; ad terminum Humbri fluminis Anglorum gentibus imperabat. Vbi uerò & hæc prouincia uerbum ueritatis prædicante Mellito accepit, fecit rex Edelberthus in ciuitate Londonia eccleſiam ſancti Pauli apoſtoli, in qua locum ſedis epiſcopalis & ipſe & ſucceſſores eius haberent. Iuſtũ uerò in ipſo Cantio Auguſtinus ordinauit epiſcopũ, in ciuitate Dorouerni, quam gens Anglorum à primario quondam illius qui dicebatur Rotſcheſter, cognominat. Diſtat autem à Dorouerni milibus paſſuum fermè uiginti quatuor ad occidẽtem, in qua rex Edelberthus eccleſiã beati Andreæ apoſtoli fecit, qui etiã epiſcopis utriuſq; huius eccleſiæ dona multa, ſicut & Dorouernienſis obtulit: ſed & territoria ac poſſeſsiones in uſum eorum, qui erant cum epiſcopis, adiecit. Defunctus eſt autem Deo dilectus pater Auguſtinus, & poſitum corpus eius foras iuxta eccleſiam beatorum apoſtolorum Petri & Pauli, cuius ſuprà meminimus, quòd ea necdum fuerat perfecta, nec dedicata: mox uerò ut dedicata eſt, intrò illata, in porticu illius aquilonari decenter ſepultum eſt: in qua etiam ſequentium archiepiſcoporũ omnium ſunt corpora tumulata, præter duorum tantummodo, id eſt, Theodori & Berthuualdi, quorum corpora in ipſa eccleſia poſita ſunt, eo quòd prædicta porticus plura capere nequiuit. Habet hæc in medio ſui penè altare in honorem beati Gregorij papæ dedicatum, in quo per omne ſabbatum à preſbytero loci illius agendæ eorum ſolenniter celebrantur. Scriptum uerò eſt in tumba eiuſdem Auguſtini epitaphium huiuſmodi: Hic requieſcit Dominus Auguſtinus Dorouernenſis archiepiſcopus primus, qui olim huc à beato Gregorio Romanæ urbis pontifice directus, & à Deo operatione miraculorũ ſuffultus, & Edelberthum regem, ac gentem illius ab idolorum cultu ad fidem Chriſti perduxit, & completis in pace diebus officij ſui defunctus eſt ſeptimo Kalendas Iunias, eodem rege regnante.

*Vt Laurentius cum epiſcopis ſuis Scottos unitatem ſanctæ Eccleſiæ, & maximè in paſcha obſeruando ſequi monuerit: & ut Mellitus Romam uenerit.* Cap. IIII.

SVcceſsit autem Auguſtino in epiſcopatum Laurentius, quem ipſe idcirco adhuc uiuẽs ordinauerat, ne ſe defuncto ſtatus eccleſiæ tam rudis uel ad horam paſtore deſtitutus uacillare inciperet. In quo & exemplum ſequebatur primi paſtoris eccleſiæ, hoc eſt, beatiſsimi apoſtolorum principis Petri, qui fundata Romæ eccleſia Chriſti, Clementem ſibi adiutorem euangelizandi, ſimul & ſucceſſorem cõſecraſſe perhibetur. Laurẽtius archiepiſcopatus gradu potitus, ſtrenuiſsimè fundamenta eccleſiæ, quæ nobiliter iacta, uidit augmentare, atque ad perfectum debiti culminis, & crebra uoce ſanctæ exhortationis, & continuis piæ operationis exemplis prouehere curauit. Deniq; nõ ſolùm nouæ, quę de Anglis erat collecta, eccleſiæ curam gerebat, ſed & ueterum Britanniæ incolarum, nec nõ & Scottorum, qui Hyberniam inſulam Britanniæ proximam incolunt populis paſtoralem impendere ſolicitudinem curabat. Siquidem ubi Scottorum in præfata ipſorum patria, quomodo & Britonum in ipſa Britãnia uitam ac profeſsionem minus eccleſiaſticã in multis eſſe cognouit, maximè quòd paſchæ ſolennitatem non ſuo tempore celebrarent, ſed ut ſuprà docuimus, à decima quarta luna uſque ad uiceſimam Dominicæ reſurrectionis diem obſeruandum eſſe putarent, ſcripſit cum coepiſcopis ſuis exhortatoriam ad eos epiſtolam, obſecrans eos & conteſtans, unitatem pacis & catholicæ obſeruationis cum ea, quæ toto orbe diffuſa eſt Chriſti Eccleſia tenere. cuius uidelicet epiſtolæ principium hoc eſt: Dominis chariſsimis fratribus, epiſcopis uel abbatibus per uniuerſam Scotiam, Laurentius, Mellitus & Iuſtus epiſcopi, ſerui ſeruorũ Dei. Dum nos ſedes Apoſtolica more ſuo, ſicut in uniuerſo orbe terrarum, in his occiduis partibus ad prædicandum gentibus paganis dirigeret, atque in hanc inſulam, quæ Britannia nuncupatur, contigit introiſſe, antequam cognoſceremus credentes, quòd iuxta morem uniuerſalis eccleſiæ ingrederentur, in magna reuerentia ſanctitatis tam Britones quàm Scottos uenerati ſumus. Sed cognoſcentes Britones, Scottos meliores putauimus. Scottos uerò per Dagamum epiſcopum in hanc quam ſuperius memorauimus inſulam, & Columbanum abbatem in Gallijs uenientem, nihil diſcrepare à Britonibus in eorum conuerſatione didicimus. Nam Dagamus epiſcopus ad nos ueniens, nõ ſolùm cibum nobiſcum, ſed nec in eodem hoſpitio quo ueſcebamur, ſumere uoluit. Miſit idem Laurẽtius cum coepiſcopis ſuis, etiã Britonum ſacerdotibus literas ſuo gradu condignas, quibus eas in unitate catholica confirmare ſategit. Sed quãtum hęc agendo profecerit, adhuc præſentia tẽpora declarãt. His tẽporibus uenit Mellitus Londonię epiſcopus Romã, de neceſſarijs eccleſię Anglorum cauſis cum apoſtolico papa Bonifacio tractaturus. Et cum idem papa reuerẽdiſsimus cogeret ſynodum epiſcoporum Italiæ, de uita monachorũ & quiete ordinaturus, & ipſe Mellitus inter eos aſſedit anno octauo imperij Focatis principis, indictione decima tertia, tertia die Kalendarum Martiarum: ut quæque erant regulariter decreta, ſua quoq; auctoritate ſubſcribens confirmaret, ac in Britanniã rediens, ſecum Anglorum eccleſiæ mandata atque obſeruãda deferret, unà cum epiſtolis, quas idem pontifex Deo dilecto archiepiſcopo Laurentio, & clero uniuerſo, ſimiliter & Edilbertho regi atque genti Anglorum direxit. Hic eſt Bonifacius quartus à beato Gregorio Romanæ urbis epiſcopo, qui impetrauit à Focatis principe donari Eccleſiæ Chriſti templũ Romę, quod Pantheon uocabatur ab antiquis, quaſi ſimulacrum eſſet omnium deorum: in quo ipſe eliminata omni ſpurcitia, fecit eccleſiam ſanctæ Dei genetricis atque omnium martyrum Chriſti, ut excluſa multitudine dæmonum, multitudo ibi ſanctorum memoriam haberet.





*Vt defunctis Edelbertho & Sebertho regibus, ſucceſſores eorum idololatriam reſuſcitarint, ob quod & Mellitus ac Iuſtus à Britannia diſceſſerunt.* Caput V.

ANno ab incarnatione Dominica ſexcenteſimo decimo tertio (qui eſt annus uiceſimus primus, ex quo Auguſtinus epiſcopus cũ ſocijs ad prędicandum genti Anglorum miſſus eſt) Edelberthus rex Cãtuariorum poſt regnũ tẽporale, quod quinquaginta & ſex annis glorioſiſsimè tenuerat, æterna cœleſtis regni gaudia ſubijt: qui tertius quidem in regibus gentis Anglorum cunctis Auſtralibus eorum prouincijs, qui Humbro fluuio & cõtiguis ei terminis ſequeſtrantur à Borealibus, imperauit: ſed primus omnium cœli regna conſcendit. Nam primus imperium huiuſmodi Elli rex Auſtralium Saxonum: ſecundus Celin rex occidentalium Saxonum, qui lingua ipſorum Ceulin uocabatur: tertius, ut diximus, Edelberthus rex Cantuariorum: quartus Redualt, rex orientalium Anglorum, qui etiam uiuente Edelbertho ijdẽ ſuæ genti ducatum præbebat, obtinuit: quintus Eduinus rex Nord Humbrorum gentis, id eſt, eius quæ ad Borealem Humbri fluminis plagã inhabitat, maiore potentia cunctis qui Britanniam incolũt, Anglorum pariter & Britonum populis præfuit, præter Cantuarijs tãtum: nec non & Meuanias Britonum inſulas, quæ inter Hyberniam & Britanniam ſitæ ſunt, Anglorũ ſubiecit imperio. Sextus Oſuualdus & ipſe Nord Humbrorũ rex Chriſtianiſsimus, ijſdem finibus regnum tenuit. Septimus Oſuui frater eius æqualibus penè terminis regnum nonnullo tempore coercens, Pictorum quoq; ac Scottorum gentes, quæ Septentrionales Britanniæ fines tenent, maxima ex parte perdomuit, ac tributarias fecit: ſed hæc poſtmodũ. Defunctus uerò eſt rex Edelberthus die uigeſima quarta menſis Februarij, poſt uiginti & unum annos acceptæ fidei, atq; in porticu S. Martini intra eccleſiam beatorum apoſtolorum Petri & Pauli ſepultus, ubi & Bertha regina condita eſt: qui inter cætera bona, quæ genti ſuę cõſulendo conferebat, etiam decreta illi iudiciorum iuxta exempla Romanorum cum conſilio ſapientium conſtituit: quæ conſcripta Anglorum ſermone hactenus habentur, & obſeruantur ab ea: in quibus primitus poſuit, qualiter id emendare deberet, qui aliquid rerum uel eccleſię, uel epiſcopi, uel reliquorum ordinum furto auferret: uolens ſcilicet tuitionem eis, quos & quorum doctrinam ſuſceperat, præſtare. Erat autem idem Edelberthus filius Irminrici, cuius pater Octa, cuius pater Orrich cognomento Oiſc, à quo reges Cantuariorum ſolent Oiſcingas cognominari. Cuius pater Hengiſt, qui cũ filio ſuo Oiſc inuitatus à Vortigerio Britanniam primus intrauit, ut ſuprà retulimus. At uerò poſt mortẽ Edelberthi, cum filius eius Eadbaldus regni gubernacula ſuſcepiſſet, magno tenellis adhuc ibi eccleſiæ crementis detrimento fuit. Siquidem non ſolùm Chriſti fidem recipere noluerat, ſed & fornicatione pollutus eſt tali, qualem nec inter gentes auditam Apoſtolus teſtatur, ita ut uxorem patris haberet. Quo utroq; ſcelere occaſionem dedit ad priorem uomitum reuertendi ijs, qui ſub imperio ſui parẽtis, uel fauore uel timore regio fidei & caſtimoniæ iura ſuſceperant. Nec ſupernæ flagella diſtrictionis perfido regi caſtigando uel corrigendo defuere. Nam crebra mentis ueſania, & ſpiritus immundi inuaſione premebatur. Auxit autem procellam huiuſmodi perturbationis etiam mors Saberethi regis orientalium Saxonum, qui ubi regna perennia petens, tres filios ſuos, qui pagani perdurauerant, regni temporalis hęredes reliquit. Cœperunt illi mox idololatriæ, quam uiuente eo aliquantulum intermiſiſſe uidebantur, palàm ſeruire, ſubiectiſq; populis idola colendi liberam dare licentiam. Cumq; uiderent pontificem celebratis in eccleſia miſſarum ſolennijs, euchariſtiam populo dare, dicebant (ut uulgò fertur) ad eum, Barbara inflate ſtultitia: quare nõ & nobis porrigis panem nitidum, quem & patri noſtro Saba (ſic namque eum appellare conſueuerant) dabas, & populo adhuc in eccleſia dare non deſiſtis? Quibus ille reſpondebat, Si uultis ablui fonte illo ſalutari, quo pater ueſter ablutus eſt, poteſtis etiam panis ſancti, cui ille participabat, eſſe participes: ſin autem lauacrum uitæ contemnitis, nullatenus ualetis panem uitæ percipere. At illi, Nolumus, inquiũt fontẽ illũ intrare: quia nec illo opus nos habere nouimus, ſed tamẽ pane illo refici uolumus. Cumq; diligenter ac ſæpè ab illo eſſent admoniti, nequaquam fieri poſſe, ut abſq; purgatione ſacroſancta quis oblationi ſacroſanctæ communicet, ad ultimum furore commoti aiebant: Si non uis aſſentire nobis in tam facili cauſa, quã petimus, non poteris iam in noſtra prouin-

cia demorari. Et expulerunt eum, ac de ſuo regno cum ſuis abire iuſſerunt. Qui expulſus inde, uenit Cantium tractaturus cum Laurẽtio & Iuſto coepiſcopis, quid in his eſſet agendũ. Decretumq; eſt communi conſilio, quia ſatius eſſet, ut omnes in patriã redeuntes, libera ibi mẽte Domino deſeruirent, quàm inter rebelles fidei Barbaros ſine fructu reſiderent. Diſceſſere itaq; primò Mellitus ac Iuſtus, atque ad partes Galliæ receſſere, ibi rerũ finẽ expectare diſponẽtes. Sed nõ multo tẽpore reges, qui præconẽ à ſe ueritatis expulerãt, dęmonicis cultibus impunè ſeruiebant. Nam egreſsi contra gentem Geniſſorum in prœlium, omnes pariter cum ſua militia corruerunt: nec ſic (licet auctoribus perditis) excitatum ad ſcelera uulgus potuit corrigi, atq; ad ſimplicitatem fidei & charitatis quæ eſt in Chriſto, reuocari.

*Vt correptus ab apoſtolo Petro Laurentius, Eadbaldum regem ad Chriſtum conuerterit, qui mox Mellitum & Iuſtum ad prædicandum reuocauerit.*

*Caput* VI.

CVm uerò Laurentius Mellitum Iuſtumq; ſecuturus, ac Britanniam eſſet relicturus, iuſsit ipſa ſibi nocte in Eccleſia beatorum apoſtolorum Petri & Pauli, de qua frequenter iam diximus, ſtratum parari: in quo quum poſt multas preces ac lachrymas ad Deum pro ſtatu Eccleſiæ fuſas, ad quieſcendum membra poſuiſſet atque obdormiſſet, apparuit ei beatiſsimus Apoſtolorum princeps, & multo illum tempore ſecretæ noctis flagellis acrioribus afficiens, ſuſcitabatur Apoſtolica diſtrictione, quare gregem, quem ſibi ipſe crediderat, relinqueret: uel cui paſtorum oues Chriſti in medio luporũ poſitas fugiẽs ipſe dimitteret? An mei, inquit, oblitus es exempli, qui pro paruulis Chriſti, quos mihi in iudicium ſuæ dilectionis commẽdauerat, uincula, uerbera, carceres, afflictiones, ipſam poſtremò mortem, mortem autẽ crucis, ab infidelibus & inimicis Chriſti ipſe cũ Chriſto coronandus pertuli. His beati Petri flagellis ſimul & exhortationibus animatus famulus Chriſti Laurẽtius, mox mane facto uenit ad regem, & retecto ueſtimento, quantis eſſet uerberibus laceratus, ei oſtendit: qui multum miratus, & inquirens quis tanto uiro tales auſus eſſet plagas infligere. Vt audiuit, quia cauſa ſuæ ſalutis epiſcopus ab apoſtolo Chriſti tanta eſſet tormenta plagasq; perpeſſus, extimuit multum: atque anathematizato omni idololatriæ cultu, abdicato connubio non legitimo, ſuſcepit fidem Chriſti, & baptizatus eccleſiæ rebus quantum ualuit, in omnibus conſulere ac fauere curauit. Miſit etiam in Galliã, & reuocauit Mellitum & Iuſtum, eosq; ad ſuas eccleſias liberè inſtituendas redire præcepit: qui poſt annum ex quo abierant, reuerſi ſunt. & Iuſtus quidem ad ciuitatem Rhofi, cui præfuerat, rediit: Mellitum uerò Londonienſes epiſcopum recipere noluerunt, idololatris pontificibus magis ſeruire gaudentes. Non enim tanta erat ei, quanta patri ipſius regni poteſtas, ut etiam nolentibus ac contradicentibus paganis antiſtitẽ ſuæ poſſet eccleſiæ reddere. Verumtamen ipſe cum ſua gente, ex quo ad Dominum cõuerſus eſt, diuinis ſe ſtuduit mancipare præceptis. Deniq; & in monaſterio beatiſsimi apoſtolorum principis, eccleſiã ſanctæ Dei genetricis fecit, quam conſecrauit archiepiſcopus Mellitus.

*Vt Mellitus epiſcopus flammas ardentes ſuæ ciuitatis orando reſtinxerit.* *Cap.* VII.

HOc enim regnante rege, beatus archiepiſcopus Laurentius regnum cœleſte conſcẽdit, atq; in eccleſia & monaſterio ſancti apoſtoli Petri, iuxta prædeceſſorem ſuum Auguſtinũ ſepultus eſt, die quarto nonarum Februarium: poſtquam Mellitus, qui erat Londoniæ epiſcopus, ſedem Dorouernenſis eccleſiæ tertius ab Auguſtino ſuſcepit: Iuſtus autem adhuc ſuperſtes, Rhofenſem regebat eccleſiam: qui cum magna eccleſiam Anglorum cura ac labore gubernarent, ſuſceperunt ſcripta exhortatoria à pontifice Romanæ & Apoſtolicæ ſedis Bonifacio. Iuſtus pòſt Deuſdedit eccleſiæ præfuit, anno incarnationis Dominicæ ſexcenteſimo decimo octauo. Erat autem Mellitus quidem corporis infirmitate, id eſt, podagra grauatus, ſed mentis greſsibus ſanus, alacriter terrena quęq; trãſiliens, atq; ad cœleſtia regna ſemper amãda, petenda & quærenda peruolans. Erat carnis origine nobilis, ſed culmine mentis nobilior. Deniq;, ut unum uirtutis eius (unde cætera intelligi poſsint) teſtimonium referam: tempore quodam ciuitas Dorouernenſis, per culpam incuriæ igne correpta, crebreſcentibus cœpit flammis conſumi: quibus cum nullo aquarum iniectu poſſet aliquis obſiſtere, iamq; ciuitatis eſſet pars uaſtata non minima, atque ad epiſcopum furens ſe flamma dilataret, confidens epiſcopus in diuinum, ubi humanum deerat auxilium, iuſsit ſe obuiam ſæuiẽtibus & huc illucq; uolãtibus ignium globis efferri. Erat autem eo loci, ubi flammarum impetus maximè incumbebat, martyrium beatorum quatuor coronatorum. Ibi ergo perlatus obſequentum manibus epiſcopus, cœpit orando periculum infirmus abigere, quod firma fortium manus multum laborando nequiuerat. Nec mora, uentus qui à meridie flans, ubi incendia ſparſerat, contra meridiem reflexus, primò uim furoris ſui à læſione locorum quę contra erant, abſtraxit, ac mox funditus quieſcendo flammis pariter ſopitis atque extinctis compeſcuit. Et quia uir Dei igne diuinæ charitatis fortiter ardebat, qui tẽpeſtates poteſtatum aeriarum à ſua ſuorũq; lęſione crebris orationibus uel exhortationib. repellere cõſueuerat, meritò uentis flammisq; mũdialibus pręualere, & ne ſibi ſuisq; noceret, obtinere poterat. Et hic ergo poſtq; annis quinque rexit eccleſiã, Eadbaldo regnãte migrauit ad cœlos: ſepultusq; eſt cũ patribus ſuis in ſępe dicto monaſterio, & eccleſia beatiſsimi principis apoſtolorũ, anno ab incarnatione Domini





ſexcenteſimo uiceſimo quarto, die octauo Kalendarum Maiarum.

*Vt Bonifacius Papa Iuſto ſucceſſori eius pallium & epiſtolam miſerit.* *Cap.* VIII.

CVi ſtatim ſucceſsit in pontificatum Iuſtus, qui erat Rhofenſis eccleſiæ epiſcopus. Illi autẽ eccleſię Romanum pro ſe conſecrauit epiſcopum, data ſibi ordinandi epiſcopos auctoritate à pontifice Bonifacio, quem ſucceſſorem fuiſſe Deuſdedit, ſuprà meminimus. cuius auctoritatis iſta eſt forma: Dilectiſsimo fratri Iuſto Bonifacius. Quàm deuotè, quamq; etiam uigilanter pro Chriſti Euangelio elaborauerit ueſtra fraternitas, non ſolum epiſtolę à uobis directæ tenor, imò indulta deſuper operi ueſtro perfectio indicauit. Nec enim omnipotens Deus aut ſui nominis ſacramentum, aut fructũ ueſtri laboris deſeruit, dum ipſe prædicatoribus Euangelij fideliter repromiſit: Ecce ego uobiſcũ ſum omnibus diebus uſq; ad conſummationem ſeculi. Quod ſpecialiter, iniũcto uobis miniſterio, eius clementia demonſtrauit, aperiens corda gentium ad ſuſcipiendum prædicationis ueſtræ ſingulare myſterium. Magno enim præmio faſtigiorum ueſtrorum, delectabilem curſum bonitatis ſuæ ſuffragijs illuſtrauit, dum creditorum uobis talentorum fideliſsimæ negociationis officijs, uberem fructum impendens ei, quod ſignare poſsitis multiplicatis generibus, præparauit. Hocq; etiam illà uobis repenſatione collatum eſt, qui iniuncto miniſterio iugiter perſiſtentes, laudabili patientia redemptionem gentis illius expectatis, & ueſtris ut proficerent meritis eorum eſt ſaluatio propinata, dicente Domino: Qui perſeuerauerit uſque in finem, hic ſaluus erit. Saluati ergo eſtis ſpe patientiæ, & tolerantiæ uirtute, ut infideliũ corda naturali ac ſuperſtitioſo morbo purgata, ſui conſequerentur miſericordiam Saluatoris. Suſceptis nanque apicibus filij noſtri Adelualdi regis, reperimus quanta ſacri eloquij eruditione eius animum ad ueræ conuerſionis, & indubitatæ fidei credulitatem fraternitas ueſtra perduxerit. Qua ex re de longanimitate clementiæ cœleſtis certam aſſumentes fiduciã, non ſolùm ſuppoſitarum ei gentium pleniſsimam ſalutem, imò quoque uicinarum, ueſtræ quoq; prædicationis miniſterio credimus ſubſequendum, quatenus ſicut ſcriptum eſt: Conſummati operis uobis merces à retributore omnium bonorum Domino tribuatur. Et uerè per omnem terram exiſſe ſonum eorum, & in fines orbis terræ uerba ipſorum, uniuerſalis gẽtium confeſsio (ſuſcepto Chriſtianæ ſacramento fidei) præſtetur. Pallium præterea per latorem præſentium, fraternitati tuæ benignitatis ſtudijs inuitati, direximus: quod uidelicet tantum in ſacroſanctis myſterijs celebrandis licentiam utendi imperauimus: concedentes etiam tibi ordinationes epiſcoporũ, exigente opportunitate, Domini præueniente miſericordia celebrare: ita ut Chriſti euangelium plurimorũ annunciatione in omnibus gentibus, quæ necdum conuerſæ ſunt, dilatetur. Studeat ergo tua fraternitas hoc, quod ſedis Apoſtolicæ humanitate percepit, intemerata mẽtis ſynceritate ſeruare intendens: cuius rei ſimilitudine tam præcipuum indumentum humeris tuis baiulandũ ſuſceperis: taleq; te Domini implorata clementia exhibendum ſtude, ut indulti muneris præmia non cum reatitudine, ſed cum commodis animarum ante tribunal ſummi & uenturi iudicis repræſentes. Deus te incolumem cuſtodiat dilectiſsime frater.

*De imperio regis Eduini, & ut ueniens ad euangelizandum Paulinus, primò filiam eius cum alijs fidei Chriſtianæ ſacramentis imbuerit.* *Cap.* I X.

QVo tempore etiã gens Nordan Humbrorũ, hoc eſt, ea natio Anglorũ, quæ ad Aquilonarẽ Humbri fluminis plagã habitabat, cum rege ſuo Eduino uerbum fidei, prædicante Paulino (cuius ſuprà meminimus) ſuſcepit. Cui uidelicet regi in auſpicium ſuſcipiendæ fidei. & regni cœleſtis poteſtas, & terreni creuerat imperij, ita ut (quod nemo Anglorũ ante eum fecit) omnes Britanniæ fines, quà uel ipſorũ uel Britonũ prouinciæ habitabãtur, ſubditione acceperit. Quin & Meuanias inſulas, ſicut & ſuprà docuimus, imperio ſubiugauit Anglorum: quarũ prior, quæ ad Auſtrũ eſt, & ſitu amplior, & frugũ prouentu atq; ubertate fœlicior, nongentarũ ſexaginta familiarũ menſuram, iuxta æſtimationem Anglorũ: ſecunda trecentorum & ultrà, ſpacium tenet. Huic autem genti occaſio fuit percipiendæ fidei, quòd præfatus rex eius cognatione iunctus eſt regibus Cantuariorum, accepta in coniugem Edelburga filia Edelberthi regis. quæ alio nomine Tate uocabatur. Huius conſortiũ cum primò ipſe, miſsis procis à fratre eius Eadbaldo, qui tunc regno Cantuariorũ præerat, peteret: reſponſum eſt, nõ eſſe licitũ, Chriſtianam uirginẽ pagano in coniugiũ dari, ne fides & ſacramenta cœleſtis regis conſortio profanarentur regis, qui ueri Dei cultus eſſet prorſus ignarus. Quæ dum Eduino uerba nuncij referrent, promiſit ſe nihil omnibus modis contrariũ Chriſtianæ fidei, quam uirgo colebat, eſſe facturũ: quin potius permiſſurum, ut fidẽ cultumq; ſuæ religionis cum omnibus qui ſecũ ueniſſent uiris ſiue fœminis, ſacerdotibus ſeu miniſtris more Chriſtiano ſeruaret. Neq; abnegauit ſe etiam eandem ſubiturũ eſſe religionem, ſi tamẽ examinata à prudentibus, ſanctior ac Deo dignior poſſet inueniri. Itaq; promittitur uirgo, atq; Eduino mittitur, & iuxta quod diſpoſitũ fuerat, ordinatur epiſcopus, uir Deo dilectus Paulinus, qui cum illa ueniret, eamq; & comites eius, ne paganorum poſſent ſocietate pollui, quotidiana exhortatione & ſacramentorum cœleſtium celebratione confirmauit. Ordinatus eſt autem Paulinus epiſcopus à

Iuſto archiepiſcopo, ſub die duodecima Kalendarum Auguſtarū, anno ab incarnatione Domini quingēteſimo uiceſimo quinto. Et ſic cum præſata uirgine ad regem Eduinum, quaſi comes copulę carnalis aduenit. Sed ipſe potius toto animo intendens, ut gentem quam adibat, ad agnitionem ueritatis aduocans, iuxta uocē Apoſtoli, Vni uiro uirginem caſtam exhiberet Chriſto. Cumq; in prouinciam ueniſſet, laborauit multum, ut & eos qui ſecum uenerant, ne à fide deficerent, Domino adiuuante contineret, & aliquos, ſi fortè poſſet, de paganis ad fidei gratiam prædicando conuerteret. Sed ſicut Apoſtolus ait, Quamuis multo tempore illo laborante in uerbo, Deus ſeculi huius excæcauit mentes infidelium, ne eis fulgeret illuminatio euangelij gloriæ Chriſti. Anno autem ſequenti uenit in prouinciam quidam Sicarius, uocabulo Eumerus, miſſus à rege Occidentaliū Saxonum, nomine Cuichelmo, ſperans ſe regem Eduinum regno ſimul & uita priuaturum: qui habebat ſicam bicipitem toxicatam, ut ſi ferri uulnus minus ad mortem regis ſufficeret, peſte iuuaretur ueneni. Peruenit autē ad regem primo die Paſchę, iuxta amnem Dorouentionem, ubi tunc erat uilla regalis. Intrauitq; quaſi nuncium domini ſui referens: & cum ſimulatam legationem ore aſtuto uolueret, exurrexit repente, & euaginata ſub ueſte ſica, impetum fecit in regem. Quod cum uideret Lilla, miniſter regis amiciſſimus, non habens ſcutum ad manum, quo regem à nece defenderet, mox interpoſuit corpus ſuum ante ictum pungentis. Sed tanta ui hoſtibus ferrum infixit, ut per corpus militis occiſi etiam regem uulneraret. Qui cum mox undiq; gladijs impeteretur, in ipſo tumultu etiam alium de militibus, cui nomen erat Fordherio, ſica nefanda peremit. Eadem autem nocte ſacroſancta Dominicæ Paſchæ, pepererat regina filiam regi, cui nomen Eanfled. Cumq; idem rex præſente Paulino epiſcopo gratias ageret dijs ſuis pro nata ſibi filia: contrà epiſcopus gratias cœpit agere Domino Chriſto, regiq; aſtruere, quòd ipſe precibus ſuis apud illū obtinuerit, ut regina ſoſpes & abſq; dolore graui ſobolem procrearet. Cuius uerbis delectatus rex, promiſit ſe abrenunciatis idolis Chriſto ſeruiturum, ſi uitam ſibi & uictoriam donaret pugnanti aduerſus regem, à quo homicida ille, qui eum uulnerauerat, miſſus eſt: & in pignus promiſſionis implendæ, eandem filiam ſuam Chriſto conſecrandam Paulino epiſcopo adſignauit: quæ baptizata eſt die ſancto Pentecoſtes, prima de gēte Nord Humbrorum, cum duodecim alijs de familia eius. Quo tempore curatus à uulnere ſibi pridem inflicto, rex collecto exercitu uenit aduerſus gentem Occidentalium Saxonum, ac bello inito, uniuerſos quos in necem ſuam conſpiraſſe didicerat, aut occidit, aut in deditionem recepit. Sicq; uictor in patriam reuerſus, non ſtatim & inconſultè ſacramenta fidei Chriſtianæ percipere uoluit: quāuis nec idolis ultrà ſeruiuit, ex quo ſe Chriſto ſeruiturum eſſe promiſerat: uerùm primò diligentius ex eo tempore, & ab ipſo uenerabili uiro Paulino rationem fidei ediſcere, & cum ſuis primatibus, quos ſapientiores nouerat, curauit conferre, quid de ijs agendum arbitrarentur. Sed & ipſe, cum eſſet uir natura ſagaciſſimus, ſæpè diu ſolus reſidens, ore quidem tacito, ſed in intimis cordis multa ſecum colloquens, quid ſibi eſſet faciendum, quæ religio ſeruanda tractabat.

*Vt papa Bonifacius eundem regem, miſsis literis, ſit hortatus ad fidem. Cap. X.*

QVo tempore exhortatorias ad fidem literas à pontifice ſedis Apoſtolicæ Bonifacio accepit, quarum iſta eſt forma: Viro glorioſo Eduino regi Anglorum, Bonifacius epiſcopus, ſeruus ſeruorum Dei. Licet ſummæ diuinitatis potentia humanæ locutionis officijs explanari non ualeat: quippe quæ ſui magnitudine ita inuiſibili atque inueſtigabili æternitate conſiſtit, ut eam nulla ingenij ſagacitas, quanta ſit, comprehendere diſſerereq; ſufficiat: quia tamen eius humanitas ad inſinuationem ſui reſeratis cordis ianuis, quę de ſemetipſa proferentur, ſecreta humanis mentibus inſpiratione clementer infundit, ad annunciandam uobis plenitudinem fidei Chriſtianæ, ſacerdotalem curauimus ſolicitudinē prærogare, ut perinde Chriſti euangelium, quod Saluator noſter omnibus præcepit gentibus prædicari, ueſtris quoque ſenſibus inſerentes, ſalutis ueſtræ remedio propinentur. Supernæ igitur maieſtatis clementia, quæ cuncta ſolo uerbo pręceptionis ſuæ condidit & creauit, cœlum uidelicet & terram, mare & omnia quæ in eis ſunt (diſpoſitis ordinibus quibus ſubſiſterent) coæterni uerbi ſui conſilio, & ſancti ſpiritus unitate diſpenſans, hominem ad imaginem & ſimilitudinem ſuam ex limo terræ plaſmatum conſtituit, eiq; tantam præmij prærogatiuam indulſit, ut eum cunctis præponeret, atq; ſeruato termino præceptionis æternitatis ſubſiſtentia præmuniret. Hunc ergo Deum patrem, filium & ſpiritum ſanctum, quod eſt indiuidua trinitas, ab ortu ſolis uſque ad occaſum humanum genus, quippe ut creatorem omnium, atque factorem ſuū ſalutifera confeſsione, fide ueneratur & colit: cui etiam ſummitates imperij, rerumq; poteſtates ſubmiſſæ ſunt: quia eius diſpoſitione omnium prælatio regnorum conceditur. Eius ergo bonitatis miſericordia, totius creaturæ ſuæ dilatandæ ſubſidijs, etiam in extremitate terræ poſitarum gentium corda frigida ſancti ſpiritus feruore in ſui quoque agnitione mirabiliter eſt dignata ſuccendere. Quæ enim in glorioſi filij noſtri Audubaldi regis, gentibusq; ei ſuppoſitis illuſtratione, clementia redemptoris fuerit operata, plenius ex uicinitate locorū ueſtram gloriam conijcimus cognouiſſe. Eius ergo mirabile donum, & in uobis certa ſpei cœleſti longanimitate conferri confidimus. Cūm

*Exemplar epiſtolæ beatiſsimi & apoſtolici papæ urbis Romanæ eccleſiæ Bonifacij directæ, uiro glorioſo Eduino regi Anglorum.*

proſe



profectò glorioſam coniugem ueſtram, quæ ueſtri corporis pars eſſe dignoſcitur, æternitatis præmio per ſacri baptiſmatis regenerationem illuminatam agnouimus. Vnde præſenti ſtylo glorioſius uos adhortandos cum omni affectu intimæ charitatis curauimus, quatenus abominatis idolis, eorumq; cultu, ſpretisq; fanorum fatuitatibus, & auguriorū deceptibilibus blandimentis, credatis in Deum patrem omnipotentem, eiusq; filium Ieſum Chriſtum, & ſpiritum ſanctum, ut credentes à diabolicæ captiuitatis nexibus, ſanctæ & indiuiduæ trinitatis cooperante potentia, abſoluti, æternæ uitæ poſsitis eſſe participes. Quanta autem reatitudinis culpa teneantur aſtricti hi, qui idololatriarum pernicioſiſsimam ſuperſtitionem colentes amplectuntur, eorum quos colunt exempla perditionis inſinuant. unde de eis per Pſalmiſtam dicitur: Omnes dij gentium dæmonia, Dominus autem cœlos fecit. & iterum, Oculos habēt & non uident, aures habent & non audiunt, nares habent & non odorabunt. Manus habent & nō palpabunt, pedes habent & non ambulabunt. Similes ergo efficiuntur his, qui ſpem ſuæ confidentiæ ponunt in eis. Quomodo enim iuuandi quemlibet poſſunt habere uirtutem hi, qui ex corruptibili materia inferiorum etiam, ſuppoſitorumq; tibi manibus conſtruuntur, quibus uidelicet artificium humanum accommodās eis inanimatam membrorum ſimilitudinem contuliſti: qui niſi à te moti fuerint, ambulare non poterunt: ſed tanquam lapis in uno loco poſitus, ita conſtructi, nihilq; intelligentiæ habentes, ipſaq; inſenſibilitate obruti, nullam neq; lædendi neq; iuuandi facultatē adepti ſunt? Qua ergo mentis deceptione eos deos, quibus uoſipſi imaginem corporis tradidiſtis, colentes ſequimini, iudicio diſcreto reperire non poſſumus. Vnde oportet uos ſuſcepto ſigno ſanctæ crucis, per quod humanum genus redemptum eſt, execrando diabolicæ uerſutię ſupplantationem, qui diuinæ bonitatis operibus inuidus æmulusq; conſiſtit, à cordibus ueſtris abijcere: iniectisq; manibus hos, quos eatenus materiæ cōpage uobis deos fabricaſtis, confringendos diminuēdosq; ſummopere procurare. ipſa enim eorum diſſolutio corruptioq;, quę nunquam uiuentem ſpiritum habuit, nec ſenſibilitatē à ſuis factoribus potuit quolibet modo ſuſcipere, uobis patenter inſinuet, quòd nihil erat quod eatenus colebatis, dum profectò meliores uos, qui ſpiritum uiuentem à Domino percepiſtis, eorū conſtructioni nihilominus exiſtatis: quippe quos Deus omnipotens ex primi hominis quem plaſmauit cognatione deductos, per ſecula innumerabilibus propaginibus pullulare conſtituit. Accedite ergo ad agnitionem eius qui uos creauit, qui in uobis uitæ inſufflauit ſpiritum, qui pro ueſtra redemptione filium ſuum unigenitum miſit, ut uos ab originali peccato eriperet, & ereptos de poteſtate diabolicæ nequitiæ cœleſtibus præmijs muneraret. Suſcipite uerba prædicatorum, & Euangelium Dei, quod uobis annunciant, quatenus credentes (ſicut ſæpius dictum eſt) in Deum patrem omnipotentem, & in Ieſum Chriſtum eius filium, & ſpiritum ſanctum, & inſeparabilem trinitatem: fugatis dæmoniorum ſenſibus, expulſaq; à uobis ſolicitatione uenenoſi & deceptibilis hoſtis per aquam & ſpiritum ſanctum renati, ei cui credideritis, in ſplendore gloriæ ſempiternæ cohabitare eius opitulatione & munificentia ualeatis. Præterea benedictionem protectoris ueſtri beati Petri apoſtolorum principis uobis direximus, id eſt, camiſiam cum ornatura in auro una, & læna anciriana una: quod petimus, ut eo benignitatis animo gloria ueſtra ſuſcipiat, quo à nobis noſcitur deſtinatum.

*Vt coniugem ipſius per epiſtolam ſalutis illius ſedulam agere curam monuerit. Cap. XI.*

AD coniugē quoq; eius Edelburgam huiuſmodi literas idē pontifex miſit. Exemplar epiſtolæ beatiſsimi & apoſtolici Bonifacij Papæ urbis Romæ directę, Edelburgi reginæ Eduini regis: Dominæ glorioſæ filiæ Edelburgæ reginę Bonifacius epiſcopus ſeruus ſeruorū Dei. Redemptoris noſtri benignitas humano generi, quod precioſi ſanguinis ſui effuſione à uinculis diabolicæ captiuitatis eripuit, multa prouidentia quibus ſaluaretur, propinauit remedia, quatenus ſui nominis agnitionē diuerſo modo gentibus innoteſcēs, creatorem ſuum ſuſcepto Chriſtianę fidei agnoſcerent ſacramento, quod quidem in ueſtrę glorię ſenſibus cœleſti collatū munere myſtica regeneratio ueſtræ purgationis, patenter innuit. Magno ergo largitatis Dominicę beneficio mēs noſtra gaudio exultauit, quòd ſcintillam orthodoxæ religionis in ueſtri dignatus eſt cōuerſione ſuccendere. Ex qua re nō ſolum glorioſi cōiugis ueſtri, imò totius gentis ſuppoſitæ uobis intelligentiā in amorē ſui facilius inflammaret. Didicimus nanq; referentibus his, qui ad nos glorioſi filij noſtri Audubaldi regis laudabilem conuerſionē nunciātes peruenerunt, quòd etiā ueſtra gloria Chriſtianæ fidei ſuſcepto mirabili ſacramēto pijs & Deo placitis iugiter operibus eniteſcat: ab idolorū etiā cultu, ſeu fanorū auguriorumq; illecebris ſe diligenter abſtineat, & ita in amore redemptoris ſui immutata deuotione perſiſtens inuigilet, ut ad dilatandam Chriſtianā fidem inceſſabiliter nō deſiſtat operam commodare. Cumq; de glorioſa coniuge ueſtra paterna charitas ſollicitè perquiſiſſet, cognouimus, quòd eatenus abominandis idolis ſeruiens, ad ſuſcipiendam uocem prædicatorum ſuam diſtulerit obedientiā exhibere. Qua ex re non modica nobis amaritudo cōgeſta eſt, ab eo quòd pars corporis ueſtri ab agnitione ſummæ & indiuiduę trinitatis remānſit extranea. Vnde paternis officijs ueſtræ glorioſæ Chriſtianitati noſtram commonitionem nō diſtulimus conferre, adhortantes quatenus diuinæ inſpirationis imbuta ſubſidijs importunè & opportunè agendum non differas, ut &

ipſe

ipſe ſaluatoris noſtri Domini Ieſu Chriſti cooperante potētia Chriſtianorum numero copuletur, ut perinde intemerato ſocietatis fœdere iura teneas maritalis conſortij. Scriptum nanq; eſt: Erunt duo in carne una. Quomodo nanq; unitas uobis coniunctionis ineſſe dici poterit, ſi à ueſtræ fidei ſplendore interpoſitis deteſtabilis erroris tenebris remanſerit ille alienus? Vnde orationi continuò inſiſtens, à longanimitate cœleſtis clementiæ illuminationis illius beneficia impetrare nō deſinas: ut uidelicet, quos copulatio carnalis affectus unum quodammodo corpus exhibuiſſe monſtratur, hos quoq; unitas fidei etiam poſt huius uitæ tranſitū in perpetua ſocietate conſeruet. Inſiſte ergo glorioſa filia, & ſummis conatibus duriciā cordis ipſius religioſa diuinorum præceptorum inſinuatione mollire ſummopere dematura, infundēs ſenſibus eius, quantum ſit pręclarum, quòd credendo ſuſcepiſti myſterium: quantum'ue ſit admirabile, quòd renata præmium conſequi meruiſti. Frigiditatem cordis ipſius ſancti ſpiritus annunciatione ſuccende, quatenus amoto corpore pernicioſiſsimi cultus, diuinæ fidei calor eius intelligentiam tuarum exhortationum frequentatione ſuccendat: ut profectò ſacræ ſcripturæ teſtimonium per te expletum indubitanter præclareat, Saluabitur uir infidelis per mulierē fidelem. Ad hoc enim miſericordiam dominicæ pietatis conſecuta es, ut fructū fidei creditorumq; tibi beneficiorum redemptori tuo multiplicem reſignares. Quod equidem ſuffragante præſidio benignitatis ipſius, ut explere ualeas, aſsiduis non deſiſtimus precibus poſtulare. His ergo pręmiſsis, paternę uobis dilectionis exhibentes officia, hortamur, ut nos (reperta portitoris occaſione) de his quæ per uos ſuperna potētia mirabiliter in cōuerſatione coniugis ueſtri, ſubmiſſæq; uobis gentis dignatus fuerit operari, proſperis quantocyus nuncijs reueletis, quatenus ſollicitudo noſtra, quæ de ueſtri ueſtrorumq; omnium animæ ſalute optabilia deſideranter expectat, uobis nunciantibus reueletur, illuſtrationemq; diuinæ propitiationis in uobis diffuſam opulentius agnoſcentes, hilari confeſsione largitori omnium bonorum Deo, & beato Petro apoſtolorum principi uberes meritò gratias exoluamus. Præterea benedictionem protectoris ueſtri beati Petri apoſtolorum principis uobis direximus, id eſt, ſpeculum argenteum, & pectinem eburneum inauratum: quod petimus, ut eo benignitatis animo gloria ueſtra ſuſcipiat, quo à nobis noſcitur deſtinatum.

*Vt Eduinus per uiſionem quandam ſibi exuli oſtenſam, ſit ad credendum prouocatus.*
*Caput* XII.

HAec quidem memoratus papa Bonifacius, de ſalute regis Eduini ac gentis ipſius literis agebat: ſed & oraculum cœleſte, quod illi quondam exulanti apud Redualdum regem Anglorum pietas diuina reuelare dignata eſt, non minimum ad ſuſcipienda uel intelligenda doctrinæ monita ſalutaris ſenſum illius iuuit. Cùm ergo uideret Paulinus difficulter poſſe ſublimitatem animi regalis ad humilitatem uię ſalutaris, & ſuſcipiendum myſterium uiuificæ crucis inclinari, ac pro ſalute illius ſimul & gentis cui pręerat, & uerbo exhortationis apud homines, & apud diuinam pietatem uerbo deprecationis ageret, tandem (ut ueriſimile uidetur) didicit in ſpiritu, quod uel quale eſſet oraculum regi quondā cœlitus oſtenſum. Nec exinde diſtulit, quin continuò regem admoneret explere uotum, quod in oraculo ſibi exhibito ſe facturum promiſerat, ſi temporis illius ærumnis exēptus ad regni faſtigia perueniret. Erat autē oraculū huiuſmodi: Cum perſequēte illū Edelfrido, qui ante eum regnauit, per diuerſa occultus loca uel regna, multo annorū tempore profugus uagaretur, tandem uenit ad regem Redualdum, obſecrans ut uitam ſuam à tanti perſecutoris inſidijs tutando ſeruaret: qui libenter eum excipiens, promiſit ſe quæ petebat eſſe facturum. At poſtquā Edelfridus in hac eum prouincia apparuiſſe, & apud regem illius familiariter cum ſocijs habitare cognouit, miſit nūcios qui Redualdo pecuniam multam pro nece eius offerrēt: neq; aliquid profecit. miſit ſecundò, miſit tertiò, & copioſiora auri & argenti dona offerens, & bellum inſuper illi, ſi contemneretur, indicens, Qui uel minis fractus, uel corruptus muneribus ceſsit deprecanti, & ſiue occidere ſe Eduinum, ſeu legatarijs tradere promiſit. Quod ubi fideliſsimus quidam amicus illius animaduertit, intrauit cubiculum quo dormire diſponebat (erat enim prima hora noctis) & euocatum foràs, quid erga eum agere rex promiſiſſet, edocuit, & inſuper adiecit: Si ergo uis, hac ipſa hora educam te de hac prouincia, & ea in loca te introducam, ubi nunquam te uel Redualdus uel Edelfridus inuenire ualeant. Qui ait, Gratias quidem ago beneuolētiæ tuæ, non tamen hoc facere poſſum quod ſuggeris, ut pactū quod cum tanto rege inij, ipſe primus irritum faciam, cùm ille mihi nihil mali fecerit, nihil adhuc inimicitiarū intulerit: quin potius ſi moriturus ſum, ille me magis quàm ignobilior quiſquam morti tradat. Quò enim nunc fugiam, qui per omnes Britanniæ prouincias tot annorum temporumq; curriculis uagabundus hoſtium uitabam inſidias? Abeunte igitur amico remanſit Eduinus ſolus foris, reſidenſq; mœſtus ante palatium, multis cœpit cogitationū æſtibus affici: quid ageret, quo'ue pedem uerteret neſcius. Cūq; diu tacitis mentis angoribus, & cæco carperetur igne, uidit ſubitò intempeſtæ noctis ſilentio appropinquantem ſibi hominem uultus habituſq; incogniti, quem uidens, ut ignotum & inopinatum non parum expauit. At ille accedens ſalutauit eum, & interrogauit, quare illa hora cæteris quieſcentibus, & alto ſopore preſsis, ſolus ipſe mœſtus in lapide peruigil ſederet? At ille uiciſsim ſciſcitaba-

tur,



tur, quid ad eum pertineret, utrum ipſe intus an foris noctem tranſigeret? Qui reſpondens ait: Ne me æſtimes tuæ mœſtitiæ, & inſomniorum, & forinſecæ ac ſolitariæ ſeſsionis cauſam neſcire. Scio enim certiſsimè qui es, & quare mœres, & quæ uentura tibi in proximo mala formidas. Sed dicito mihi, quid mercedis dare uelis ei, ſi qui ſit, qui his te mœroribus abſoluat, & Redualdo ſuadeat, ut nec ipſe tibi aliquid mali faciat, nec tuis te hoſtibus perimendum tradat? Qui cum ſe omnia quæ poſſet, huic tali pro mercede beneficij daturum eſſe reſponderet: adiecit ille, Quid ſi etiam te regem futurum extinctis hoſtibus in ueritate promittat, ita ut non ſolùm omnes progenitores tuos, ſed & omnes, qui ante te reges in gente Anglorum poteſtate fuerant, tranſcendas. At Eduinus conſtantior interrogando factus, non dubitauit promittere, quin etiam ei qui tanta ſibi beneficia donaret, dignis ipſe gratiarum actionibus reſponderet. Tum ille tertiò: Si autem, inquit, is qui tibi tanta taliaq; dona ueraciter aduentura prædixerit, etiam conſilium tibi tuę ſalutis ac uitæ melius atq; utilius, quàm aliquis de tuis parentibus aut cognatis unquam audiuit, oſtendere potuerit: num ei obtemperare, & monita eius ſalutaria ſuſcipere conſentis? Nec diſtulit Eduinus, quin continuò polliceretur, ſe in omnibus ſecuturum doctrinā illius, qui ſe tot ac tantis calamitatibus ereptum, ad regni apicem proueheret. Quo accepto reſponſo, cōfeſtim is qui loquebatur cum eo, impoſuit dexteram ſuam capiti eius dicens: Cum hoc ergo tibi aduenerit, memento huius tēporis ac loquelæ noſtræ, & ea quæ nunc promittis, adimplere ne differas. Et his dictis, ut ferunt, repentè diſparuit, ut intelligeret non hominē eſſe, qui ſibi apparuiſſet, ſed ſpiritum. Et cùm regius iuuenis ſolus adhuc ibidem ſederet, gauiſus quidem de collata ſibi pia ac benigna conſolatione: ſed multùm ſollicitus, ac mente ſedula cogitans, quis eſſet ille, uel unde ueniſſet, qui hæc ſibi loqueretur? Venit ad eum præfatus amicus illius, læto'que uultu ſalutans eum: Surge (inquit) intra, & ſopitis ac relictis curarum anxietatibus, quieti membra ſimul & animum compone: quia immutatum eſt cor regis, nec tibi aliquid mali facere, ſed fidem potius pollicitam ſeruare diſponit. Poſtquam enim cogitationem ſuam, de qua tibi antè dixi, reginæ in ſecreto reuelauit, reuocauit eum illa ab intentione, admonens quia nulla ratione conueniat tanto regi amicum ſuum optimum in neceſsitate poſitum auro uendere: imò fidem ſuam, quæ omnibus ornamentis precioſior eſt, amore pecuniæ perdere. Quid plura? Fecit rex ut dictum eſt, nec ſolùm exulem nuncijs hoſtibus non tradidit, ſed etiam eum, ut in regnum perueniret, adiuuit. Nam mox redeuntibus domum nuncijs, exercitum ad debellandum Edelfridum collegit copioſum, eumq; ſibi occurrentem cum exercitu multum impari (non enim dederat illi ſpacium, quo totum ſuum congregaret atque adunaret exercitum) occidit in finibus gentis Merciorum, ad Orientalem plagam amnis, qui uocatur Idle. In quo certamine & filius Redualdi, uocabulo Regnheri occiſus eſt, ac ſic Eduinus iuxta oraculum quod acceperat, non tantum regis ſibi infeſti inſidias uitauit, uerumetiam eidem perempto in regni gloriam ſucceſsit. Cùm ergo prædicante uerbum Dei Paulino rex credere differret, & per aliquod tempus, ut diximus, horis competentibus ſolitarius ſederet, & quid agendum ſibi eſſet, quæ religio ſequenda ſedulus ſecum ipſe ſcrutari conſueſſet, ingrediens ad eum quadam die uir Dei, impoſuit dexterā capiti eius, & an hoc ſignum agnoſceret, requiſiuit. Qui cùm tremens ad pedes eius procidere uellet, leuauit eum, & quaſi familiari uoce affatus: Ecce, inquit, hoſtium manus quos timuiſti, Domino donante euaſiſti. Ecce regnum quod deſideraſti, ipſo largiente percepiſti. Memento, ut tertium quod promiſiſti, facere non differas, ſuſcipiendo fidem eius, & præcepta ſeruando, qui te & à temporalibus aduerſis eripiens, temporalis regni honore ſublimauit: & ſi deinceps uoluntati eius, quam per me tibi prædicat, obſecundare uolueris, etiam à perpetuis malorum tormentis te liberabit, & æterni ſecum regni in cœlis faciet eſſe participem.

*Quale conſilium idem cum primatibus ſuis de percipienda Chriſti fide habuerit, & ut pontifex eius ſuas aras profanauerit. Cap.* XIII.

QVibus auditis rex ſuſcipere quidem ſe fidem, quam docebat, & uelle & debere reſpondebat: uerùm adhuc cum amicis principatibus & conſiliarijs ſuis ſeſe de hoc collaturum eſſe dicebat, ut ſi & illi eadem cum eo ſentire uellent, omnes pariter in fonte uitæ Chriſto conſecrarentur. Et annuente Paulino, fecit ut dixerat. Habito enim cum ſapientibus cōſilio, ſciſcitabatur ſingillatim ab omnibus, qualis ſibi doctrina hæc eatenus inaudita, & nouus diuinitatis qui prædicabatur, cultus uideretur? cui primus pontificū ipſius Coifi continuò reſpondit: Tu uide rex, quale ſit hoc, quod nobis modò prædicatur: ego tibi ueriſsimè quod certum didici, profiteor, quia nihil omnino uirtutis habet religio illa, quam hucuſque tenuimus. Nullus enim tuorum ſtudioſius quàm ego culturæ deorum noſtrorum ſe ſubdidit: & nihilominus multi ſunt, qui ampliora à te beneficia quàm ego, & maiores accipiunt dignitates, magiſq; proſperātur in omnibus quæ agenda uel acquirenda diſponunt. Si autem dij aliquid ualerent, me potius iuuare uellent, qui illis impenſius ſeruire curaui. Vnde reſtat, ut ſi ea, quæ nunc nobis noua prædicantur, meliora eſſe & fortiora, habita examinatiōe perſpexeris, abſq; ullo cunctamine ſuſcipere illa feſtinemus. Cuius ſuaſioni uerbiſq; prudētibus alius optimatū regis tribuēs aſſenſum, cōtinuò ſubdidit: Talis, inquiēs, mihi uidetur rex uita hominum præſens in ter-

ris,

ris, ad comparationem eius quod nobis in certum eſt temporis, quale cùm te reſidente ad cœnam cum ducibus ac miniſtris tuis tẽpore brumali, accenſo quidem foco in medio, & calido effecto cœnaculo, furentibus autẽ foris per omnia turbinibus hyemalium pluuiarũ uel niuiũ: aduenienſq; unus paſſerum domum citiſsimè peruolarit, qui cum per unũ oſtium ingrediẽs, mox per aliud exierit, ipſo quidẽ tempore quo intus eſt hyemis tempeſtate nõ tangitur: ſed tamen minimo ſpacio ſerenitatis ad momentum excurſo, mox de hyeme in hyemem regrediẽs tuis oculis elabitur: ita hæc uita hominũ ad modicum apparet, quid autẽ ſequatur quid'ue præceſſerit, prorſus ignoramus. Vnde ſi hæc noua doctrina certius aliquid attulerit, meritò ſequenda eſſe uidetur. His ſimilia & cæteri maiores natu ac regis conſiliarij diuinitus admoniti proſequebãtur. Adiecit autẽ Coifi, quia uellet ipſum Paulinũ diligentius audire de Deo, quem prædicabat uerbum facientem. Quod cùm iubẽte rege faceret, exclamauit auditis eius ſermonibus dicẽs: Iam olim intellexerã, nihil eſſe quod colebamus: quia uidelicet quanto ſtudioſius in eo cultu ueritatem quærebam, tanto minus inueniebam. Nunc autem apertè profiteor, quia in hac prædicatione ueritas claret illa, quæ nobis uitæ, ſalutis & beatitudinis æternę dona ualet tribuere. Vnde ſuggero rex, ut templa & altaria, quæ ſine fructu utilitatis ſacrauimus, ocyus anathemati & igni tradamus. Quid plura? Præbuit palàm aſſenſum euangelizãdi beato Paulino rex, & abrenunciata idololatria, fidem ſe Chriſti ſuſcipere confeſſus eſt. Cumq; à præfato pontifice ſacrorum ſuorum quæreret, quis aras & fana idolorum cum ſeptis quibus erant circundata, primus profanare deberet? Ille reſpondit, Ego. quis enim ea quę per ſtultitiã colui, nunc ad exemplũ omnium aptius, quàm ipſe per ſapientiam mihi à Deo uero donatam, deſtruam? Statimq; abiecta ſuperſtitione uanitatis, rogauit ſibi regem arma dare, & equum emiſſarium, quem aſcendens ad idola deſtruenda uenit. Non enim licuerat pontificem ſacrorum, uel arma ferre, uel præter in equa equitare. Accinctus ergo gladio accepit lanceam in manu, & aſcendẽs emiſſarium regis, pergebat ad idola. Quod aſpiciens uulgus, æſtimabat eũ inſanire. Nec diſtulit ille, mox ut appropiabat ad fanum, profanare illud, iniecta in eo lancea quam tenebat, multumq; gauiſus de agnitione ueri Dei cultus, iuſsit ſocijs ſuis deſtruere ac ſuccendere fanum cum omnibus ſeptis ſuis. Oſtenditur autem locus ille quondam idolorum non longè ab Eboraco ad orientem amnem Doruuentionem, & uocatur hodie Gotmundin Gaham, ubi pontifex ille, inſpirãte Deo uero, polluit ac deſtruxit eas, quas ipſe ſacrauerat, aras.

*Vt idem Eduinus cum ſua gente fidelis ſit factus, & ubi Paulinus illos baptizauerit.* Cap. XIIII.

IGitur accepit rex Eduinus, cum cunctis gentis ſuæ nobilibus ac plebe perplurima, fidem & lauacrum ſanctę regenerationis, anno regni ſui undecimo, qui eſt annus Dominicæ incarnationis ſexcenteſimus uiceſimus ſeptimus: ab aduentu uerò Anglorum in Britanniam, annus circiter centeſimus octogeſimus. Baptizatus eſt aũt Eboraci die ſancto Paſchę, pridie iduum Aprilium, in eccleſia ſancti Petri apoſtoli, quã ibidem ipſe de ligno cum catechizaretur, atq; ad percipiendum baptiſma imbueretur, citato opere conſtruxit: in qua etiam ciuitate ipſi doctori atq; antiſtiti ſuo Paulino ſedem epiſcopatus donauit. Mox autem ut baptiſma conſecutus eſt, curauit docente eodem Paulino maiorem ipſo in loco, & auguſtiorem de lapide fabricare baſilicã, in cuius medio ipſum quod prius fecerat oratorium includeretur. Præparatis ergo fundamẽtis in gyro prioris oratorij, per quadrum cœpit ædificare baſilicam. Sed priuſquã altitudo parietis eſſet conſummata, rex ipſe impia nece occiſus, opus idem ſucceſſori ſuo Oſuualdo perficiendum reliquit. Paulinus autem ex eo tempore ſex annis continuis, id eſt, uſque ad finem imperij regis illius, uerbum Dei (annuente ac fauente ipſo) in ea prouincia prædicabat: credebantq; & baptizabantur quotquot erant præordinati ad uitam æternam: in quibus erant Osfridus & Eadfridus, filij regis Eduini, qui ambo ei exuli nati ſunt de Quenburga filia Cearli regis Merciorũ. Baptizati ſunt tempore ſequenti & alij liberi eius de Edelburga regina progeniti Edilhimus & Ediltridis filia, & alter filius Buſcfrea: quorum primi albati adhuc, rapti ſunt de hac uita, & Eboraci in eccleſia ſepulti. Baptizatus eſt & Iffi filius Osfridi: necnon & alij nobiles & egregij uiri nõ pauci. Tantus autem fertur tunc fuiſſe feruor fidei ac deſideriũ lauacri ſalutaris genti Nord Humbrorum, ut quodam tempore Paulinus ueniẽs cum rege & regina in uillam regiam, quæ uocatur Adregin, triginta ſex diebus ibidem cum eis catechizandi & baptizandi officio deditus moraretur: quibus diebus cunctis à mane uſq; ad ueſperam, nil aliud ageret, quàm confluentem eò de cunctis uiculis ac locis plebem, Chriſti uerbo ſalutis inſtruere, atq; inſtructam in fluuio Gleni, qui proximus erat, lauacro remiſsionis abluere. Hæc uilla tempore ſequentium regum deſerta, & alia pro illa eſt facta in loco, qui uocatur Melmin. Hæc quidem in prouincia Berniciorum, ſed & in prouincia Deirorum, ubi ſæpius manere cum rege ſolebat, baptizabat in fluuio Sualua, qui uicum iuxta Cataractam præterfluit. Nondum enim oratoria uel baptiſteria in ipſo exordio naſcentis ibi eccleſiæ poterant ædificari. Attamen in campo Dono (ubi tunc etiam uilla regia erat) fecit baſilicam, quam poſtmodum pagani, à quibus Eduinus rex occiſus eſt, cum tota eadem uilla ſuccẽderunt: pro qua reges poſteriores fecere ſibi uillam in regione quæ uocatur Loidis. Euaſit aũt ignẽ altare, quia lapideum erat, & ſeruatur adhuc in monaſterio reuerendiſsimi abbatis & presbyteri Trumuuulſi, qđ in ſylua Elmete eſt.





*Vt prouincia orientalium Anglorum fidem Chriſti ſuſceperit.* Caput XV.

TAntam autem (ut fertur) deuotionem Eduinus erga cultum ueritatis habuit, ut etiam regi orientalium Anglorum, Carpualdo filio Redualdi perſuaderet, relictis idolorum ſuperſtitionibus, fidem & ſacramẽta Chriſti cum ſua prouincia ſuſcipere. Et quidem pater eius Redualt, iamdudum in Cantio ſacramentis Chriſtianę fidei imbutus eſt, ſed fruſtra: nam rediens domum ab uxore ſua, & à quibuſdam peruerſis doctoribus ſeductus eſt, atq; à ſinceritate fidei deprauatus habuit poſteriora peiora prioribus, ita ut in morem antiquorum Samaritanorum & Chriſto ſeruire uideretur, & dijs quibus antea ſeruiebat. Atq; in eodem fano & altare haberet ad ſacrificium Chriſti, & arulam ad uictimas dæmoniorũ: quod uidelicet fanum rex eiuſdem prouinciæ Alduulf (qui noſtra ætate fuit) uſque ad ſuum tempus perduraſſe, & ſe in pueritia uidiſſe teſtabatur. Erat autem præfatus rex Redualdus natu nobilis, quãlibet actu ignobilis, filius Tytili, cuius pater fuit Vuffa, à quo reges Anglorum orientalium Vuffingas appellantur. Verùm Carpualdus non multo poſt quàm fidem accepit, tempore occiſus eſt, à uiro gentili nomine Richberto, & exinde tribus annis prouincia in errore uerſata eſt, donec accepit regnum eiuſdem frater Carpualdi Sibertus, uir per omnia doctiſsimus atq; Chriſtianiſsimus: qui uiuẽte adhuc fratre, cùm exularet in Gallia, fidei ſacramentis imbutus eſt, quorum participem, mox ubi regnare cœpit, totam ſuam prouinciam facere curauit: cuius ſtudijs glorioſiſsimè fauit Felix epiſcopus, qui de Burgundiorum partibus ubi ortus & ordinatus eſt, cum ueniſſet ad Honorium archiepiſcopum, eiq; indicaſſet deſiderium ſuum, miſit eum ad prædicandum uerbum uitæ, præfatę nationi Anglorum. Nec uota ipſius incaſſum cecidere, quin potius fructum in ea multiplicem credentium populorum pius agri ſpiritalis cultor inuenit. Siquidem totam illam prouinciam iuxta ſui nominis ſacramentum, à longa iniquitate atque infelicitate liberatam, ad fidem & opera iuſtitiæ ac perpetuæ felicitatis dona perduxit: accepitq; ſedem epiſcopatus in ciuitate Dummock, & cum ſeptendecim annos eidem prouinciæ pontificali regimine præfuiſſet, ibidem in pace uitam finiuit.

*Vt Paulinus in prouincia Lindiſi prædicauerit, & de qualitate regni Eduini.* Cap. XVI.

PRædicabat autem Paulinus uerbum etiam prouinciæ Lindiſi, quę eſt prima ad meridianam Humbri fluminis ripam, pertingens uſque ad mare: præfectumq; Lindocolinæ ciuitatis, cui nomẽ erat Blecca, primùm cum domo ſua conuertit ad Dominum. In qua uidelicet ciuitate & eccleſiam operis egregij de lapide fecit, cuius tecto uel longa incuria, uel hoſtili manu



deiecto, parietes hactenus ſtare uidẽtur, & omnibus annis aliqua miracula ſanitatum in eodẽ loco ſolent ad utilitatem eorum qui fideliter quęrunt, oſtendi. In qua eccleſia Paulinus trãſeunte ad Chriſtum Iuſto, Honorium pro eo cõſecrauit epiſcopum, ut in ſequentibus ſuo loco dicemus. De huius fide prouinciæ narrauit mihi presbyter & abbas quidã, uir ueraciſsimus, de monaſterio Peartan, uocabulo Deda, retuliſſe ſibi quendam ſeniorum, baptizatũ ſe fuiſſe die media, à Paulino epiſcopo, præſente rege Eduino, & multã populi turbam in fluuio Trehenta, iuxta ciuitatem quæ lingua Anglorum Tiouulfingaceſtir uocatur: qui etiam effigiem eiuſdem Paulini referre eſſet ſolitus, quòd eſſet longæ ſtaturæ, paululum incuruus, nigro capillo, facie macilẽta, naſo adunco, pertenui, uenerabilis ſimul & terribilis aſpectu. Habuit autẽ ſecum in miniſterio & Iacobum diaconum, uirum utiq; induſtrium ac nobilem in Chriſto & in eccleſia, qui ad noſtra uſq; tempora permanſit. Tanta autem eo tempore pax in Britannia, quoquouerſum imperiũ regis Eduini peruenerat, fuiſſe perhibetur, ut (ſicut uſq; hodie in prouerbio dicitur) etiamſi mulier unà cum recens nato paruulo uellet totam perambulare inſulã à mari ad mare, nullo ſe lædente, ualeret. Tantum quoq; rex idem utilitati ſuæ gentis conſuluit, ut pleriſq; in locis, ubi fontes lucidos iuxta publicos uiarum tranſitus conſpexit, ibi ob refrigerium uiantium erectis ſtipitibus & æreos caucos ſuſpendi iuberet, neque hos quiſquam niſi ad uſum neceſſarium contingere præ magnitudine, uel timoris eius auderet, uel amoris uellet. Tantum uerò excellentiæ in regno habuit, ut non ſolùm in pugna ante illum uexilla geſtarentur, ſed & tempore pacis equitantẽ inter ciuitates ſiue uillas aut prouincias ſuas, cũ miniſtris ſemper antecedere ſignifer cõſueuiſſet. Nec non & incedente illo ubilibet per plateas illud genus uexilli, qđ Romani Tufam, Angli uerò appellant Thuuf, ante eũ ferri ſolebat.

*Vt Eduinus ab Honorio papa exhortatorias literas accepit, qui etiam Paulino pallium miſerit.* Cap. XVII.

QVo tempore prẹſulatum ſedis Apoſtolicę Honorius Bonifacij ſucceſſor habebat, qui ubi gentem Nord Humbrorum cum ſuo rege ad fidem confeſsionemq; Chriſti Paulino euangelizante cõuerſam eſſe didicit, miſit eidẽ Paulino palliũ: miſit & regi Eduino literas exhortatorias, paterna illum charitate accendens, ut in fide ueritatis, quam acceperãt, perſiſtere ſemper ac proficere curarent. Quarum uidelicet literarum iſte eſt ordo: Domino excellentiſsimo atq; præcellentiſsimo filio Eduino regi Anglorum Honorius epiſcopus ſeruus ſeruorum Dei ſalutem. Ita Chriſtianitatis ueſtræ integritas circa conditoris ſui cultum fidei eſt ardore ſuccenſa, uel longè lateq; reſplendeat, & in omni mundo annunciata, ueſtri operis multipliciter referat fructum. Sic enim uos reges eſſe co-

gnoſcitis, dum regem & creatorem ueſtrum orthodoxa prædicatione edocti Deum uenerãdo colitis, eiq; quod humana ualet conditio mentis ueſtræ ſinceram deuotionẽ exoluitis. Quid Deo noſtro aliud offerre ualebimus, niſi ut in bonis actibus perſiſtentes, ipſumq; auctorẽ humani generis confitentes, eum colere, eiq; uota noſtra reddere feſtinemus? Et ideo excellentiſſime fili, paterna uos charitate qua cõuenit, exhortamur, ut hoc quod uos diuina miſericordia ad ſuam gratiã uocare dignata eſt, ſolicita intentione, & aſsiduis orationibus ſeruare omnimodo feſtinetis, ut qui uos in præſenti ſeculo ex omni errore abſolutos, ad agnitionẽ ſui nominis eſt dignatus perducere, cœleſtis patriæ uobis præparet manſionẽ. Prædicatoris igitur ueſtri, domini mei Apoſtolicæ memoriæ Gregorij lectione frequenter occupati, præ oculis affectum doctrinæ ipſius, quem pro ueſtris animabus libenter exercuit, habetote, quatenus eius oratio & regnum ueſtrum populumq; augeat, & uos omnipotẽti Deo irreprehenſibiles repræſentet. Ea uerò quæ à nobis pro ueſtris ſacerdotibus ordinãda ſperaſtis, hæc pro fidei ueſtræ ſinceritate, quæ nobis multimoda relatione per præſentium portitores laudabiliter inſinuata eſt, gratuito animo attribuere illis ſine ulla dilatione preuidemus. Et duo pallia utrorũq; metropolitanorum, id eſt, Honorio & Paulino direximus, ut dum quis eorũ de hoc ſeculo ad auctorem ſuum fuerit accerſitus, in loco ipſius alterum epiſcopũ ex hac noſtra auctoritate debeat ſubrogare: quod quidẽ tam pro ueſtrę charitatis affectu, quàm pro tãtarum prouinciarũ ſpacio, quæ inter nos & uos eſſe noſcuntur, ſumus inuitati concedere, ut in omnibus deuotioni ueſtræ noſtrum concurſum, & iuxta ueſtra deſideria præberemus. Incolumem excellentiã ueſtram gratia ſuperna cuſtodiat.

*Vt Honorius, qui Iuſto in epiſcopatu Dorouernenſis eccleſiæ ſucceßit, ab Honorio papa pallium & literas acceperit.* Caput XVIII.

INter hæc Iuſtus archiepiſcopus ad cœleſtia regna ſublatus eſt, quarto iduũ Nouembriũ die, & Honorius pro illo eſt in præſulatum electus: qui ordinandus uenit ad Paulinum, & occurrẽte ſibi illo in Lindocolino, quintus ab Auguſtino Dorouernenſis eccleſiæ cõſecratus eſt antiſtes: cui etiam præfatus papa Honorius miſit pallium & literas, in quibus decreuit hoc ipſum, quod in epiſtola ad Eduinũ regem miſſa decreuerat: ſcilicet ut cùm Dorouernenſis uel Eboracẽſis antiſtes de hac uita tranſierit, is qui ſupereſt conſors eiuſdem gradus, habeat poteſtatem alterũ ordinandi in loco eius qui trãſierat ſacerdotem, ne ſit neceſſe ad Romanã uſq; ciuitatem per tam prolixa terrarũ & maris ſpacia pro ordinando archiepiſcopo ſemper fatigari. Quarum etiam textum literarũ in noſtra hac hiſtoria ponere commodũ duximus: Dilectiſsimo fratri Honorio, Honorius, inter plurima quę redemptoris noſtri miſericordia ſuis famulis dignatur bonorũ munera prærogare, illud etiam clementer collata ſuę pietatis munificẽtia tribuit, quotiẽs per fraternos affatus unanimam dilectionẽ quadam contemplatione alternis aſpectibus repræſentat, pro quibus maieſtati eius gratias indeſinẽter exoluimus: eumq; uotis ſupplicibus exoramus, ut ueſtrã dilectionem in prædicatione euangelij elaborantem & fructificantem, ſectãtemq; magiſtri ueſtri & capitis ſui ſancti Gregorij regulam, perpeti ſtabilitate confirmet: & ad augmentum eccleſiæ ſuæ potiora per uos ſuſcitet incrementa, ut fide & opere in timore Dei, & charitate ueſtra acquiſitio deceſſorumq; ueſtrorum, quę per domini Gregorij exordium pullulat, conualeſcendo amplius extendatur, ut ipſa uos Dominici eloquij promiſſa in futuro reſpiciant. Voſq; uox iſta ad æternam feſtiuitatem euocet: Venite ad me omnes, qui laboratis, & onerati eſtis, & ego reficiam uos. & iterum, Euge ſerue bone & fidelis, quia ſuper pauca fuiſti fidelis, ſuper multa te conſtituam, intra in gaudium Domini tui. Et nos equidem fratres chariſsimi, hæc uobis pro æterna charitate exhortationis uerba præmittentes, quæ rurſus pro eccleſiarum ueſtrarũ priuilegijs congruere poſſe conſpicimus, non deſiſtimus impartire. Et iam iuxta ueſtram petitionem, quam filiorum noſtrorum regum uobis præſenti noſtra præceptione, uice beati Petri apoſtolorum principis, auctoritatem tribuimus, ut quãdo unum ex uobis diuina ad ſe iuſſerit gratia uocari, is qui ſuperſtes fuerit, alterũ in loco defuncti debeat epiſcopũ ordinare. Pro qua etiã re ſingula ueſtræ dilectioni pallia pro eadem ordinatione celebranda direximus, ut per noſtræ præceptionis auctoritatem poſsitis Deo placitam ordinationẽ efficere: quia ut hæc uobis concederemus, longa terrarum mariſq; interualla, quæ inter nos ac uos obſiſtũt, ad hęc nos cõdeſcendere coegerunt: ut nulla poſsit eccleſiarum ueſtrarũ iactura per cuiuslibet occaſionis obtentum quoquo modo peruenire: ſed potius commiſsi uobis populi deuotionẽ plenius propagare. Deus te incolumem cuſtodiat dilectiſsime frater. Data die tertia idus Iunias, imperantibus Dominis noſtris pijſsimis Auguſtis: Heraclio, anno uiceſimo quarto, pro conſulatus eiuſdẽ anno uiceſimo tertio, & conſulatus eius anno tertio: ſed & Heraclio feliciſſimo Cæſare, id eſt, filio eius, anno tertio, indictione ſeptima, id eſt, anno Dominicæ incarnationis ſexcenteſimo triceſimo tertio.

*Vt primò idem Honorius, & poſt Iohannes, literas genti Scottorum pro paſchæ obſeruatione, ſimul & pro Pelagiana hæreſi miſerit.* Caput XIX.

MIſit idem papa Honorius literas etiã genti Scottorum, quos in obſeruatione ſancti paſchæ errare compererat, iuxta quod ſuprà docuimus, ſolerter exhortans, ne paucitatem ſuã in extremis terræ finibus cõſtitutã, ſapientiorẽ

anti-



antiquis ſiue modernis, quæ per orbem terrę erant, Chriſti eccleſijs æſtimarent: ne'ue contra paſchales computos, & decreta ſynodaliũ totius orbis pontificum aliud paſcha celebrarẽt. Sed & Iohannes, qui & ſucceſſori eiuſdẽ Honorij Seuerino ſucceſsit, cũ adhuc eſſet electus in pontificatum, pro eodem errore corrigẽdo, literas eis magna auctoritate atque eruditione plenas direxit, euidenter aſtruẽs, quia Dominicum paſchæ diem à quintadecima luna uſq; ad uiceſimam primam lunam (quod in Nicena ſynodo probatum eſt) oporteret inquiri. Nec nõ & pro Pelagiana hæreſi (quam apud eos reuiuiſcere didicerat) cauenda ac repellenda, in eadẽ illos epiſtola admonere curauit. cuius epiſtolæ principium hoc eſt: Dilectiſsimis & ſanctiſsimis Thomiano, Columbano, Chromano, Dimano & Bathano epiſcopis: Chromano, Hermannoq;, Lauſtrano, Stellano & Segiano preſbyteris: Sarano cæteriſq; doctoribus ſeu abbatibus Scottis, Hilarius archipresbyter, & ſeruans locum ſanctæ ſedis Apoſtolicæ, Iohannes diaconus & in Dei nomine electus: item Iohãnes primicerius, & ſeruans locum ſanctæ ſedis Apoſtolicæ, & Iohannes ſeruus Dei conſiliarius eiuſdem Apoſtolicæ ſedis. Scripta quæ per latores ad ſanctæ memoriæ Seuerinum papã adduxerunt, eo de hac luce migrãte, reciproca reſponſa ad ea quæ poſtulata fuerant, ſiluerunt. Quibus reſeratis, ne diu tantæ quæſtionis caligo indiſcuſſa remaneret, reperimus quoſdam prouinciæ ueſtræ cõtra orthodoxã fidẽ, nouam ex ueteri hæreſim renouare conãtes, paſcha noſtrum in quo immolatus eſt Chriſtus, nebuloſa caligine refutantes, & quartadecima luna cum Hebræis celebrare nitentes. Quo epiſtolę principio manifeſtè declaratur, & nuperrimè tẽporibus illis hanc apud eos hæreſim exortã, & nõ totam eorũ gentem, ſed quoſdã ex eis hac fuiſſe implicitos. Expoſita autẽ ratione paſchalis obſeruantiæ, ita de Pelagianis in eadem epiſtola ſubdũt: Et hoc quoq; cognouimus, quòd uirus Pelagianę hęreſeos apud uos denuò reuiuiſcit: quod omnino hortamur, ut à ueſtris mentibus huiuſmodi uenenatũ ſuperſtitionis facinus auferatur. Nam qualiter ipſa quoq; execranda hæreſis damnata eſt, latere uos nõ debet: quia nõ ſolùm per iſtos ducentos annos abolita eſt, ſed & quotidie à nobis perpetuo anathemate ſepulta dãnatur: & hortamur, ne quorũ arma cõbuſta ſunt, apud uos eorũ cineres ſuſcitentur. Nam quis non execretur ſuperbum eorũ conamen & impium, dicentiũ, poſſe ſine peccato hominẽ exiſtere ex propria uoluntate, & non ex gratia Dei? Et primũ quidẽ blaſphemia & ſtultiloquium eſt dicere, eſſe hominẽ ſine peccato: quod omnino non poteſt, niſi unus mediator Dei & hominũ homo Chriſtus Ieſus, qui ſine peccato eſt cõceptus & partus. Nam cæteri homines cũ peccato originali naſcentes, teſtimonium, præuaricationis Adæ (etiã ſine peccato actuali exiſtentes) portare noſcuntur, ſecundũ prophetã dicẽtẽ: Ecce enim in iniquitatib. cõceptus ſum, & in peccatis cõcepit me mater mea.



*Vt occiſo Eduino Paulinus Cantium rediens, Rhofenſis eccleſiæ præſulatum ſuſceperit.* Cap. XX.

AT uerò Eduinus, cùm decem & ſeptem annis genti Anglorum, ſimul & Britonũ glorioſiſsimè præeſſet, è quibus etiam rex ipſe (ut diximus) Chriſti regno militauit, rebellauit aduerſus eum Carduella rex Britonum, auxiliũ præbẽte illi Penda, uiro ſtrenuiſsimo, de regio genere Merciorum, qui & ipſe ex eo tempore gentis eiuſdem regno annis uiginti & duobus uaria ſorte præfuit. Et conſerto graui prælio in campo, qui uocatur Hethfelth, occiſus eſt Eduinus die quarta iduum Octobris, anno Dominicę incarnationis ſexcenteſimo triceſimotertio, cùm eſſet annorũ quadraginta & ſeptẽ: eiuſq; totus uel interemptus, uel diſperſus eſt exercitus. In quo etiam bello ante illum unus filius eius Oſfrid, iuuenis bellicoſus cecidit: alter Edfrid neceſsitate cogente ad Pendã regem trãſfugit, & ab eo poſtmodum regnãte Oſuualdo contra fidem iuriſiurandi, peremptus eſt. Quo tẽpore maxima eſt facta ſtrages in eccleſia, uel gente Nord Humbrorum, maximè quòd unus ex ducibus (à quibus acta eſt) paganus, alter quia barbarus erat, pagano ſæuior. Siquidem Penda cum omni Merciorũ gente idolis deditus, & Chriſtiani erat nominis ignarus. At uerò Carduella quamuis nomẽ & profeſsionem haberet Chriſtiani, adeò tamen erat animo ac moribus barbarus, ut nec ſexui quidem muliebri, uel innocuæ paruulorũ parceret ętati, quin uniuerſos atrocitate ferina morti per tormẽta contraderet: multo tempore totas eorum prouincias debacchando peruagatus, ac totum genus Anglorum Britanniæ finibus eraſurum ſe eſſe deliberans. Sed nec religioni Chriſtianæ, quæ apud eos exorta erat, aliquid impendebat honoris. Quippe cùm uſq; hodie moris ſit Britonum, fidem religionemq; Anglorum pro nihilo habere, neq; in aliquo eis magis communicare quàm paganis. Allatum eſt autem caput Eduini regis Eboracum, & illatũ poſtea in eccleſiam beati Petri apoſtoli, quam ipſe cœpit: ſed ſucceſſor eius Oſuualdus perfecit, ut ſuprà docuimus. Poſitum eſt autem in porticu ſancti papæ Gregorij, à cuius ipſe diſcipulis uerbum uitæ ſuſceperat. Turbatis itaq; rebus Nord Hũbrorum huius articulo cladis, cũ nihil alicubi præſidij niſi in fuga eſſe uideretur, Paulinus aſſumpta ſecum Edelburga regina, quam pridem adduxerat, redijt Cantium nauigio, atq; ab Honorio archiepiſcopo & rege Edulbaldo multũ honorificè ſuſceptus eſt. Venit autem illuc duce Baſſo, milite regis Eduini fortiſsimo, habẽs ſecum Heanfredam filiam, & Vulcfream filiũ Eduini: nec non & Iffi filium Oſfridi filij eius, quos poſtea mater metu Edboldi & Oſuualdi regum miſit in Galliam, nutriendos regi Decberto: ibiq; ambo in infantia defuncti, & iuxta honorẽ uel regijs pueris uel innocẽtibus Chriſti cõgruũ in eccleſia ſepulti ſunt. Attulit quoq;

ſecum uaſa precioſa Eduini regis perplura, in quibus & crucem magnam auream, & calicem aureum conſecratum ad miniſteriū altaris, quę hactenus in eccleſia Cantij conſeruata monſtrātur. Quo in tempore Rhofenſis eccleſia paſtorem minimè habebat, eo quòd Romanus præſul illius ad Honorium papam à Iuſto archiepiſcopo legatarius miſſus, abſorptus fuerat fluctibus Italici maris, ac per hoc curam illius præfatus Paulinus inuitatione Honorij antiſtitis, & Eadbaldi regis ſuſcepit, ac tenuit uſq; dum & ipſe ſuo tempore ad cœleſtia regna, cum glorioſi fructu laboris aſcendit: in qua eccleſia moriēs pallium quoq; quod à Romano papa acceperat, reliquit. Reliquerat autē in eccleſia ſua Eboraci Iacobum Diaconum, uirum utiq; eccleſiaſticum & ſanctum, qui multo ex hinc tempore in eccleſia manēs, magnas antiquo hoſti prędas docendo & baptizando eripuit. Cuius nomine uicus in quo maximè ſolebat habitare iuxta Cataractā, uſq; hodie cognominatur. Qui quoniam cantādi in eccleſia erat peritiſsimus, recuperata poſtmodum pace, in prouincia creſcente numero fidelium, etiam magiſter eccleſiaſticæ cantionis iuxta morem Romanorū ſeu Cantuariorum, multis cœpit exiſtere. Et ipſe ſenex & plenus dierum, iuxta ſcripturas, patrum uiam ſecutus eſt.

SECVNDI LIBRI FINIS.

# Eccleſiaſticæ Hiſtoriæ gentis Anglorum, LIBER III.

*Vt primi ſucceſſores Eduini regis, & fidem ſuæ gentis prodiderint, & regnum. Porrò Oſuualdus Chriſtianiſſimus rex utrunque reſtaurauit. Caput I.*

AT interfecto in pugna Eduino, ſuſcepit pro illo regnum Deirorum (de qua prouincia ille generis proſapiam & primordia regni habuerat) filius patrui eius Elfrici, uocabulo Oſrichus, qui ad prædicationem Paulini fidei erat ſacramentis imbutus. Porrò regnum Berniciorū (nā in has duas prouincias gens Nord Humbrorum antiquitus diuiſa erat) ſuſcepit filius Edelfridi, qui de illa prouincia generis & regni originem duxerat, nomine Eanfridus. Siquidē tempore toto quo regnauit Eduinus, filij præfati regis Edelfridi, qui ante eum regnauerat, cum magna nobiliū iuuētute apud Scottos ſiue Pictos exulabāt: ibiq; ad doctrinā Scottorū catechizati, & baptiſmatis gratia ſunt recreati: qui ut mortuo rege inimico, patriā ſunt redire permiſsi, accepit primus eorū, quem diximus, Oſrichus regnum Deirorum, ſecundus uerò Eanfridus regnum Berniciorum. Vterq; autem, ut terreni regni inſulas ſortitus eſt, ita ſacramenta regni cœleſtis, quibus initiatus erat, anathematizando perdidit, ac ſe priſcis idololatrię ſordibus polluendū perdendumq; reſtituit. Nec mora, utrunq; rex Britonum Cedualla impia manu, ſed iuſta ultione peremit. Et primò quidem proxima æſtate Oſrichum, dum ſe in oppidi municipio temerariè obſediſſet, erumpens ſubitò cum ſuis omnibus, imparatum cum toto exercitu deleuit. Deinde cum anno integro prouincias Nord Humbrorum non ut rex uictor poſsideret, ſed quaſi tyrannus ſęuiens diſperderet, ac tragica cęde dilaceraret, Eanfridū inconſultè ad ſe cum duodecim electis militibus poſtulandæ pacis gratia uenientem, ſimili ſorte damnauit. Infauſtus ille annus, & omnibus bonis exoſus uſq; hodie permanet, tam propter apoſtaſiam regum Anglorum, quam fidei ſacramentis ſe exuerant, quàm propter ueſanam Britonici regis tyrānidem. Vnde cunctis placuit, regum tempora computantibus, ut ablata de medio regum perfidorum memoria, idē annus ſequētis regis, id eſt, Oſuualdi, uiri Deo dilecti, regno aſsignaretur: quo, poſt occiſionē fratris Eanfridi, ſuperueniente cum paruo exercitu, ſed fide Chriſti munito, infandus Britonum dux cum immenſis illis copijs, quibus nihil reſiſtere poſſe iactabat, interēptus eſt, in loco qui lingua Anglorum Deniſes burna, id eſt, riuus Deniſi uocatur.

*Vt de ligno crucis, quod idem rex contra Barbaros pugnaturus erexerat, inter innumera ſanitatum miracula quidam adoleſcens ſit brachij languore curatus. Caput II.*

OStenditur autē uſq; hodie, & in magna ueneratione habetur locus ille, ubi uenturus ad hanc pugnam Oſuualdus ſignum ſanctę crucis erexit, ac flexis genibus Deum deprecatus eſt, ut in tāta rerum neceſsitate ſuis cultoribus cœleſti ſuccurreret auxilio. Deniq; fertur, quia facta citato opere cruce ac fouea, præparata in qua ſtatui deberet, ipſe fide feruēs hāc arripuerit, ac foueæ impoſuerit, atq; utraq; manu erectam tenuerit, donec aggeſto à militibus puluere terræ figeretur. Et hoc facto elata in altū uoce, cuncto exercitui proclamauerit: Flectamus omnes genua, & Deum omnipotētem uiuum ac uerum in communi deprecemur, uti nos ab hoſte ſuperbo ac feroce, ſua miſeratione defendat. ſcit enim ipſe, quia iuſta pro ſalute gentis noſtræ bella ſuſcepimus. Fecerūt omnes ut iuſſerat. Et ſic incipiēte diluculo in hoſtē progreſſi, iuxta meritum ſuæ fidei uictoria potiti ſunt. In cuius loco orationis innumerę uirtutes ſanitatū noſcūtur eſſe patratæ, ad indiciū uidelicet ac memoriā fidei regis. Nā & uſq; hodie multi de ipſo ligno ſacroſanctæ crucis aſſulas excidere ſolent, quas cum in aquas miſerint, eiſq; languentes homines ac pecudes potauerint ſiue aſperſerint, mox ſanitati reſtituuntur. Vocatur





catur locus ille lingua Anglorum Heofonfeld, quod dici poteſt Latinè, cœleſtis cāpus, quod certo utiq; præſagio futurorum antiquitus nomen accepit: ſignificās nimirum quòd cœleſte ibidem erigendum trophæum, cœleſtis inchoāda uictoria, cœleſtia uſque hodie forent miracula celebranda. Eſt autē locus ille iuxta murum illum ad aquilonem, quo Romani quondam ob arcendos barbarorum impetus totam à mari uſq; ad mare præcinxere Britāniam, ut ſuprà docuimus. In quo uidelicet loco conſuetudinem multo iam tempore fecerant fratres Haguſtaldenſis eccleſiæ (quæ non longè abeſt) aduenientes omni anno, pridie quàm poſtea idem rex Oſuualdus occiſus eſt, uigilias pro ſalute animæ eius facere, plurimaq; pſalmorum laude celebrata, uictimā pro eo manè ſacræ oblationis offerre. Qui etiam creſcente bona conſuetudine, nuper ibidem eccleſia cōſtructa atq; dedicata, ſacratiorem & cunctis honorabiliorem omnibus locum fecerunt. Nec immeritò: quia nullum, ut comperimus, fidei Chriſtianæ ſignum, nulla eccleſia, nullum altare in tota Berniciorum gente erectum eſt, priuſquam hoc ſacræ crucis uexillum nouus militiæ ēductor dictante fidei deuotione, contra hoſtē immaniſsimum pugnaturus ſtatueret. Nec ab re eſt, unū è pluribus, quæ ad hanc crucē patrata ſunt, uirtutis miraculum narrare. Quidam è fratribus eiuſdē Haguſtaldenſis eccleſiæ, nomine Bothelmus, qui nūc uſq; ſupereſt, ante paucos annos, dum incautus fortè noctu in glacie incederet, repentè corruens brachiū contriuit, ac grauiſsima fracturæ ipſius cœpit moleſtia fatigari, ita ut ne ad eos quidem adducere ipſum brachium nullatenus dolore arcēte ualeret. Qui cùm die quadam manè audiret unum de fratribus ad locum eiuſdē ſanctæ crucis aſcendere diſpoſuiſſe, rogauit ut aliquam ſibi partem de illo ligno uenerabili rediēs afferret: credere ſe dicēs, quia per hoc donante Domino, ſalutem poſſet conſequi. Fecit ille ut rogatus eſt, & reuerſus ad ueſperā, ſedentibus iā ad menſam fratribus, obtulit ei aliquid de ueteri muſco, quo ſuperficies ligni erat obſita. Qui cum ſedens ad menſam nō haberet ad manum, ubi oblatum ſibi munus reponeret, miſit hoc in ſinum ſuum. Et dum iret cubitum, oblitus hoc alicubi deponere, permiſit ſuo in ſinu permanere At medio noctis tempore cum euigilaret, ſenſit, neſcio quid frigidi ſuo lateri adiacere: admotaq; manu requirere quid eſſet, ita ſanum brachium manumq; reperit, ac ſi nil unquam tanti languoris habuiſſet.

*Vt idem rex poſtulans de gente Scottorum, acceperit Aidanum, eidemq; in inſula Lindiſfarnenſi ſedem epiſcopatus donauerit. Caput III.*

IDem ergo Oſuualdus, mox ubi regnū ſuſcepit, deſiderans totam cui prǫeſſe cœpit gentē, fidei Chriſtianę gratia imbui, cuius experimenta permaxima in expugnandis Barbaris iam ceperat, miſit ad maiores natu Scottorū, inter quos exulans ipſe baptiſmatis ſacramēta cum his qui ſecum erant militibus conſecutus erat, petens ut ſibi mitteretur antiſtes, cuius doctrina ac miniſterio gens, quam regebat Anglorū Dominicæ fidei & dona diſceret, & ſuſciperet ſacramenta. Neq; aliquāto tardius quod petijt, impetrauit: accepit namq; pontificem Aidanū ſummę manſuetudinis & pietatis ac moderaminis uirum, habentemq; zelum Dei, quamuis nō plenè ſecūdum ſcientiam. Namq; diem paſchæ Dominicum more ſuæ gentis, cuius ſæpius mētionem fecimus, à quartadecima luna uſq; ad uiceſimam obſeruare ſolebat. Hoc etenim ordine ſeptentrionalis Scottorum prouincia, & omnis natio Pictorum illo adhuc tempore paſchæ Dominicum celebrabat, æſtimans ſe in hac obſeruantia ſancti ac laude digni patris Anatholij ſcripta ſecutum. Quod quidem an uerum ſit, peritus quiſq; facillimè cognoſcit. Porrò gētes Scottorum, quæ in Auſtralibus Hyberniæ inſulæ partibus morabantur, iamdudum ad admonitionem Apoſtolicæ ſedis antiſtitis paſcha canonico ritu obſeruare didicerūt. Veniente igitur ad ſe epiſcopo, rex locum ſedis epiſcopalis in inſula Lindiſfarnenſi, ubi ipſe petebat, tribuit. Qui uidelicet locus accedente ac recedente reumate, bis quotidie inſtar inſulæ, maris circunluitur undis, bis renudato litore contiguus terræ redditur: atq; eius admonitionibus humiliter ac libenter in omnibus auſcultans, eccleſiam Chriſti in regno ſuo multum diligenter ędificare ac dilatare curauit. Vbi pulcherrimo ſæpè ſpectaculo contigit, ut euangelizante antiſtite, qui Anglorum linguam perfectè non nouerat, ipſe rex ſuis ducibus ac miniſtris interpres uerbi exiſteret cœleſtis: quia nimirū tam longo exilij ſui tempore linguam Scottorum iam plenè didicerat. Exinde cœpere plures per dies de Scottorum regione uenire in Britanniam, atq; illis Anglorum prouincijs quibus regnauit rex Oſuualdus magna deuotione uerbum fidei prædicare, & credentibus gratiam baptiſmi, quicunque ſacerdotali erant gradu præditi, miniſtrare. Conſtruebantur ergo eccleſiæ per loca, confluebant ad audiēdum uerbum Dei populi gaudentes, donabantur munere regio poſſeſsiones & territoria ad inſtituēda monaſteria, imbuebantur præceptoribus Scottis paruuli Anglorum unà cum maioribus ſtudijs, & obſeruatione diſciplinæ regularis. Nam monachi erant, maximè qui ad prædicandum uenerant. Monachus ipſe epiſcopus Aidanus, utpote de inſula quę uocatur Hydeſtinatus: cuius monaſterium in cunctis penè ſeptētrionalium Scottorum & omnium Pictorum monaſterijs non paruo tempore arcem tenebat, regendiſq; eorum populis præerat: quę uidelicet inſula ad ius quidem Britanniæ pertinet, non magno ab ea freto diſcreta, ſed donatione Pictorum, qui illas Britanniæ plagas incolunt, iamdudum monachis Scottorum tradita, eo quòd illis prædicantibus fidem Chriſti perceperunt.

*Quando gens Pictorum fidem Chriſti ſuſceperit.* *Caput* IIII.

SIquidē anno incarnationis Dominicæ quingenteſimo ſexageſimo quinto (quo tempore gubernaculum Romani imperij poſt Iuſtinianū Iuſtinus minor accepit) uenit de Hybernia presbyter & abbas habitu & uita monachi inſignis, nomine Columbanus, in Britanniam, prædicaturus uerbum Dei prouincijs Septentrionalium Pictorum: hoc eſt, eis qui arduis atque horrentibus montium iugis ab auſtralibus eorum ſunt regionibus ſequeſtrati. Namque ipſi auſtrales Picti, qui intra eoſdem montes habent ſedes, multo antè tempore (ut perhibent) relicto errore idololatriæ fidem ueritatis acceperant, prædicante eis uerbum Nynia epiſcopo reuerēdiſsimo & ſanctiſsimo uiro de natione Britonum, qui erat Romę regulariter fidem & myſteria ueritatis edoctus: cuius ſedem epiſcopatus, ſancti Martini epiſcopi nomine, & eccleſia inſignem (ubi ipſe etiam corpore unà cum pluribus ſanctis requieſcit) iam nunc Anglorum gēs obtinet. Qui locus ad prouinciam Berniciorum pertinēs, uulgò uocatur Ad candidam caſam, eo quòd ibi eccleſiam de lapide inſolito Britonibus more fecerit. Venit autem in Britanniā Columbanus, regnante Pictis Bridio filio Meilochon, rege potentiſsimo, nono anno regni eius: gētemq; illam uerbo & exemplo ad fidem Chriſti conuertit. unde & præfatam inſulam ab eis in poſſeſsionem monaſterij faciendi acceperit. Neque enim magna eſt, ſed quaſi familiarum quinque, iuxta ęſtimationem Anglorum, quam ſucceſſores eius uſque hodie tenent, ubi & ipſe ſepultus eſt, cùm eſſet annorum ſeptuaginta ſeptem, poſt annos circiter triginta & duos, ex quo ipſe Britanniam prædicaturus adijt. Fecerat autem priuſquā in Britanniam ueniret, monaſteriū nobile in Hybernia, quod à copia roborum Dearmach lingua Scottorum, hoc eſt, campus roborum, cognominatur. Ex quo utroq; monaſterio perplurima exinde monaſteria per diſcipulos eius & in Britannia & in Hybernia propagata ſunt: in quibus omnibus idem monaſterium inſulanū, in quo ipſe requieſcit corpore, principatū tenet. Habere autem ſolet ipſa inſula rectorem ſemper abbatem presbyterū, cuius iuri & omnis prouincia & ipſi etiā epiſcopi ordine inuſitato debeant eſſe ſubiecti, iuxta exemplum primi doctoris illius, qui non epiſcopus, ſed presbyter extitit & monachus: de cuius uita & uerbis nō nulla à diſcipulis eius feruntur ſcripta haberi. Verùm qualiſcunque fuerit ipſe, nos hoc de illo certum tenemus, quòd reliquit ſucceſſores magna continētia, ac diuino amore regulariq; inſtitutione inſignes: in tempore quidem ſummę feſtiuitatis dubios circulos ſequentes, utpote quibus longè ultra orbem poſitis, nemo ſynodalia Paſchalis obſeruantiæ decreta porrexerat, tantum ea quæ in propheticis, euangelicis & Apoſtolicis literis diſcere poterant; pietatis & caſtitatis opera diligenter obſeruantes. Permanſit autem huiuſmodi obſeruātia paſchalis apud eos tempore non pauco, hoc eſt, uſque ad annum Dominicæ incarnationis ſeptingenteſimum decimū ſextum, per annos centum quinquaginta. At tunc ueniente ad eos reuerendiſſimo & ſanctiſsimo patre & ſacerdote Egbertho, de natione Anglorū, qui in Hybernia diutius exulauerat pro Chriſto, eratq; doctiſsimus in ſcripturis, & longæua uitæ perfectione eximius, correcti ſunt per eum, & ad uerum canonicumq; paſchę diem tranſlati: quem tamen & antea nō ſemper in luna quartadecima cum Iudæis, ut quidam rebantur, ſed in die quidē Dominica, alia tamen quàm decebat hebdomada, celebrabant. Sciebant enim (ut Chriſtiani) reſurrectionem Dominicam, quæ prima ſabbati facta eſt, prima ſabbati ſemper eſſe celebrandā: ſed ut barbari & ruſtici, quando eadem prima ſabbati, quæ nunc Dominica dies cognominatur, ueniret, minimè didicerant. Verùm quia gratia charitatis feruere non omiſerant, huius quoq; notitiā rei ad perfectum percipere meruerunt, iuxta promiſſum Apoſtoli dicentis: Et ſi quid aliter ſapitis, & hoc quoq; uobis Deus reuelauit. de quo plenius in ſequentibus ſuo loco dicendum.

*De uita Aidani epiſcopi.* *Caput* V.

AB hac ergo inſula, ab horū collegio monachorū ad prouinciā Anglorū inſtituēdam, in Chriſto miſſus eſt Aidanus accepto gradu epiſcopatus, quo tēpore eidē monaſterio Segenius abbas & presbyter pręfuit: unde inter alia uiuendi documenta, ſaluberrimū abſtinētię uel continētiæ clericis exemplū reliquit: cuius doctrinā id maximè commendabat omnibus, q̄ nō aliter quàm uiuebat cum ſuis, ipſe docebat. Nihil enim huius mundi quęrere, nil amare curabat. Cuncta quę ſibi à regibus uel diuitibus ſeculi donabantur, mox pauperibus qui occurrerent, erogare gaudebat. Diſcurrere per cuncta, & urbana & ruſtica loca: nō equorū dorſo, ſed pedū inceſſu uectus, niſi ſi maior fortè neceſsitas compuliſſet, ſolebat. Quatenus ubicunq; aliquos, uel diuites uel pauperes incedēs aſpexiſſet, cōfeſtim ad hos diuertens, uel ad fidei ſuſcipiēdæ ſacramentū, ſi infideles eſſent, inuitaret: uel ſi fideles, in ipſa eos fide confortaret, atq; ad eleemoſynas bonorumq; operum executionē & uerbis excitaret & factis. In tātum autē uita illius à noſtri temporis ſegnicia diſtabat, ut omnes qui cum eo incedebant, ſiue adtonſi ſiue laici, meditari deberent: id eſt, aut legēdis ſcripturis, aut pſalmis diſcendis operā dare. Hoc erat quotidianū opus illius, & omniū qui cum eo erāt fratrū, ubicūq; locorū deueniſſent. Et ſi fortè eueniſſet (quod tamē rarò euenit) ut ad regis conuiuiū uocaretur, intrabat cū uno clerico aut duob. & ubi paululū reficiebatur, accelerabat ocyus ad legēdū cū ſuis, ſiue ad orandū exiuit. Cuius exēplis informati, tēpore illo, religioſi



quiq; uiri ac fœminæ, conſuetudinē fecerūt per totū annū, excepta remiſsione quinquageſimę paſchalis, quarta & ſexta ſabbati ieiuniū ad nonam uſq; horam protelare. Nunquā diuitibus honoris ſiue timoris gratia, ſi qua deliquiſſent, reticebat, ſed aſpera illos inuectione corrigebat. Nullam potentibus ſeculi pecuniam, excepta ſolummodo eſca, ſi quos hoſpitio ſuſcepiſſet, unquam dare ſolebat: ſed ea potius quæ ſibi à diuitibus donaria pecuniarum largiebantur, uel in uſus pauperū (ut diximus) diſpergebat, uel ad redemptionem eorum qui iniuſtè fuerāt uenditi, diſpenſabat. Deniq; multos quos precio dato redemerat, redemptos poſtmodum ſuos diſcipulos fecit, atq; ad ſacerdotalem uſq; gradum erudiendo atq; inſtituendo prouexit. Ferunt autem, quia cùm de prouincia Scottorū rex Oſuualdus poſtulaſſet antiſtitem, qui ſibi ſuęq; genti uerbum fidei miniſtraret, miſſus fuerit primò alius auſterioris animi uir: qui cùm aliquandiu genti Anglorum prædicans, nil proficeret, nec libēter à populo audiretur, redierit in patriam, atq; in cōuentu ſeniorum retulerit; quia nihil prodeſſe docendo genti ad quā miſſus erat, potuiſſet: eo quòd eſſent homines indomabiles, & duræ ac barbaræ mentis. At illi, ut perhibent, tractatum magnū in cōcilio quid eſſet agendum, habere cœperunt: deſiderantes quidem genti quam petebant, ſalutem eſſe, ſed non recepto quem miſerant prædicatore dolentes. Tunc ait Aidanus (nam & ipſe concilio intererat) ad eum de quo agebatur ſacerdotē: Videtur mihi frater, quia durior iuſto indoctis auditoribus fuiſti, & non eis iuxta apoſtolicam diſciplinam primò lac doctrinæ mollioris porrexiſti, donec paulatim enutriti uerbo Dei ad capienda perfectiora, & ad facienda ſublimiora Dei præcepta ſufficerent. Quo audito, omniū qui conſedebant, ad ipſum ora & oculi conuerſi, diligenter quid diceret, diſcutiebant, & ipſum eſſe dignū epiſcopatu, ipſum ad erudiendos incredulos & indoctos mitti debere decernunt: qui gratia diſcretionis, quæ uirtutum mater eſt, ante omnia probatur imbutus: ſicq; illū ordinantes ad prędicandum miſerunt. Qui ubi tempus accepit, ſicut prius moderamine diſcretionis, ita poſtmodum & cæteris uirtutibus ornatus apparuit.

*De religione ac pietate miranda Oſuualdi regis.* *Caput* VI.

HVius igitur reuerēdiſsimi antiſtitis doctrina, rex Oſuualdus cum ea cui præerat gente Anglorū inſtitutus, nō ſolùm incognita progenitoribus ſuis regna cœlorum ſperare didicit: ſed & regna terrarum pluſquam ulli maiorum ſuorum ab eodem uno omnipotenti Deo, qui fecit cœlum & terram, conſecutus eſt. Deniq; omnes nationes & prouincias Britanniæ, quæ in quatuor linguas (id eſt, Britonum, Pictorum, Scottorum, Anglorum) diuiſæ ſunt, in ditione accepit. Quo regni culmine ſublimatus, nihilominus, quod mirum dictu eſt, pauperibus & peregrinis ſemper humilis, benignus & largus fuit. Deniq; fertur, quòd tempore quodam, cùm die ſancto Paſchæ cum præfato epiſcopo conſediſſet ad prandium, poſituſq; eſſet in menſa coram eo diſcus argenteus regalibus epulis refertus, iamq; eſſent manus ad panem benedicendum miſſuri, intraſſe ſubitò miniſtrū ipſius, cui ſuſcipiendorum inopum erat cura delegata, & indicaſſe regi, quia multitudo pauperū undecunq; adueniens maxima per plateas ſederet, poſtulans aliquid eleemoſynæ à rege. Qui mox dapes ſibimet appoſitas deferri pauperibus, & diſcum cōfringi, atq; eiſdem minutatim diuidi præcepit. Quo uiſo, pontifex qui aſſidebat, delectatus tali facto pietatis, apprehendit dexteram eius, & ait: Nunquam inueteraſcat hæc manus. Quod & ita iuxta uotum benedictionis eius prouenit. Nam cùm interfecto illo in pugna manus cū brachio à cætero eſſent corpore reſectæ, contigit ut hactenus incorruptæ perdurent. Deniq; in urbe regia, quæ à regina quondam uocabulo Bebba cognominatur, loculo incluſæ argēteo in eccleſia S. Petri ſeruantur, ac digno à cunctis honore uenerantur. Huius induſtria regis Deirorum & Berniciorum prouinciæ, quæ eatenus ab inuicem diſcordabant, in unā ſunt pacem, & uelut unum compaginatæ in populum. Erat autem nepos Eduini regis ex ſorore Acha: dignumq; fuit, ut tantus præceſſor talem haberet de ſua conſanguinitate & religionis hæredem, & regni.

*Vt prouinciæ Occidentalium Saxonum uerbum Dei prædicante Byrino ſuſceperit, & de ſucceſſoribus eius Agilberchto & Eleutherio.* *Cap.* VII.

EO tempore gens Occidentalium Saxonū, qui antiquitus Geuiſſe uocabantur, regnante Cynigilſo, fidem Chriſti ſuſcepit. Prædicante illis uerbum Byrino epiſcopo, qui cum conſilio papæ Honorij uenerat in Britanniā, promittens quidē ſe illo præſente in intimis ultra Anglorū partibus, quo nullus doctor præceſsiſſet, ſanctę fidei ſemina eſſe ſparſurum. Vnde & iuſſu eiuſdem pontificis per Aſteriū Genuenſem epiſcopum in epiſcopatus conſecratus eſt gradum. Sed in Britāniam perueniens, ac primùm Geuiſſorum gentem ingrediens, cùm omnes ibidem paganiſsimos inueniret, utilius eſſe ratus eſt, ibi potius uerbum Dei prædicare, quàm ultrà progrediens, eos quibus prædicare deberet, inquirere. Itaq; euangelizante illo in præfata prouincia, cū rex ipſe catechizatus fonte baptiſmi cum ſua gente ablueretur, contigit tunc temporis ſanctiſsimum ac uictorioſiſsimum regem Nord Humbrorum Oſuualdum affuiſſe, eumq; de lauacro exeuntem ſuſcepiſſe, ac pulcherrimo prorſus & Deo dignus conſortio, cuius erat filiā accepturus in cōiugē, ipſum prius ſecunda generatione Deo dedicatū ſibi accepit in filium. Donauerūt ergo ambo reges eidē epiſcopo ciuitatē, quæ uocatur Dorcinca, ad faciē-

...m inibi ſedem epiſcopalem, ubi factis dedicatisq; eccleſijs, multisq; ad Dominum pro eius labore populis aduocatis, migrauit ad Dominũ: ſepultusq; in eadem ciuitate, & poſt annos multos Hedde epiſcopatum agente, translatus inde in Ventam ciuitatem, atq; in eccleſia beatorum apoſtolorum Petri & Pauli poſitus eſt. Defuncto autem & rege, ſucceſsit in regnum filius eius Cenuualch, qui & fidem & ſacramenta regni cœleſtis ſuſcipere renuit, & non multo pòſt etiam regni terreſtris potentiam perdidit. Repudiata enim ſorore Pendam regis Merciorũ, quam duxerat, aliam accepit uxorem. Ideoq; bello petitus, ac regno priuatus ab illo, ſeceſsit ad regem Orientalium Anglorum, cui nomen erat Anna: apud quem triennio exulans fidem cognouit, ac ſuſcepit ueritatem. Nam & ipſe apud quem exulabat rex, erat uir bonus, & bona ac ſancta ſobole felix, ut in ſequentibus docebimus. Cùm uerò reſtitutus eſſet in regnum Cenuualch, uenit in prouinciam de Hybernia Pontifex quidam, nomine Agilbertus, natione quidem Gallus, ſed tamen legendarum gratia ſcripturarum in Hybernia non paruo tempore demoratus: coniunxitq; ſe regi, ſponte miniſterium prædicandi aſſumens, cuius eruditionem atque induſtriam uidens rex rogauit eum, accepta ibi ſede epiſcopali, ſuæ gentis manere pontificem: qui precibus eius annuens, multis annis eidẽ genti ſacerdotali iure præfuit. Tandem rex, qui Saxonum linguam tantum nouerat, pertæſus barbaræ loquelæ, ſubintroduxit in prouinciam alium ſuæ linguæ epiſcopum, uocabulo Vuini, & ipſum in Gallia ordinatũ: diuidensq; in duas parochias prouinciam, huic in ciuitate Venta, quæ à gente Saxonum Vintanceſtir appellatur, ſedem epiſcopalem tribuit. Vnde offenſus grauiter Agilbertus, quòd hoc ipſo inconſulto ageret rex, redijt in Galliã, & accepto epiſcopatu Pariſiacæ ciuitatis, ibidem ſenex & plenus dierum obijt. Non multis autem annis poſt abſceſſum eius à Britannia tranſactis, pulſus eſt Vuini ab eodem rege de epiſcopatu: qui ſecedens ad regem Merciorũ, uocabulo Vulfheri, emit precio ab eodem ſedem Londoniæ ciuitatis, eiusq; epiſcopus uſq; ad uitæ ſuæ terminum manſit. Sicq; prouincia Occidentalium Saxonum tempore non pauco abſque præſule fuit. Quo etiam tempore rex præfatus ipſius gentis grauiſsimis regni ſui damnis ſæpiſsimè ab hoſtibus afflictus, tandem ad memoriam reduxit, quòd eum quem pridẽ perfidia regno depulerit, fide agnita Chriſti in regnum reuocauerit: intellexitq; quòd etiam tunc deſtituta pontifice prouincia, rectè pariter diuino fuerit deſtituta præſidio. Miſit ergo legatarios in Galliam ad Agilbertum, ſubmiſſa illum ſatisfactione deprecans ad epiſcopatum ſuæ gentis redire. At ille ſe excuſans, & eò uenire non poſſe conteſtans, quia epiſcopatu propriæ ciuitatis ac parochiæ teneretur aſtrictus. Ne tamen obnixè petenti nil ferret auxilij, miſit pro ſe illò presbyterum Eleutherium nomine, nepotem ſuum, qui ei ſi uellet, ordinaretur epiſcopus, dicẽs, quòd ipſe eum dignum eſſe epiſcopatu iudicaret. Quo honorificè à populo & à rege ſuſcepto, rogauerunt Theodorum tunc archiepiſcopum Dorouernenſis eccleſiæ, ipſum ſibi antiſtitem conſecrari: qui conſecratus in ipſa ciuitate, multis annis epiſcopatum Geuiſſorum ex ſynodica ſanctione ſolus ſedulo moderamine geſsit.

*Vt rex Cantuariorum Earconbertus idola deſtrui præcepit, & de filia eius Eartongatha, & propinqua eius Edelburg ſacratis Deo uirginibus. Cap. VIII.*

ANno Dominicæ incarnationis ſexcenteſimo quadrageſimo, Eadbaldus rex Cantuariorum tranſiens ex hac uita, Earconberto filio regni gubernacula reliquit: quę ille ſuſcepta uiginti quatuor annis & aliquot menſibus nobiliſsimè tenuit. Hic primus regum Anglorum in toto regno ſuo idola relinqui ac deſtrui, ſimul & ieiunium quadraginta dierum obſeruari, principali auctoritate præcepit. Quæ ne facilè à quopiam poſſet contemni, in tranſgreſſores dignas & competentes punitiones propoſuit. Cuius filia Eartongatha, ut condigna parenti ſoboles, magnarum fuit uirgo uirtutum, indeſinenter ſemper ſeruiens Deo in monaſterio, quod in regione Francorum conſtructum eſt ab abbatiſſa nobiliſsima, uocabulo Fara, in loco qui dicitur Brige. Nam eo tempore necdum multis in regione Anglorum monaſterijs conſtructis, multi de Britannia monaſticæ conuerſationis gratia Francorum uel Galliarum monaſteria adire ſolebant, & filias ſuas eiſdem erudiendas, ac ſponſo cœleſti copulandas mittebant: maximè in Brige & in Cale, & in Andilegum monaſterio. inter quas erat Sedrido filia uxoris, Annæ regis Orientalium Anglorũ, cuius ſuprà meminimus, & filia naturalis eiuſdem regis Edelburg: utraq; cum eſſet peregrina, præ merito uirtutum eiuſdem monaſterij Brigenſis eſt abbatiſſa conſtituta. Cuius regis filia maior Sexburg, uxor Earconberti regis Cantuariorum, habuit filiam Eartongatham, de qua ſumus dicturi. Huius autem uirginis Deo dedicatæ, multa quidem ab incolis loci illius ſolent opera uirtutum & ſigna miraculorum uſque hodie narrari. Verùm nos de tranſitu tantũ illius, quo cœleſtia regna petijt, aliquid breuiter dicere ſufficiat. Imminente ergo die ſuæ uocationis, cœpit circumire in monaſterio caſulas infirmarum Chriſti famularũ, earumq; maximè quæ uel ætate prouecta, uel probitate erant morum inſigniores, quarum ſe omnium precibus humiliter commendans, obitum proximè ſuum, quem reuelatione didicerat, nõ celabat eſſe futurum: quam uidelicet reuelationẽ huiuſmodi eſſe perhibebat: Vidiſſe ſeſe albatorum cateruam hominũ idem monaſterium intrare, hosq; à ſe interrogatos quid quęrerẽt, aut quid ibi uellent, reſpondiſſe, quòd ob hoc illò fuerint deſtinati, ut aureũ illud numiſma, quod eò de



eò de Cantio uenerat, ſecũ aſſumerent. Ipſa autem nocte, in cuius ultima parte, id eſt, incipiente aurora, præſentis mundi tenebras tranſiens, ſupernam migrauit ad lucẽ, multi de fratribus eiuſdem monaſterij, qui alijs erant in ædibus, iam manifeſtè ſe concentus angelorum pſallentium audiſſe referebant, & ſonitum quaſi plurimæ multidinis monaſterium ingredientis. Vnde mox egreſsi dignoſcere quid eſſet, uiderunt lucem cœlitus emiſſam fuiſſe permaximã, quæ ſanctam illam animam carnis uinculis abſolutam ad æterna patriæ cœleſtis gaudia deducebat. Addunt & alia, quæ in ipſa nocte in monaſterio eodem diuinitus fuerint oſtenſa miracula: ſed hæc nos ad alia tendẽtes ſuis narrare permittimus. Sepultum eſt autem corpus uenerabile uirginis & ſponſæ Chriſti in eccleſia beati protomartyris Stephani: placuitq; poſt diẽ tertium, ut lapis quo monumentum tegebatur, amoueretur, & altius in ipſo loco reponeretur, quod dum fieret, tantæ fragrantiæ ſuauitas ab imis ebulliuit, ut cunctis qui aſtabant fratribus & ſororibus, quaſi opobalſami cellaria eſſe uiderentur aperta. Sed & matertera eius, de qua diximus Edelburga, & ipſa Deo dilectam perpetuæ uirginitatis gloriam in magna corporis cõtinentia ſeruauit, quæ cuius eſſet uirtutis magis poſt mortem claruit. Cùm enim eſſet abbatiſſa, cœpit facere in monaſterio ſuo eccleſiam in honorem omnium apoſtolorum, in qua ſuũ corpus ſepeliri cupiebat. Sed cum opus idem ad medium fermè eſſet perductum, illa ne hoc perficeret, morte prærepta eſt, & in ipſo eccleſiæ loco ubi deſiderabat, cõdita. Poſt cuius mortem fratribus alia magis curantibus, intermiſſum eſt hoc ædificium annis ſeptem, quibus cõpletis, ſtatuerunt ob nimietatem laboris huius ſtructuram funditus relinquere: oſſa uerò abbatiſſæ illo de loco eleuata, in eccleſiam quæ eſſet perfecta ac dedicata, transferre. Et aperientes ſepulchrum eius, ita intemeratum corpus inuenere, ut à corruptione concupiſcentiæ carnalis erat immune, & ita denuò lotum, atque alijs ueſtibus indutum, tranſtulerunt illud in eccleſiam beati Stephani martyris: cuius uidelicet natalis ibi in magna gloria ſolet celebrari, die nonarum Iuliarum.

*Vt in loco in quo occiſus eſt rex Oſuualdus, crebra ſanitatũ miracula factæ: utq; ibi primò iumentum cuiuſdam uiantis, ac deinde puella paralytica ſit curata. Caput IX.*

REgnauit autẽ Oſuualdus rex Chriſtianiſsimus NordHumbrorũ nouem annos, annumerato etiã illo anno, quẽ & feralis impietas regis Britonũ, & apoſtaſia demẽs regũ Anglorum deteſtabilẽ fecerat. Siquidẽ (ut ſuprà docuimus) uno animo omniũ cõſenſu firmatũ eſt, ut nomẽ & memoria apoſtatarũ de catalogo regũ Chriſti annorũ prorſus aboleri deberet, neq; aliquis regno eorũ annus adnotari. Quo cõpleto annorũ curriculo occiſus eſt, cõmiſſo graui prælio, ab eadem gente pagana, paganoq; rege Merciorũ, à quo & prædeceſſor eius Eduinus perẽptus fuerat, in loco qui lingua Anglorũ nũcupatur Maſerfelth, anno ætatis ſuæ trigeſimo octauo, die quinto menſis Auguſti. Cuius quanta fides in Deum, quæ deuotio mentis fuerit, id poſt mortem uirtutũ miraculis claruit. Namq; in loco ubi pro patria dimicãs, à paganis interfectus eſt, uſq; hodie ſanitates infirmorũ, & hominum & pecorũ celebrari nõ deſinunt. Vnde cõtigit, ut puluerẽ ipſum, ubi corpus eius in terram corruit, multi auferentes, & in aquam mittentes, ſuis per hoc infirmis multũ cõmodi afferrẽt: qui uidelicet mos adeò increbuit, ut paulatim ablata exinde terra, foſſam ad menſuram ſtaturæ uirilis altã reddiderit. Nec mirandũ in loco mortis illius infirmos ſanari, qui ſemper dum uiueret, infirmis & pauperibus cõſulere, & eleemoſynas dare, opẽ ferre nõ ceſſabat. Et multa quidem in loco illo, uel de puluere loci illius facta uirtutum miracula narrantur: ſed nos duo tantũ, quæ à maioribus audiuimus, referre ſatis duximus. Non multo poſt interfectionẽ eius exacto tẽpore contigit, ut quidam equo ſedens iter iuxta locũ ageret illũ, cuius equus ſubitò laſſeſcere, cõſiſtere, caput in terram declinare, ſpumas ex ore dimittere, & augeſcẽte dolore nimio in terrã cœpit ruere: deſiliuit eques, & ſtramine ſubſtrato cœpit expectare horam, qua aut melioratũ reciperet iumentũ, aut relinqueret mortuũ. At ipſum diu graui dolore uexatum, cùm diuerſas in partes ſe torqueret, repentè uolutando deuenit in illud loci, ubi rex memorabilis occubuit. Nec mora, quieſcẽte dolore ceſſabat ab inſanis membrorũ motibus, & conſueto equorũ more, quaſi poſt laſsitudinem in diuerſum latus uiciſsim ſeſe uoluere, ſtatimq; exurgens quaſi ſanus per omnia uireta herbarum auidius carpere cœpit: quo ille uiſo, ut uir ſagacis ingenij, intellexit aliquid miræ ſanctitatis huic loco, quo equus eſt curatus, ineſſe. Et poſito ibi ſigno, non multo pòſt aſcendit equũ, atq; hoſpitium quò propoſuerat, acceſsit: quò dum adueniret, inuenit puellam ibi neptem patrisfamiliàs longo paralyſis morbo grauatam. Et cùm familiares domus illius, de acerba puellę infirmitate ipſo pręſente quererentur, cœpit dicere ille de loco ubi caballus ſuus eſſet curatus. Quid multa? imponentes carro, duxerunt ad locum illum, ibidemq; depoſuerunt. At illa poſita in loco, obdormiuit parumper, & ubi euigilauit, ſanatã ſe ab illa corporis diſſolutione ſentiens, poſtulata aqua, ipſa lauit faciẽ, crines cõpoſuit, caput linteo cooperuit, & cũ his qui ſe adduxerãt, ſana pedibus incedẽdo reuerſa eſt.

*Vt puluis illius contra ignem ualuerit. Caput X.*

EO tempore uenit alius quidam de natione Britonum (ut ferunt) iter faciens iuxta ipſum locũ, in quo præfata erat pugna completa; & uidit unius loci ſpacium cætero campo uiri-

uiridius ac uenuſtius, cœpitq; ſagaci animo cōiicere, quòd nulla eſſet alia cauſa inſolitæ illo in loco uiriditatis, niſi quòd ibidem ſanctior cætero exercitu uir aliquis fuiſſet interfectus. Tulit itaq; de puluere terræ illius ſecum, illigans in linteo, cogitans quod futurum erat, quia ad medelam infirmantium idem puluis proficeret: & pergens itinere ſuo, peruenit ad uicum quendam ueſpere, intrauitq; in domum in qua uicini cœnantes epulabantur, & ſuſceptus à dominis domus, reſedit & ipſe cum eis ad conuiuiū, appendens linteolum cum puluere quem attulerat in uno poſte parietis. Cumq; diutius epulis atq; ebrietati uacarent, accenſo grandi igne in medio, contigit uolantibus in altum ſcintillis, culmen domus quod erat uirgis contextum atque fœno tectum, ſubitaneis flammis impleri. Quod cùm repentè cōuiuę terrore conſuſi conſpicerent, fugerunt foràs nihil ardenti domui, iamiamq; perituræ prodeſſe ualentes. Conſumpta ergo domo flammis, poſtis ſolummodo, in quo puluis ille incluſus pendebat, tutus ab ignibus & intactus remanſit. Qua uiſa uirtute mirati ſunt ualde, & perquirentes ſubtilius inuenerunt, quòd de illo loco adſumptus erat puluis, ubi regis Oſuualdi ſanguis erat effuſus. Quibus patefactis ac diffamatis longè lateq; miraculis, multi locum frequētare illum, & ſanitatum ibi gratiam capere ſibi ſuiſq; cœperunt.

*Vt ſuper reliquias eius lux cœleſtis tota nocte ſteterit, & ut per eas ſint dæmoniaci curati.*
*Caput XI.*

INter quæ nequaquam ſilentio prætereundū reor, quid uirtutis ac miraculi cœleſtis fuerit oſtenſum, cùm oſſa eius inuēta, atq; ad eccleſiā, in qua nunc ſeruantur, tranſlata ſunt. Factū eſt autem hoc per induſtriam reginæ Merciorum Offridæ, quæ erat filia fratris eius Oſuuini, qui poſt illum regni apicē tenebat, ut in ſequentibus dicemus. Eſt monaſteriū nobile in prouincia Lindiſsi, nomine Beardanā, quod eadem regina cum uiro ſuo Adilredo multum diligebat, uenerabatur, excolebat, in quo deſiderabat honoranda patrui ſui oſſa recondere. Cumq; ueniſſet carrum, in quo eadem oſſa ducebantur, incumbente ueſpera, in monaſterium præfatū noluerunt ea, qui erant in monaſterio, libenter excipere: quia etſi ſanctum eum nouerant, tamen quia de alia prouincia ortus fuerat, & ſuper eos regnum acceperat, ueteranis eum odijs etiam mortuum inſequebantur. Vnde factum eſt, ut ipſa nocte reliquiæ allatæ foris permanerent, tentorio tamen maiore ſupra carrū in quo inerant extenſo: ſed miraculi cœleſtis oſtenſio, quàm reuerenter ea ſuſcipienda à cunctis fideli bus eſſent, patefecit. Nam tota ea nocte columna lucis à carro illo ad cœlum uſq; porrecta, omnibus penè eiuſdem Lindiſſæ prouinciæ locis conſpicua ſtabat. Vnde mane facto fratres monaſterij illius, qui pridie abnuerant, diligenter ipſi petere cœperunt, ut apud ſe eædem ſanctæ ac Deo dilectæ reliquiæ conderentur. Tota igitur oſſa intulerunt in thecam, quam in hoc præparauerant, atq; in eccleſia, iuxta honorem congruum, poſuerunt: & ut regia uiri ſancti perſona memoriam haberet æternam, uexillum eius ſuper tumbam ex auro & purpura compoſitū appoſuerunt, ipſamq; aquam in qua lauerūt oſſa, in angulum ſacrarij fuderunt. Ex quo tempore factum eſt, ut ipſa terra quæ lauacrum uenerabile ſuſcepit, ad abigendos ex obſeſsis corporibus dæmones, gratiæ ſalutaris haberet effectum. Deniq; tempore ſequēte, cùm præfata regina in eodem monaſterio moraretur, uenit ad ſalutandam eam abbatiſſa quædam uenerabilis, quæ uſq; hodie ſupereſt, uocabulo Edilhilt, ſoror uirorum ſanctorū Edeluuini & Aldeuuini: quorum prior epiſcopus in Lindiſsi prouincia, ſecūdus erat abbas in monaſterio, quod uocatur Peartaneu, à quo non longè & illa monaſterium habebat. Quum ergo ueniens illuc loqueretur cum regina, atque inter alia ſermone de Oſuualdo exorto diceret, quòd & ipſa lucē ipſa nocte illa ſupra reliquias eius ad cœlū uſq; altam uidiſſet: adiecit regina, quòd de puluere pauimenti in quo aqua lauacri illius effuſa eſt, multi iam ſanati eſſent infirmi. At illa petit ſibi portionem pulueris ſalutiferi dari, & accipiens illigatum panno condidit in capſella, & rediJt. Tranſacto autem tempore aliquanto, cùm eſſet in ſuo monaſterio, uenit illuc quidā hoſpes, qui ſolebat nocturnis ſæpius horis repentè ab immundo ſpiritu grauiſsimè uexari: qui quum benignè ſuſceptus, poſt cœnam in lecto membra poſuiſſet, ſubitò à diabolo arreptus, inclamare, dentibus frendere, ſpumare, & diuerſis motibus cœpit membra torquere. Cumq; à nullo uel teneri uel ligari potuiſſet, cucurrit miniſter, & pulſans ad oſtium nunciauit abbatiſſæ. At illa aperiens ianuam monaſterij, exiuit ipſa cum una ſanctimonialium fœminarum ad locū uirorum, & euocans presbyterum, rogauit ſecum uenire ad patientem. Vbi cùm uenientes uiderent multos affuiſſe, qui uexatum tenere, & motus eius inſanos comprimere conati nequaquam ualebant, dicebat presbyter exorciſmum, & quæcunq; poterat, pro ſedando miſeri furore, agebat: ſed nec ipſe, quamuis multum laborans, proficere aliquid ualebat. Cumq; nil ſalutis furenti ſupereſſe uideretur, repentè uenit in mentem abbatiſſæ puluis ille pręfatus: ſtatimq; iuſsit ire miniſtram, & capſellam in qua erat adducere. Et cùm illa afferēs quæ iuſſa eſt, intraret atriū domus, in cuius interioribus dæmonioſus torquebatur, conticuit ille ſubitò, & quaſi in ſomnū laxatus depoſuit caput, mēbra in quietē omnia compoſuit. Cōticuere omnes, intentiq; ora tenebant, quē res exitum haberet, ſoliciti expectantes. Et poſt aliquantum horæ ſpaciū reſedit qui uexabatur, & grauiter ſuſpirans, Modò, inquit, ſanū ſapio: recepi enim ſenſum animi mei. At illi ſedulò ſciſcitabātur, quomodo hoc cōtigiſſet: qui ait, Mox ut uirgo hæc cū capſella quā portabat, appropinquauit atrio domus



domus huius, diſceſſere omnes qui me premebant ſpiritus maligni, & me relicto, nuſquam comparuerūt. Tunc dedit ei abbatiſſa portiunculam de puluere illo, & ſic data oratione à presbytero noctem illam quietiſsimam duxit: neque aliquid ex toto nocturni timoris aut uexationis ab antiquo hoſte pertulit.

*Vt ad tumbam eius ſit puerulus à febre curatus.*
*Caput XII.*

SEquente dehinc tempore fuit in eodem monaſterio puerulus quidam, longo febriū incommodo grauiter uexatus: qui cum die quadam ſolicitus horam acceſsionis expectaret, ingreſſus ad eum quidā de fratribus: Vis, inquit, mi nate, doceam te quomodo cureris ab huius moleſtia languoris? Surge, inquit, ingredere eccleſiam, & accedens ad ſepulchrum Oſuualdi, ibi reſide, & quietus manens adhære tumbæ: uide ne exeas inde, nec de loco mouearis, donec hora receſsionis febrium tranſierit: tunc ipſe introibo, & educam te inde. Fecit ut ille ſuaſerat: ſedentemq; eum ad tumbam, ſancti infirmitas tangere nequaquā præſumpſit, quoniam in tantum timens aufugit, ut nec ſecunda die, nec tertia, nec unquam exinde eum auderet contingere. Quod ita eſſe geſtum, qui referebat mihi frater inde adueniens adiecit, quòd eo adhuc tempore quo mecum loquebatur, ſupereſſet in eodem monaſterio iam iuuenis ille, in quo tunc puero factum erat hoc miraculū ſanitatis. Nec mirādum preces regis illius iam cum domino regnantis multum ualere apud eum, qui temporalis regni quondam gubernacula tenens, magis pro æterno regno ſemper laborare ac deprecari ſolebat. Deniq; ferunt, quia à tempore matutinæ laudis ſæpius ad diem uſq; in orationibus perſtiterit, atq; ob crebrum morem orandi, ſiue gratias agendi Domino, ſemper ubicunque ſedens ſupinas ſuper gènua ſua manus habere ſolitus ſit. Vulgatum eſt autem, & in conſuetudinem prouerbij uerſum, quòd etiam inter uerba orationis uitam finierit. Namq; cum armis & hoſtibus circunſeptus, iamiamq; uideret ſe eſſe perimendum, orauit ad Dominū pro animabus exercitus ſui. unde dicunt in prouerbio: Deus miſerere animabus, dixit Oſuualdus cadens in terram. Oſſa illius tranſlata & condita ſunt in monaſterio quod diximus. Porrò caput & manus cum brachijs à corpore præciſas, iuſsit rex qui occiderat, in ſtipitibus ſuſpendi. Quò poſt annū deueniens cum exercitu ſucceſſor regni eius, Oſuuinus abſtulit ea, & caput quidē in cœmiterio Lindisfarnenſis eccleſiæ, in regia uerò ciuitate manus cū brachijs cōdidit.

*Vt in Hybernia ſit quidam à mortis articulo per eius reliquias reuocatus. Cap. XIII.*

NEc ſolùm inclyti fama uiri Britanniæ fines luſtrauit uniuerſos, ſed etiam trans Oceanum longè radios ſalutiferæ lucis ſpargēs, Germaniæ ſimul & Hyberniæ partes attigit. Denique reuerendiſsimus antiſtes Acca ſolet referre, quia cùm Romam uadens apud ſanctiſsimū Friſonum gentis epiſcopum Vuillibrordum cum ſuo antiſtite Vuilfrido moraretur, crebrò eum audiret, quę de mirandis reliquijs eiuſdem reuerendiſsimi regis in illa prouincia geſta fuerint, narrare. Et in Hybernia cùm presbyter adhuc peregrinam pro æterna patria duceret uitam, rumorem ſanctitatis eius, in ea quoq; inſula longè lateq; iam percrebuiſſe ferebat: e quibus unum quod inter alia retulit miraculum, præſenti noſtræ hiſtoriæ inſerendum credidimus. Tempore, inquit, mortalitatis quę Britāniam Hyberniamq; lata ſtrage uaſtauit, percuſſus eſt eiuſdem clade peſtis inter alios ſcholaſticus quidam de genere Scottorum, doctus quidem uir ſtudio literarum, ſed erga curam perpetuæ ſuæ ſaluationis nil omnino ſtudij & induſtriæ gerens: qui cùm ſe morti proximum uideret, timere cœpit & pauere, ne mox mortuus ob merita ſcelerum ad inferni clauſtra raperetur: clamauitq; quum eſſem in uicino poſitus, et inter ęgra tremēs ſuſpiria, flebili uoce talia mecum querebatur: Vides, inquit, quia iam creſcente corporis moleſtia ad articulum ſubeundæ mortis compellor: nec dubito me poſt mortem corporis ſtatim ad perpetuam animæ mortem rapiendum, ac infernalibus ſubdendū eſſe tormentis, qui tempore non pauco inter ſtudia diuinæ lectionis uitiorum potius implicamentis, quàm diuinis ſolebā ſeruire mandatis. Ineſt autem animo (ſi mihi pietas diuina aliqua uiuēdi ſpacia donauerit) uitioſos mores corrigere, & ad imperium diuinæ uoluntatis totam ex integro mentem uitamq; transferre. Verùm noui, non hoc eſſe meriti mei, ut inducias uiuendi uel accipiam, uel me accepturum eſſe confidā, niſi forte miſero mihi & indigno ueniā per auxilium eorum, qui illi fideliter ſeruierunt, propiciari dignatus fuerit. Audiuimus enim, & fama eſt celeberrima, quòd fuerit in gente ueſtra rex mirandæ ſanctitatis, uocabulo Oſuualdus, cuius excellentia fidei & uirtutis etiam poſt mortem uirtutum frequentium operatione claruerit: precorq; ſi aliquid reliquiarum illius penes te depoſitū habeas, afferas mihi, ſi forte mihi Dominus per eius merita miſereri uoluerit. At ego reſpondi: Habeo quidē de ligno, in quo caput eius occiſi à paganis infixum eſt, & ſi firmo corde credideris, poteſt diuina pietas per tanti meritum uiri & huius uitæ ſpacia longiora concedere, & ingreſſu te uitæ perennis dignum reddere. Nec moratus ille, integram ſe in hoc habere fidem reſpondebat. Tunc benedixi aquam, & aſſulam roboris præfati immittens, obtuli ægro potandam. Nec mora, melius habere cœpit, & conualeſcens ab infirmitate multo deinceps tempore uixit, totoq; ad Deū corde & opere conuerſus, omnibus ubicunque perueniebat clementiam pij conditoris, & fidelis eius famuli gloriam prædicabat.

Vt de

*Vt defuncto Paulino, Thamar pro eo Rhofenſis eccleſiæ præſulatum ſuſceperit: & de humilitate mirabili Oſuuini, qui ab Oſiuu crudeli cæde peremptus eſt.*
*Caput* XIIII.

TRanſlato ergo ad cœleſtia regna Oſuualdo, ſuſcepit regni terreſtris ſedẽ pro eo frater eius Oſuuin, iuuenis triginta circiter annorum, & per annos uiginti octo laborioſiſsimè tenuit. Impugnatus uidelicet à pagano rege Penda, & ab ea quæ fratrem eius occiderat pagana gente Merciorum, & à filio quoque ſuo Alcfrido, necnon & à fratruo, id eſt, fratris ſui qui ante eum regnauit filio Adilualdo, cuius anno ſecundo, hoc eſt, ab incarnatione Dominica, anno ſexcenteſimo quadrageſimo quarto, reuerendiſsimus pater Paulinus quondam quidem Eboracenſis, ſed tunc epiſcopus Rhofenſis ciuitatis, tranſiit ad Dominum ſexto Iduum Octobrium die. Qui decem & nouem annos, & menſes duos, & uiginti unum dies epiſcopatum tenuit: ſepultusq; eſt in ſecretario beati apoſtoli Andreæ, quod rex Edilbertus à fundamentis in eadem Rhofi ciuitate conſtruxit. In cuius locum Honorius archiepiſcopus ordinauit Ithamar, oriundum quidem de gente Cantuariorũ, ſed uita & eruditione anteceſſoribus ſuis æquandum. Habuit autem Oſuuin primus regni ſui temporibus conſortem regię dignitatis, uocabulo Oſuuini, de ſtirpe regis Eduini, hoc eſt, filium Oſrici, de quo ſuprà retulimus, uirum eximiæ pietatis & religionis, qui prouinciæ Deirorum ſeptem annis in maxima omniũ rerum affluentia, & ipſe amabilis omnibus pręfuit. Sed nec cũ eo ille, qui cæteram Transhumbranæ gentis partem ab Aquilone, id eſt, Berniciorum prouinciam regebat, habere pacem potuit, quin potius ingraueſcentibus cauſis diſſenſionum miſerrima hunc cęde peremit. Siquidem cõgregato contra inuicem exercitu, cùm uideret ſe Oſuuinus cum illo qui plures habebat auxiliarios non poſſe bello confligere, ratus eſt utilius tunc dimiſſa intentione bellandi ſeruari ſe ad tẽpora meliora. Remiſit ergo exercitum, quem congregauerat, ac ſingulos domũ redire præcepit à loco, qui uocatur Vuilfares Duun, id eſt, mons Vuilfari, & eſt à uico Cataractone decem fermè millia paſſuum cõtra ſolſtitialem occaſum ſecretus. Diuertitq; ipſe cum uno tantũ milite ſuo fideliſsimo nomine Condheri celandus in domo comitis Hunualdi, quẽ etiam ipſum ſibi amiciſsimum autumabat. Sed heu proh dolor longè aliter erat. Nam ab eodem comite proditum eum Oſuuino cum præfato ipſius milite per præfectum ſuum Ediluinũ deteſtanda omnibus morte interfecit. Quod factum eſt die tertiadecima kalendarum Septẽbrium, anno regni eius nono, in loco qui dicitur Ingethlingum, ubi poſtmodum caſtigandi huius facinoris gratia monaſteriũ cõſtructum eſt, in quo pro utriuſq; regis & occiſi uidelicet, & eius qui occidere iuſsit, animæ redemptione quotidie Domino preces offerri deberẽt. Erat autem rex Oſuuinus & aſpectu uenuſtus, & ſtatura ſublimis, & affatu iucundus, & moribus ciuilis, & manu omnibus nobilibus ſimul atque ignobilibus largus. Vnde contigit ut ob regiã eius & animi & uultus, & meritorum dignitatem ab omnibus diligeretur, & undiq; ad eius miniſterium de cunctis propè prouinciјs uiri etiam nobiliſsimi concurrerent. Cuius inter cęteras uirtutis & modeſtium, & (ut ita dicã) ſpecialis benedictionis glorias etiam maxima fuiſſe fertur humilitas, ut uno probare ſat erit exemplo. Donauerat equum optimum antiſtiti Aidano, in quo ille quamuis ambulare ſolitus, uel amnium fluenta tranſire, uel ſi alia quęlibet neceſsitas inſiſteret, uiam peragere poſſet: cui cùm paruo interiecto tempore pauper quidã occurreret, eleemoſynam petens, deſiliens ille præcepit equũ, ita ut erat ſtratus regaliter pauperi dari: erat enim multum miſericors & cultor pauperum, ac uelut pater miſerorum. Hoc cùm regi eſſet relatum, dicebat epiſcopo, cùm fortè ingreſſuri eſſent ad prandium: Quid uoluiſti domine antiſtes equum regium, quem te conueniebat proprium habere, pauperi dare? Nunquid non habuimus equos uiliores plurimos, & alias ſpecies quæ ad pauperum dona ſufficerent, quamuis illum eis equum nõ dares, quem tibi ſpecialiter poſsidendum elegi? Cui ſtatim epiſcopus: Quid loqueris, inquit, rex? Num tibi carior eſt ille filius equæ quàm ille filius Dei? Quibus dictis intrabant ad prandendum, & epiſcopus quidem reſidebat in ſuo loco. Porrò rex uenerat de uenatu, & cœpit conſiſtens ad focum calefieri cum miniſtris. Et repẽtè inter calefaciendum recordans uerbi, quod dixerat illi antiſtes, diſcinxit ſe gladio ſuo, & dedit illum miniſtro, feſtinusq; accedens ante pedes epiſcopi corruit, poſtulans ut ſibi placatus eſſet, quia nunquam, inquit, deinceps aliquid loquar de hoc, aut iudicabo quid uel quantum de pecunia noſtra filiјs Dei tribuas: quod uidẽs epiſcopus multũ pertimuit, ac ſtatim exurgens lauit eum, promittens ſe multum illi eſſe placatum, dummodo ille reſidens ad epulas triſtitiam deponeret. Dumq; rex iubente ac poſtulante epiſcopo lætitiam reciperet: cœpit cõtrà epiſcopus triſtis uſq; ad lachrymarum profuſionem effici. Quem dum presbyter ſuus lingua patria, quam rex & domeſtici eius non nouerant, quare lachrymaretur interrogaſſet. Scio, inquit, quòd non multo tempore uicturus eſt rex: nunquam enim uidi ante hac humilem regem: unde animaduerto citius illum ex hac uita rapiendum. Non enim digna eſt hæc gens talem habere rectorem. Nec multo pòſt dira antiſtitis præſagia triſti regis funere, de quo ſuprà diximus, impleta ſunt. Sed & ipſe antiſtes Aidan, non plus quàm duodecimo pòſt occiſionem regis quem amabat die, id eſt, pridie kalendarum Septembrium de ſeculo ſublatus, perpetua laborum ſuorũ à Domino præmia recepit.

Vt epi-



*Vt epiſcopus Aidan nautis & tempeſtatem futuram prædixerit, & oleum ſanctum quo hanc ſedarent, dederit.* *Caput* XV.

QVi cuius meriti fuerit, etiam miraculorũ ſignis internus arbiter edocuit: è quibus tria memoriæ cauſa ponere ſatis ſit. Presbyter quidam nomine Vtta, multæ grauitatis ac ueritatis uir, & ob id omnibus etiam ipſis principibus ſeculi honorabilis, cum mitteret Cantiam ob adducendam cõiugem regi Oſuuini, filiam uidelicet Eduini regis Eanfledã, quæ occiſo patre illuc fuerat adducta: qui terreſtri quidẽ itinere illò uenire, ſed nauigio cum uirgine redire diſponebat: acceſsit ad epiſcopum Aidanum, obſecrans eum pro ſe ſuisq; qui tunc iter erant aggreſſuri, Domino ſupplicare. Qui benedicẽs illos, ac Domino commendans, dedit etiam oleum ſanctificatum. Scio, inquiens, quia ubi nauem aſcenderitis, tẽpeſtas uobis & uentus contrarius ſuperueniet: ſed tu memento, ut hoc oleũ quod tibi do, mittas in mare, & ſtatim quieſcentibus uentis ſerenitas maris uos lęta proſequetur, & cupito itinere domum remittet. quæ cuncta, ut prædixerat antiſtes, ex ordine completa ſunt. Equidem in primis furentibus undis pelagi, tentabant nautæ anchoris in mare miſſis nauem retinere, neq; hoc agẽtes aliquid proficiebant. Cumq; mergentibus undiq; & implere incipientibus nauem fluctibus, mortem ſibi omnes imminere, iam iamq; adeſſe uiderent, tãdem presbyter reminiſcens uerba antiſtitis, aſſumpta ampulla miſit de oleo in pontum, & ſtatim ut pręðictũ erat, ſuo quieuit à feruore. Sicq; factum eſt, ut uir Dei per prophetiæ ſpiritum tempeſtatem prædixerit futuram, & per uirtutem eiuſdem ſpiritus hanc exortam, quamuis corporaliter abſens, ſopiuerit. Cuius ordinem miraculi non quilibet dubius relator, ſed fidiſsimus mihi noſtræ eccleſiæ presbyter, Cynimũd uocabulo narrauit, qui ſe hoc ab ipſo Vtta presbytero, in quo & per quem completum eſt, audiſſe perhibebat.

*Vt idem admotum ab hoſtibus urbi regiæ ignem orando amouerit.* *Caput* XVI.

ALiud eiuſdem patris memorabile miraculũ ferunt multi, qui noſſe potuerũt. Nam cùm tempore epiſcopatus eius hoſtilis Merciorum exercitus Pẽda duce Nord Humbrorum regiones impia clade longè lateq; deuaſtans, peruenit ad urbem uſq; regiam, quæ ex Bebbæ quondam reginę uocabulo cognominatur: eamq; cũ neq; armis, neq; obſidione capere poterat, flammis abſumere conatus eſt, diſciſsisq; uinculis quæ in uicinia urbis inuenit, aduexit illò plurimam cõgeriem trabium, tignorum, parietum, uirgeorum, aliarumq; rerum. Et his urbem in magna altitudine circundedit à parte, quæ terræ eſt contigua. Et dum uentum opportunum cerneret, illato igne cõburere urbem niſus eſt. Quo tempore reuerendiſsimus antiſtes Aidan



in inſula Farne, quæ duobus fermè milibus paſſuum ab urbe procul abeſt, morabatur. Illò enim ſæpius ſecretè orationis & ſilentiј cauſa ſecedere cõſueuerat. Deniq; uſq; hodie locum ſedis illius ſolitariè in eadem inſula ſolent oſtẽdere. Qui cùm uentis furentibus globos ignis ac fumum ſupra muros urbis exhalare cõſpiceret, fertur eleuatis ad cœlũ oculis manibusq; cum lachrymis dixiſſe: Vide Domine quanta mala facit Penda. Quo dicto ſtatim mutati ab urbe uenti, in eos qui accenderant flammarum incendia retorſerunt, ita ut aliqui læſi omnes territi impugnare ultra urbem ceſſarent, quam diuinitus iuuari cognouerant.

*Vt deſtina eccleſiæ, cui idem accumbens obierat, ardentibus cæteris domus, flammis abſumi nequiuerit, & de interna uita illius.* *Caput* XVII.

HVnc cùm dies mortis egredi è corpore cogeret, completis annis epiſcopatus ſui ſeptendecim, erat in uilla regia non longè ab urbe de qua pręfati ſumus: in hac enim habens eccleſiam & cubiculum, ſæpius ibidem diuerti ac manere, atq; inde ad prædicandũ circumquaq; conſueuerat exire, quod ipſum & in aliјs uillis regiјs facere ſolebat, utpote nihil propriæ poſſeſsionis excepta eccleſia ſua & adiacentibus agellis habens. Tetenderunt ergo ei ægrotanti tentorium ad occidentalem eccleſiæ partem, ita ut ipſum tẽtorium parieti hæreret eccleſiæ. Vnde factũ eſt ut accliuis deſtinæ, quæ extrinſecus eccleſiæ pro munimine erat appoſita, ſpiritum uitæ exhalaret ultimum. Obiјt autem decimoſeptimo epiſcopatus ſui anno, pridie Kalendarum Septẽbrium. Cuius corpus mox inde translatum ad inſulam Lindisfarnenſium, atq; in cœmiterio fratrum ſepultum eſt. At interiecto tempore aliquãto, cùm fabricata eſſet ibi baſilica maior, atq; in honorem beatiſsimi apoſtolorum principis dedicata, illò oſſa eius translata, atq; ad dexterã eius altaris iuxta uenerationem tanto pontifice dignam condita ſunt. Succeſsit uerò ei in epiſcopatum Sinan, & ipſe illo ab Hiј Scottorum inſula ac monaſterio deſtinatus, ac tempore non pauco in epiſcopatu permanſit. Contigit autẽ poſt aliquot annos, ut Penda Merciorum rex cum hoſtili exercitu hæc in loca perueniẽs, cum cuncta quæ poterat ferro flãmaq; perderet, uicusq; ille in quo antiſtes obiјt unà cum eccleſia memorata flammis abſumeretur. Sed mirum in modum ſola illa deſtina cui incumbens obiјt, ab ignibus circumcincta uorantibus, abſumi nõ potuit. Quo clareſcente miraculo mox ibidem eccleſia reſtaurata, & hęc eadem deſtina in munimentum eſt parietis, ut antè fuerat forinſecus appoſita. Rurſumq; peracto tempore aliquanto euenit per culpam incuriæ uicum eundem & ipſam pariter eccleſiam ignibus cõſumi, ſed nec tunc quidem eandem tangere flamma deſtinam ualebat. Et cum magno utiq; miraculo ipſa eius foramina ingrediens, quibus ædificio erat affixa

e perde-

perderet, ipſam tamen lædere nullatenus ſinebatur. Vnde tertia ędificata ibi eccleſia deſtinã illam, non ut antea de foris in fulcimentum domus appoſuerunt, ſed intro ipſam eccleſiam in memoriam miraculi poſuerunt, ubi intrantes genu flectere ac miſericordiæ cœleſti ſupplicare deberent. Conſtatq; multos ex eo tempore gratiam ſanitatis in eodem loco conſecutos, quinetiam aſſulis ex ipſa deſtina exciſis, & in aquam miſsis plures ſibi ſuisq; languorũ remedia conquiſiere. Scripſi hęc de perſona & operibus uiri præfati, nequaquam in eo laudans, aut eligens hoc quod de obſeruatione paſchæ minus perfectè ſapiebat: imò hoc multum deteſtans, ſicut in libro quem de temporibus compoſui manifeſtiſsime probaui. Sed quaſi uerax hiſtoricus ſimpliciter ea quæ de illo ſiue per illum ſunt geſta deſcribens, & quæ laude ſunt digna in eius actibus laudans, atq; ad utilitatem legentium memorię commendans: ſtudium uidelicet pacis & charitatis, continentię & humilitatis, animum iræ & auaritię uictorem, ſuperbiæ ſimul & uanæ gloriæ contemptorem: induſtriam faciendi ſimul & docendi mandata cœleſtia, ſolertiam lectionis & uigiliarum, auctoritatem ſacerdote dignam, redarguendi ſuperbos ac potentes, pariter & infirmos conſolandi, ac pauperes recreandi, uel defendendi clementiã. Qui (ut breuiter multa comprehendam) quantum ab eis qui illum nouere didicimus, nil ex omnibus quę in euangelicis, ſiue apoſtolicis, ſiue propheticis literis faciẽda cognouerat, prętermittere, ſed cũcta pro ſuis uiribus operibus explere curabat. Hæc in præfato antiſtite multum complector & amo, quia nimirũ hæc Deo placuiſſe non ambigo. Quòd autem paſcha nõ ſuo tempore obſeruabat, uel canonicum eius tempus ignorans, uel ſuę gentis auctoritate, ne agnitum ſequeretur, deuictus, nõ approbo nec laudo. In quo tamen hoc approbo, quia in celebratione ſui paſchæ non aliud corde tenebat, uenerabatur & prędicabat, quàm quod nos: id eſt, redemptionem generis humani per paſsionem, reſurrectionem, aſcẽſionem in cœlos mediatoris Dei & hominũ hominis Ieſu Chriſti. Vnde & hanc non, ut quidam falſo opinantur, quartadecima luna in qualibet feria cũ Iudæis, ſed die Dominica ſemper agebat, à luna quartadecima uſq; ad uiceſimam, propter fidem uidelicet Dominicę reſurrectionis, quam una ſabbati factã, propter ſpem noſtræ reſurrectionis, quam eandem unam ſabbati, quæ nunc Dominica dies dicitur, ueraciter futuram ſancta eccleſia credebat.

*De uita uel morte religioſi regis Sigberti.* Caput XVIII.

HIs temporibus regni orientalium Anglorũ poſt Eorduualdum Redualdi ſucceſſorem, Sigbertus frater eius præfuit, homo bonus ac religioſus, qui dudũ in Gallia dum inimicitias Redualdi fugiẽs exularet, lauacrum baptiſmi percepit, & in patriã reuerſus, ubi regno potitus eſt, mox ea quæ in Gallijs bene diſpoſita uidit, imitari cupiens, inſtituit ſcholã, in qua pueri literis erudirentur, iuuante ſe epiſcopo Felice, quem de Cãtia acceperat, eisq; pædagogos ac magiſtros iuxta morem Cantuariorum præbente. Tãtumq; rex ille cœleſtis regni amator factus eſt, ut ad ultimum relictis regni negocijs, & cognato ſuo Ecgrico cõmendatis, qui & antea partem eiuſdem regni tenebat, intraret monaſterium quod ſibi fecerat, atq; accepta tonſura, pro æterno magis regno militare curaret. Quod dum multo tempore faceret, contigit gẽtem Merciorum duce rege Penda aduerſus orĩtales Anglos in bellum procedere: qui dum ſe inferiores in bello hoſtibus conſpicerent, rogauerunt Sigbertum ad confirmandum milites ſecum uenire in prælium: illo nolente ac cõtradicente, inuitum de monaſterio eruentes duxerunt in certamen, ſperãtes minus animos militum trepidare, minus præſente duce quondam ſtrenuiſsimo & eximio poſſe de fuga meditari. Sed ipſe profeſsionis ſuæ non immemor, dum opimo eſſet uallatus exercitu, nõ niſi uirgam tamen habere in manu uoluit. Occiſusq; eſt unà cum rege Ecgrico, & cunctus eorum, inſiſtentibus paganis, cæſus ſiue diſperſus exercitus. Succeſſor autem regni illorũ factus eſt Anna, filius Enide, regio genere, uir optimus atq; optimæ genitor ſobolis, de quibus in ſequentibus ſuo tempore dicendum eſt: qui & ipſe poſtea ab eodem pagano Merciorum duce, à quo & prædeceſſores eius, occiſus eſt.

*Vt Furſeus apud orientales Anglos monaſterium fecerit, & de uiſionibus uel ſanctitate eius, cui etiam caro poſt mortem incorrupta teſtimonium perhibuerit.* Cap. XIX.

VErùm dum adhuc Sigbertus regni inſulas teneret, ſuperuenit de Hybernia uir ſanctus, nomine Furſeus, uerbo & actibus clarus, ſed egregijs inſignis uirtutibus, cupiẽs pro Domino, ubicunq; ſibi opportunũ inueniret, peregrinam ducere uitam. Qui cùm ad prouinciam orientalium perueniſſet Anglorum, ſuſceptus eſt honorificè à rege præfato, & ſolitũ ſibi opus euangelizandi exequens, multos & exemplo uirtutis, & incitamento ſermonis, uel incredulos ad Chriſtum conuertit, uel etiam credẽtes amplius in fide atq; amore Chriſti cõfirmauit. ubi quadam infirmitate corporis arreptus, angelica meruit uiſione perfrui, in qua admonitus eſt, cœpto uerbi miniſterio ſedulus inſiſtere, uigilijsq; cõſuetis & orationibus indefeſſus incumbere: eo quòd certus ſibi exitus eſſet, ſed incerta eiuſdem exitus hora futura, dicẽte Domino: Vigilate itaq;, quia neſcitis diem neque horam. Qua uiſione cõfirmatus, curauit locum monaſterij, quem à præfato rege Sigberto acceperat, uelociſsimè conſtruere, ac regularibus inſtituere diſciplinis. Erat autem monaſterium ſyluarum & maris uicinitate amœnum, con-





ſtructum in caſtro quodã, quod lingua Anglorum Cnobhersburg, id eſt urbs Cnobheri uocatur: quod deinde rex prouinciæ illius Anna, ac nobiles quique auguſtioribus ædificijs ac donarijs adornauerunt. Erat autẽ uir iſte de nobiliſsimo genere Scotorum: ſed longè animo nobilior, quàm carne. Ab ipſo tempore pueritiæ ſuę curam non modicam lectionibus ſacris, ſimul & monaſticis exhibebat diſciplinis: & quod maximè ſanctos decet, cuncta quæ agenda didicerat, ſolicitus agere curabat. Quid multa? procedente tempore & ipſe ſibi monaſterium, in quo liberius cœleſtibus ſtudijs uacaret, cõſtruxit: ubi correptus infirmitate (ſicut libellus de uita eius cõſcriptus ſufficienter edocet) raptus eſt è corpore: & à ueſpera uſque ad galli cantũ corpore exutus, angelicorũ agminum & aſpectus intueri, & laudes beatas meruit audire. Referre autem erat ſolitus, quòd apertè eos inter alia reſonare audiret, Ibunt ſancti de uirtute in uirtutem. & iterum, Videbitur Deus Deorum in Syon. Qui reductus in corpore, & die tertia rurſum eductus, uidit non ſolùm maiora beatorum gaudia, ſed & maxima malignorum ſpirituũ certamina, qui crebris accuſationibus improbi iter illi cœleſte intercludere cõtendebãt: nec tamen protegentibus eum angelis, quicquam proficiebant. De quibus omnibus, ſi quis plenius ſcire uult: id eſt, quãta fraudis ſolertia dæmones & actus eius, & uerba ſuperflua, & ipſas etiam cogitationes, quaſi in libro deſcriptas replicauerint, quæ ab angelis ſanctisq;, ac uiris iuſtis ſibi inter angelos apparentibus lęta uel triſtia cognouerit, legat ipſum, de quo dixi libellum uitæ eius, & multum ex illo (ut reor) profectus ſpiritalis accipiet: in quibus tamen unũ eſt, quod & nos in hac hiſtoria ponere multis commodum duximus. Cùm ergo in altum eſſet elatus, iuſſus eſt ab angelis qui eum ducebant, reſpicere in mundum. At ille oculos in inferiora deflectens, uidit quaſi uallẽ tenebroſam ſubtus ſe in imo poſitã. Vidit & quatuor ignes in aëre nõ multo ab inuicẽ ſpacio diſtantes: & interrogans angelos qui eſſent hi ignes, audiuit hos eſſe ignes, qui mundum ſuccẽdentes eſſent conſumpturi. Primum mendacij cùm hoc quod in baptiſmo abrenunciare nos ſatanæ, & omnibus operibus eius promiſimus, minimè implemus: ſecundum cupiditatis, cùm mundi diuitias amori cœleſtium præponimus: tertiũ diſſenſionis, cùm animas proximorũ etiam in ſuperuacuis rebus offendere non formidamus: quartum impietatis, cùm infirmiores ſpoliare, & eis fraudem facere pro nihilo ducimus. Creſcentes uerò paulatim ignes uſque ad inuicem ſeſe extenderunt, atque in immenſam adunatæ ſunt flammam: cumq; appropinquaſſent, pertimeſcens ille dicit angelo: Domine, ecce ignis mihi appropinquat. At ille, Quod non incendiſti inquit, non ardebit te. Nam etſi terribilis iſte & grandis eſſe rogus uidetur, tamen iuxta merita operum ſingulos examinat: quia uniuſcuiuſq; cupiditas in hoc igne ardebit. Sicut enim quis ardet in corpore per illicitam uoluptatẽ, ita ſolutus corpore ardebit per debitam pœnã. Tunc uidit unum de tribus angelis, qui ſibi in tota utraq; uiſione ductores affuerunt, præcedentem ignis flammas diuidere, & duos ab utroque latere circumuolantes, ab ignium ſe periculo defendere. Vidit autem & dęmones per ignem uolantes, incendia bellorum contra iuſtos ſtruere: ſequuntur aduerſus ipſum accuſationes malignorum, defenſiones ſpirituum bonorum copioſior cœleſtium agminũ uiſio: ſed & uirorum de ſua natione Scottorum, quos olim ſacerdotali gradu non ignobiliter potitos fama iam uulgante compererat, à quibus non pauca, quæ uel ipſi uel omnibus qui audire uellent, multum ſalubria eſſent, audiuit. Qui cum uerba finiſſent, & cum angelicis ſpiritibus ipſi quoque ad cœlos redirent, remanſerunt cum beato Furſeo tres angeli, de quibus diximus, qui eum ad corpus referrent. Cumq; præfato igni maximo appropiaret, diuiſit quidem angelus ſicut prius ignem flammę: ſed uir Dei ubi ad patefactam uſq; inter flammas ianuam peruenit, arripientes immundi ſpiritus unum de eis quos in ignibus torrebant, iactauerunt in eum, & contingentes humerum maxillamq; eius incenderunt. cognouitq; hominem, & quod ueſtimentum eius morientis acceperit, ad memoriam reduxit, quem angelus ſanctus ſtatim apprehendens in ignem reiecit. Dicebatq; hoſtis malignus: Nolite repellere, quem antè ſuſcepiſtis. Nam ſicut bona eius peccatoris ſuſcepiſtis, ita & de pœnis eius participes eſſe debetis. Contradicẽs angelus, Non inquit, hoc propter auaritiam, ſed propter ſaluandam eius animam ſuſcepit. Ceſſauitq; ignis: & conuerſus ad eum angelus, Quod incendiſti, inquit, hoc arſit in te. Si enim huius uiri in peccatis ſuis mortui pecuniam non accepiſſes, nec pœna eius in te arderet. Et plura locutus, quid erga ſalutem eorum qui pœniterent, eſſet agendum, ſalubri ſermone edocuit. Qui poſtmodum in corpore reſtitutus, omni uitæ ſuæ tempore ſignum incendij, quod in anima pertulit, uiſibile cũctis in humero maxillaq; portauit: mirumq; in modum quod anima in occulto paſſa ſit, caro palam pręmonſtrabat. curabat autem ſemper, ſicut & antea conſueuerat, omnibus opus uirtutum & exemplis oſtendere, & prædicare ſermonibus: ordinem autem uiſionum ſuarum illis ſolummodo, qui propter deſiderium compunctionis interrogabant, exponere uolebat. Supereſt adhuc quidam frater ſenior monaſterij noſtri, qui narrare ſolet, dixiſſe ſibi quendam multum ueracem ac religioſum hominẽ, quòd ipſum Furſeum uiderit in prouincia orientalium Anglorum, illasq; uiſiones ex ipſius ore audierit: adijciensq;, quòd tempus hyemis fuerit acerrimum & glacie conſtrictum, cùm ſedens in tenui ueſte uir iſte inter dicendum, propter magnitudinem memorati timoris uel ſuauitatis, quaſi in mediæ æſtatis caumate ſudauerit. Cùm ergo, ut ad ſuperiora redeamus, multis annis in Sco-

tia uerbum Dei omnibus annuncians, tumultus irruentium turbarum non facilè ferret, relictis omnibus quæ habere uidebatur, ab ipſa quoque inſula patria diſceſsit: & paucis cum fratribus per Britones in prouinciam Anglorum deuenit, ibiq; prædicans uerbum Dei, ut diximus, monaſterium nobile cõſtruxit. Quibus ritè geſtis, cupiens ſe ab omnibus ſeculi huius, & ipſius quoque monaſterij negocijs alienare, reliquit monaſterium, & animarum curam fratri ſuo Fullano & presbyteris Gobbano & Dicullo, & ipſe ab omnibus mundi rebus liber in anachoretica cõuerſatione uitam finire diſpoſuit. Habuit alterum fratrem uocabulo Vltanum, qui de monaſterij probatione diuturna ad eremiticam uitam peruenerat. Hunc ergo ſolus petens, annum totum cum eo in continētia & orationibus, in quotidianis manuum uixit laboribus. Dein turbatam incurſione gentilium prouinciam uidens, & monaſterijs quoq; periculum imminere præuidens, dimiſsis ordinatè omnibus nauigauit in Galliam, ibiq; à rege Frãcorum Lothouuio, uel patricio Herconualdo honorificè ſuſceptus, monaſterium conſtruxit in loco Latiniaco nominato: ac nõ multo pòſt infirmitate correptus, diem clauſit ultimum: cuius corpus idem Herconualdus patricius accipiens, ſeruauit in porticu quadam eccleſiæ, quam in uilla ſua, cui nomen erat Perroma, faciebat, donec ipſa eccleſia dedicaretur. Quod cùm poſt dies uiginti ſex eſſet factum, & corpus ipſum de porticu ablatum, prope altare eſſet recondendum, inuẽtum eſt ita illæſum, ac ſi eadē hora de hac luce fuiſſet egreſſus. Sed & poſt annos quatuor conſtructa domuncula cultiore receptui corporis eiuſdem, ad orientē altaris adhuc ſine macula corruptionis inuentum ibidem digno cum honore translatum eſt, ubi merita illius, multis ſæpè conſtat Deo operante claruiſſe uirtutibus. Hæc & de corporis eius incorruptione breuiter attigimus, ut quanta eſſet uiri ſublimitas, legentibus notius exiſteret: quæ cuncta in libello eius ſufficientius, & de alijs commilitonibus ipſius quiſquis legerit, inueniet.

*Vt defuncto Honorio, pontificatu ſit functus Deuſdedit, & qui in tempore illo orientalium Anglorum, qui Rhofenſis eccleſiæ fuerint antiſtites.*

*Caput* XX.

INterea defuncto Felice orientalium Anglorum epiſcopo, poſt decem & ſeptem annos accepti epiſcopatus Honorius loco eius ordinauit Thomam diaconum eius de prouincia Giruiorum: & poſt annos ſui epiſcopatus quinque de hac uita ſubtracto Beretgilſum cognomine Bonifacium, de prouincia Cãtuariorum loco eius ſubſtituit. Et ipſe quoque Honorius poſtquam metas ſui curſus impleuit, migrauit ex hac luce, anno ab incarnatione Domini ſeptingētesimo quinquageſimo tertio, pridie Kalendarum Octobrium, & ceſſante epiſcopatu per annum & ſex menſes electus eſt archiepiſcopus cathedræ Dorouernenſis ſextus Deuſdedit, de gente occidentalium Saxonum: quē ordinaturus uenit illuc Ithamar, antiſtes eccleſię Rhofenſis. Ordinatus eſt autem die ſeptimo Kalendarum Aprilium, & rexit eccleſiam annos nouem, menſes quatuor, duos dies: & ipſo defuncto Ithamar cõſecrauit pro eo Damianũ, qui de genere Auſtraliũ Saxonũ erat oriũdus.

*Vt prouincia mediterraneorum Anglorum ſub rege Penda Chriſtiana ſit facta.* *Cap.* XXI.

HIs temporibus Middelengli, id eſt, mediterranei Angli, ſub principe Penda filio, Pendam regis fidem & ſacramenta ueritatis percepẽrũt. Qui cùm eſſet iuuenis optimus, ac regis nomine ac perſona digniſsimus, prælatus eſt à patre regno gentis illius: uenitq; ad regē Nord Humbrorum Oſuui, poſtulãs filiam eius Alchfledan ſibi coniugem dari: neq; aliter quod petebat impetrare potuit, niſi fidem Chriſti ac baptiſma cum gente cui præerat, acciperet. At ille audita prædicatione ueritatis, & promiſsione regni cœleſtis, ſpeq; reſurrectionis ac futuræ immortalitatis, libenter ſe Chriſtianum fieri uelle confeſſus eſt, etiamſi uirginem non acciperet: perſuaſus maximè ad percipiendam fidē à filio regis Oſuui nomine Alchfrido, qui erat cognatus & amicus eius, habēs ſororem ipſius coniugem uocabulo Cymburgam filiam Pendã regis. Baptizatus eſt ergo à Finano epiſcopo, cum omnibus qui ſecum uenerant comitibus ac militibus, eorumq; famulis uniuerſis, in uico regis illuſtri, qui uocatur Admurum. Et acceptis quatuor presbyteris, qui ad docendam baptizandamq; gentem illius & eruditione & uita uidebantur idonei, multo cum gaudio reuerſus eſt. Erant autē presbyteri Cedda & Adda, & Betti & Diuna, quorum ultimus natione Scotus, cæteri fuere Angli. Adda autē erat frater Vttan presbyteri illuſtris, & abbatis monaſterij, quod uocatur ad Capreæ caput, cuius ſuprà meminimus. Venientes igitur in prouinciam memorati ſacerdotes cum principe, prædicabant uerbum, & libenter auditi ſunt: multiq; quotidie & nobilium & infimorum abrenunciata ſorde idololatriæ, fidei ſunt fonte abluti. Nec prohibuit Penda rex, quin etiã in ſua, hoc eſt, Merciorum natione uerbum (ſi qui uellent audire) prędicaretur. Quin potius odio habebat & deſpiciebat eos, quos fide Chriſti imbutos opera fidei non habere deprehendit, dicens contēnendos & miſeros eſſe eos, qui Deo ſuo in quem crederent, obedire contemnerēt. Cœpta ſunt hæc biennio ante mortē Penda regis: ipſo autem occiſo, cùm Oſuui rex Chriſtianiſsimus regnum eius acciperet (ut in ſequentibus dicemus) factus eſt Diuma unus ex præfatis quatuor ſacerdotibus, epiſcopus mediterraneorum Anglorum, ſimul & Merciorum ordinatus à Finano epiſcopo. Paucitas enim ſacerdotum cogebat unum antiſtitem duobus populis



præfici. Qui cum pauco ſub tēpore non paucam Domino plebē acquiſiſſet, defunctus eſt apud mediterraneos Anglos, in regione quę uocatur in Feppingum. Suſcepitq; pro illo epiſcopatum Ceollach, & ipſe de natione Scotorum, qui non multo pòſt epiſcopatu relicto reuerſus eſt ad inſulam Hij, ubi plurimorum caput & arcem Scoti habuere cœnobiorum: ſuccedente illo in epiſcopatum Trumhere uiro religioſo, & monachica uita inſtituto, natione quidem Anglo, ſed à Scotis ordinato epiſcopo, quod temporibus Vulſheri regis (de quo in ſequentibus dicemus) factum eſt.

*Vt orientales Saxones, fidem quam dudum abiecerant, ſub rege Sigberechto prædicante Ced receperint.* *Caput* XXII.

EO tempore etiam oriētales Saxones fidem quã olim expulſo Mellito antiſtite abiecerant, inſtantia regis Oſuui receperunt. Erat enim rex eiuſdē gentis Sigbert, qui poſt Sigbertum cognomento paruum regnauit, amicus eiuſdem Oſuui regis, qui cum frequēter ad eum in prouinciam Nord Humbrorum ueniret, ſolebat eum hortari, ad intelligendum deos eſſe non poſſe, qui hominum manibus facti eſſent: Dei creandi materiam uiuam, lignum uel lapidem eſſe non poſſe, quorum reciſuræ uel igni abſumerentur, uel in uaſa quælibet humani uſus formarentur, uel certè deſpectui habita, foras proijcerentur, & pedibus conculcata in terram uerterentur. Deum potius intelligendum maieſtate incomprehenſibilem, humanis oculis inuiſibilem, omnipotentem & æternum, qui cœlum & terram, & humanum genus creaſſet, regeret, & iudicaturus eſſet orbē in æquitate, cuius ſedes æterna meritoq; intelligendũ: quia omnes qui uoluntatem eius à quo creati ſunt, diſcerent & facerent, æterna ab illo præmia eſſent percepturi. Hæc & huiuſmodi multa cum rex Oſuui regi Sigberto amicabili, & quaſi fraterno conſilio, ſæpè inculcaret, tandem iuuante amicorũ conſenſu credidit, & facto cum ſuis conſilio, cum exhortatione fauentibus cunctis & annuentibus fidei, baptizatus eſt cum eis à Finano epiſcopo in uilla regia, cuius ſuprà meminimus, quæ cognominatur Ad murum. eſt enim iuxta murum, quo olim Romani Britanniam inſulam præcinxere, duodecim milibus paſſuum à mari orientali ſecreta. Igitur rex Sigbert æterni regni iam ciuis effectus, temporalis ſui regni ſedem repetijt, poſtulans ab Oſuui rege, ut aliquos ſibi doctores daret, qui gentem ſuam ad fidem Chriſti conuerterent, ac fonte ſalutari abluerent. At ille mittens ad prouinciam mediterraneorum Anglorum clamauit ad ſe uirũ Dei Cedd, & dato illi ſocio altero quodam presbytero, miſit prædicare uerbum genti orientalium Saxonum. Vbi cùm omnia perambulantes multam Domino eccleſiam congregaſſent, contigit quodam tempore eundem Cedd redire domum, ac peruenire ad eccleſiã Lindiſfarnenſem, propter colloquium Finani epiſcopi: qui ubi proſperatum ei opus euangelij comperit, fecit eum epiſcopum in gente oriētalium Saxonum, uocatis ad ſe in miniſterium ordinationis alijs duobus epiſcopis: qui accepto gradus epiſcopatus redijt ad prouinciam, & maiore auctoritate ceptum opus explens, fecit per loca eccleſias, presbyteros & diaconos ordinauit, qui ſe in uerbo fidei & miniſterio baptiſandi adiuuarēt, maximè in ciuitate, quę lingua Saxonum Ithanceſtir appellatur: ſed & in illa quæ Tilaburg cognominatur, quorũ prior locus eſt in ripa Pente amnis, ſecundus in ripa Tamenſis, in quibus collecto examine famulorum Chriſti diſciplinam uitæ regularis, in quãtum rudes adhuc capere poterant, erudiri docuit. Cumq; tempore nõ pauco in præfata prouincia gaudente rege, congaudente uniuerſo populo, uitæ cœleſtis inſtitutio quotidianum ſumeret augmentum, contigit ipſum regem inſtigante omnium bonorum inimico propinquorum ſuorum manu interfici. Erant autem duo germani fratres qui hoc facinus patrarũt: qui cùm interrogarentur, cur hoc facerent, nihil aliud reſpondere potuerunt, niſi ob hoc ſe iratos fuiſſe & inimicos regi, quòd ille nimium ſuis parcere ſoleret inimicis, & factas ab eis iniurias mox obſecrantibus placida mente dimitteret. Talis erat culpa regis pro qua occideretur, quòd euangelica pręcepta deuoto corde ſeruaret: in qua tamē morte eius innoxia, iuxta prædictum uiri Dei, uera eſt eius culpa punita. Habuerat enim unus ex his, qui eum occiderãt comitibus illicitum coniugium, quod cùm epiſcopus prohibere & corrigere non poſſet, excommunicauit eum, atque omnibus qui ſe audire uellent, præcepit ne domum eius intrarēt, neque de cibis illius acciperent. Contempſit hoc rex præceptum, & rogatus à comite intrauit epulaturus domum eius, qui cum abiſſet, obuiauit ei antiſtes. At rex intuens eum, mox tremefactus deſiliuit de equo, ceciditq; ante pedes eius ueniam reatus ſui poſtulans. Nam & epiſcopus pariter deſiliuit: ſederat enim & ipſe in equo. Iratus autem tetigit regem iacentem uirga quam tenebat manu, & pontificali auctoritate proteſtans, Dico tibi, inquit, quia noluiſti te continere à domo perditi & damnati illius, tu in ipſa domo mori habes. Sed credēdum eſt, quia talis mors uiri religioſi non ſolùm talem culpam diluerit, ſed etiam meritum eius auxerit: quia nimirum ob cauſam pietatis, quæ propter obſeruantiam mandatorum Chriſti contigit. Succeſsit autem Sigberto in regnum Suidhelmus filius Sexbaldi, qui baptizatus eſt ab ipſo Cedde in prouincia orientalium Anglorum, in uico regio qui dicitur Rendlesham, id eſt, manſio Rendili: ſuſcepitq; eum aſcendentem de fonte ſancto Edeluualdus rex ipſius gentis orientalium Anglorum, frater Annæ regis eorundem.

*Vt idem epiſcopus Cedd locum monaſterij conſtruendi ab Oſuualdo rege accipiens, orationibus & ieiunijs Domino conſecrauerit, & de obitu ipſius.* Cap. XXIII.

SOlebat autem idem uir Domini, cùm apud orientales Saxones epiſcopatus officio fungeretur, ſæpius etiam ſuam, id eſt, Nord Humbrorum prouinciam exhortandi gratia reuiſere: quẽ cum Ediluualdus filius Oſuual .. regis, qui in Deirorum partibus regnum habebat, uirum ſanctum & ſapientem probumq; moribus uideret, poſtulauit eum poſſeſsionem terræ aliquam à ſe, ad conſtruendum monaſteriũ, in quo ipſe rex & frequentius ad deprecandum Dominum, uerbumq; audiendum aduenire, & defunctos ſepelire deberet. Nã & ipſum fideliter crèdidit, multum iuuari eorum orationibus quotidianis, qui illo in loco Domino ſeruirent. Habuerat autem idem rex ſecum fratrem germanum, eiuſdem epiſcopi uocabulo Celin, uirum æquè Deo deuotum, qui & ipſi ac familię ipſius uerbum & ſacramenta fidei (erat enim presbyter) miniſtrare ſolebat, per cuius notitiam maximè ad diligendũ noſcendumq; epiſcopũ peruenit. Fauens ergo uotis regis antiſtes, elegit ſibi locũ monaſterij conſtruendi in montibus arduis ac remotis: in quibus latronum magis latibula ac luſtra ferarum, quàm habitacula fuiſſe uidebantur hominum, ut iuxta prophetiam Eſaiæ in cubilibus, in quibus prius dracones habitabant, orirentur uiro, calami & iunci: id eſt, quòd fructus bonorum operum ibi naſcerẽtur, ubi prius uel beſtię commorari, uel homines beſtialiter uiuere conſueuerant. Studens autẽ uir Domini acceptum monaſterij locũ primò precibus ac ieiunijs à priſtina flagitiorũ ſorde purgare, & ſic in eo monaſterij fundamenta iacere, poſtulauit à rege ut ſibi per totum quadrageſimæ tempus quod inſtabat, facultatem ac licẽtiam ibidem orationis cauſa demorandi concederet: quibus diebus cunctis, excepta Dominica, ieiunium ad ueſperam iuxta morem protelans, nec tunc niſi panis permodicum & unum ouum gallinaceũ cum paruo lacte aqua mixto percipiebat. Dicebat enim hanc eſſe conſuetudinem eorum, à quibus normam diſciplinæ regularis didicerat, ut accepta nuper loca ad faciendum monaſterium uel eccleſiam, prius orationibus ac ieiunijs Domino conſecrẽt. Cumq; decem dies quadrageſimæ reſtarent, uenit qui clamaret eum ad regem. At ille ne opus religioſum negociorum regalium cauſa intermitteretur, petijt presbyterum ſuum Cymbellum, qui etiam frater germanus erat ipſius, pia cœpta complere. Cui cùm ille libenter acquieſceret, expleto ſtudio ieiuniorum & orationis, fecit ibi monaſterium, quod nunc Leſtinghẽ uocatur, & religioſis moribus iuxta ritum Lindiſfarnẽſium, ubi educatus erat, inſtituit: qui cùm annis multis & in præfata prouincia epiſcopatum adminiſtraret, & huius quoq; monaſterij ſtatutis præpoſitis curam gereret, caſu cõtigit, ut ad ipſum monaſteriũ tempore mortalitatis adueniens, tactus ibidem infirmitate corporis obiret: qui primò quidẽ foris ſepultus eſt, tempore autem præcedente in monaſterio eccleſia eſt in honorem beatæ Dei genetricis, de lapide facta, & in illa corpus ipſius ad dexteram altaris reconditum. Dedit autem epiſcopus regẽdum poſt ſe monaſterium fratri ſuo Ceadda, qui poſtea epiſcopus factus eſt, ut in ſequentibus dicemus. Quatuor ſiquidem quos diximus germani fratres, Cedd & Cymbil, & Ceulin & Ceadda (quod rarò inuenitur) omnes ſacerdotes Domini fuere præclari, & duo ex eis etiam ſummi ſacerdotij gradu functi ſunt. Cùm ergo epiſcopum defunctum ac ſepultum in prouincia Nord Humbrorum audirentur, fratres qui in monaſterio eius erant in prouincia orientalium Saxonum, uenerũt illò de ſuo monaſterio homines circiter triginta, cupientes ad corpus ſui patris aut uiuere (ſi ſic Deo placeret) aut morientes ibi ſepeliri: qui libenter à ſuis fratribus & commilitonibus ſuſcepti, omnes ibidem ſuperueniente præfatæ peſtilentię clade defuncti ſunt, excepto uno puerulo, quem orationibus patris ſui à morte cõſtat eſſe ſeruatum. Nam cũ multo poſt hæc tempore uiueret, & ſcripturis legendis operam daret, tandem didicit ſe aqua baptiſmatis non eſſe regeneratum, & mox fonte lauacri ſalutaris ablutus, etiam poſtmodum ad ordinem presbyterij promotus eſt, multiſq; in eccleſia utilis fuit: de quo dubitandum non crediderim, quin interceſsionibus (ut dixi) ſui patris, ad cuius corpus dilectionis ipſius gratia uenerat, ſit ab articulo mortis retẽtus, ut & ipſe ſic mortẽ euaderet ęternã, & alijs quoq; fratrib. miniſteriũ uitæ ac ſalutis docendo exhiberet.

*Vt prouincia Merciorum occiſo rege Penda fidem Chriſti ſuſceperit, & Oſuui pro adepta uictoria Deo ad conſtruenda monaſteria dederit.* Caput XXIIII.

HIs temporibus rex Oſuui cum acerbas & intolerabiles pateretur irruptiones ſæpè dicti regis Merciorum, qui fratrem eius occiderat, ad ultimũ neceſsitate cogente, promiſit ſe ei innumera & maiora quã credi poteſt, ornamenta regia, uel donaria in precium pacis largiturum, dummodo ille domũ rediret, & prouincias regni eius uſq; ad internecionẽ uaſtare deſineret. Cumq; rex perfidus, nullatenus precibus illius aſſenſum præberet, qui totam eius gẽtem à paruo uſq; ad magnum delere, atq; exterminare decreuerat, reſpexit ille ad diuinæ auxilium pietatis, quo ab impietate barbarica poſſet eripi: uotoq; ſe obligans, Si paganus inquit, neſcit accipere noſtra donaria, offeramus ei, qui nouit, Domino Deo noſtro. Vouit ergo quod ſi uictor exiſteret, filiã ſuã Domino ſacra uirginitate dicandã offerre, ſimulq; duodecim poſſeſsiones prædiorũ ad cõſtruenda monaſteria donare, & ſic cum paucisſimo exercitu ſe certamini dedit. Denique fertur, quòd tricies maiorem pagani habuerint exercitum, ſiquidẽ ipſi triginta legiones ducibus nobiliſsimis inſtructas in bello habuere: quibus Oſuui rex cũ Alchfrido filio perparuum (ut dixi) habens exercitũ, ſed Chriſto duce confiſus occurrit. Nam alius filius eius Ecfrid eo tempore in prouincia Merciorum apud reginam Cinuiſe obſes tenebatur. Filius autem Oſuualdi regis Edeluuald, qui eis auxilio eſſe debuerat, in parte erat aduerſariorum, eiſdemq; contra patriam & patruum ſuum pugnaturis ductor extiterat, quãuis ipſo tempore pugnandi ſeſe pugna ſubtraxerat, euentumq; diſcriminis tuto in loco expectabat. Inito ergo certamine fugati ſunt & cæſi pagani duces regis triginta, & qui ad auxilium uenerãt, penè omnes interfecti, in quibus Edilhere, frater Annę regis Orientalium Anglorũ, qui poſt eum regnauit auctor ipſe belli, perditis militibus ſiue auxilijs interemptus eſt. Et à prope fluuium Iuuuet pugnatum eſt, qui tunc præ inundantia pluuiarum latè alueum ſuum, imò omnes ripas ſuas tranſierat, cõtigit ut multo plures aqua fugientes, quàm bellantes perderet enſis. Tunc rex Oſuui iuxta quod Domino uouerat, ꝓ collata ſibi uictoria gratias Deo referens, dedit filiam ſuam Elfledam, quę uixdũ unius anni ætatem impleuerat, perpetua ei uirginitate conſecrandam, donatis inſuper duodecim poſſeſsiunculis terrarum, in quibus ablato ſtudio militiæ terreſtris, ad exercendam militiam cœleſtem, ſupplicandumq; pro pace gentis eius æterna deuotioni ſedulæ monachorum locus facultaſq; ſuppeteret: è quibus uidelicet poſſeſsiunculis ſex in prouincia Deirorum, ſex in Berniciorum dedit. Singulæ uerò poſſeſsiones decem erant familiarum, id eſt, ſimul omnes centum uiginti. Intrauit autem præfata regis Oſuui filia Deo dicanda monaſteriũ, quod nuncupatur Herutheu, id eſt, inſula ceruí, cui tunc Hilea abbatiſſa præfuit: quæ poſt bienniũ comparata poſſeſsione decem familiarum, in loco qui dicitur Streaneshalch, ibi monaſteriũ conſtruxit, in quo memorata regis filia primò diſcipula uitæ regularis, deinde etiam magiſtra extitit, donec completo ſexaginta annorum numero ad complexum & nuptias ſponſi cœleſtis uirgo beata intraret. In quo monaſterio & ipſa & pater eius Oſuui, & mater eius Eanfled, & pater matris eius Eduinus, & multi alij nobiles in eccleſia ſancti Petri apoſtoli ſepulti ſunt. Hoc autem bellum rex Oſuui in regione Loidis tertiodecimo regni ſui anno, decimoſeptimo die Kalendarum Decembrium, cum magna utriuſque populi utilitate confecit. Nam & ſuam gentem ab hoſtili paganorum depopulatione liberauit, & ipſam gentem Merciorum finitimarumq; prouinciarũ defecto capite perfido, ad fidei Chriſtianæ gratiam conuertit. Primus autem in prouincia Merciorum ſimul & Lindisfarorum, ac mediterraneorum Anglorum factus eſt epiſcopus Diuma (ut ſuprà diximus) qui apud mediterraneos Anglos defunctus eſt: ſecundus Cellach, qui relicto epiſcopatus officio uiuẽs ad Scotiam redijt, uterque de genere Scottorum; tertius Trumhere de natione quidem Anglorum, ſed doctus & ordinatus à Scotis, qui erat abbas in monaſterio quod dicitur Ingethlingum. ipſe eſt locus in quo occiſus eſt rex Oſuui, ut ſuprà meminimus. Nam regina Eanfled propinqua illius, ob caſtigationẽ necis eius iniuſtæ, poſtulauit à rege Oſuui, ut donaret ibi locũ monaſterio conſtruendo præfato Dei famulo Tumhere (quia propinquus & ipſe erat regis occiſi) in quo uidelicet monaſterio orationes aſsiduæ pro utriuſq; regis, id eſt, & occiſi, & eius qui occidere iuſsit, æterna ſalute fierent. Idem autem rex Oſuuin tribus annis poſt occiſionem Pendam regis Merciorum gentis, necnon & cæteris auſtralium prouinciarum populis præfuit, qui etiam gentem Pictorum maxima ex parte regno Anglorum ſubiecit. Quo tempore donauit præfato Penda filio regis Pendã, eo quòd eſſet cognatus ſuus, regnum auſtralium Merciorum, qui ſunt (ut dicunt) familiarum quinque milium, diſcreti fluuio Treanta ab aquilonaribus Mercis, quorũ terra eſt familiarum ſeptem milium: ſed idem Pendan proximo uere multum nefariè peremptus eſt, proditione (ut dicunt) coniugis ſuæ, in ipſo tempore feſti Paſchalis. Completis autem tribus annis poſt interfectionem Pendæ regis, rebellauerunt aduerſus regẽ Oſuui duces gentis Merciorum Immin, & Eaba & Eadbert, leuato in regem Vulfhere, filio eiuſdem Pendan adoleſcente, quem occultũ ſeruauerant: & eiectis principibus regis nõ proprij, fines ſuos fortiter, ſimul & libertatem receperunt: ſicq; cum ſuo rege liberi, Chriſto uero regi pro ſempiterno in cœlis regno ſeruire gaudebant. Præfuit autem rex idem genti Merciorum annis decem & ſeptem: habuitq; primum epiſcopum Trumhere, de quo ſuprà diximus, ſecundum Iaroman: tertium Ceaddan: quartum Vuinfridum. Omnes hi per ordinem ſibimet ſuccedentes, ſub rege Vulfhere, gentis Merciorum, epiſcopatu ſunt functi.

*Vt quæſtio ſit mota de tempore paſchæ, aduerſus eos qui de Scotia uenerant.* Cap. XXV.

INterea Aidano epiſcopo de hac uita ſublato, Finan pro illo gradum epiſcopatus à Scotis ordinatus ac miſſus acceperat, qui in inſula Lindisfarnenſi fecit eccleſiam epiſcopali ſede congruam: quam tamen more Scotorum non de lapide, ſed de robore ſecto totam compoſuit, atq; arundine texit: quam tempore ſequente reuerendiſsimus archiepiſcopus Theodorus, in honorem beati Petri apoſtoli dedicauit. Sed epiſcopus loci illius Eadbert, ablata arundine plumbi laminis, eam totam, hoc eſt, & tectum & ipſos quoq; parietes eius cooperire curauit. His tẽporibus quęſtio facta eſt frequẽs & magna, de obſeruatione paſchæ: cõfirmantibus eis qui de Cantia uel de Gallijs aduenerãt, quòd Scoti Dominicũ paſchæ diẽ cõtra uniuerſalis eccleſiæ morẽ celebrarent. Erat in his acerrimus ueri Paſchæ defenſor, nomine Ronan,

natione quidem Scotus, ſed in Galliæ uel Italiæ partibus regula eccleſiaſticæ ueritatis edoctus, qui cum Finano confligens, multos quidē correxit uel ad ſolertiorem ueritatis inquiſitionem accendit, nequaquam tamen Finanum emendare potuit, quin potius quod eſſet homo ferocis animi, acerbiorem caſtigando, & apertum ueritatis aduerſarium reddidit. Obſeruabat autem Iacob diaconus quondam (ut ſuprà docuimus) uenerabilis archiepiſcopi Paulini, uerum & catholicū paſcha cum omnibus quos ad correctionis uiam erudire poterat. Obſeruabat & regina Eanfeld cum ſuis, iuxta quod in Cantia fieri uiderat, habens ſecum de Cantia presbyterum catholicæ obſeruationis nomine Romanum. Vnde nonnunquam contigiſſe fertur illis temporibus, ut bis in anno uno Paſcha celebraretur. Et cum rex Paſcha dominicum ſolutis ieiunijs faceret, tunc regina cum ſuis perſiſtens adhuc in ieiunio diem Palmarum celebraret. Hæc autem diſſonantia paſchalis obſeruantiæ uiuente Aidano patienter ab omnibus tolerabatur, qui patenter intellexerant, quia etſi paſcha contra morem eorum qui ipſum miſerant, facere nō potuit, opera tamen fidei, pietatis & dilectionis, iuxta morem omnibus ſanctis conſuetum diligenter exequi curauit. Vnde ab omnibus, etiam his qui de paſcha aliter ſentiebant, meritò diligebatur: nec ſolum à mediocribus, uerùm ab ipſis quoq; epiſcopis Honorio Cantuariorum, & Felice Orientalium Anglorum uenerationi habitus eſt. Defuncto autem Finano, qui poſt illum fuit, cùm Colmanus in epiſcopatu ſuccederet, & ipſe miſſus à Scotia, grauior de obſeruatione paſchę, necnō & de alijs eccleſiaſticæ uitæ diſciplinis controuerſia nata eſt. Vnde meritò mouit hæc quæſtio ſenſus & corda multorum timentium, ne fortè accepto Chriſtianitatis uocabulo, in uacuum currerent aut cucurriſſent. Peruenit & ad ipſas principum aures, Oſuui uidelicet regis & filij eius Alchfridi, quia nimirum Oſuui à Scotis edoctus ac baptizatus, illorū etiam lingua optimè imbutus, nil melius quàm quod illi docuiſſent, autumabat. Porrò Alchfrid magiſtrū habuit eruditionis Chriſtianæ Vilfridum, uirum doctiſsimum. Nam & Romam prius propter doctrinam eccleſiaſticam adierat, & apud Dalphinum archiepiſcopum Galliarum, Lugduni multum temporis egerat, à quo etiā tonſuræ eccleſiaſticæ coronam ſuſceperat. Huius doctrinam omnibus Scotorum traditionibus iure præferendam ſciebat. Vnde ei etiam donauerat monaſterium quadraginta familiarū, in loco qui dicitur Humpum: quem uidelicet locum paulo antè eis qui Scotos ſequebantur, in poſſeſsionem monaſterij dederat. Sed quia illi poſtmodum, data ſibi optione, magis loco cedere, quàm ſuam mutare conſuetudinem uolebant, dedit eum illi, qui dignam loco & doctrinam haberet & uitam. Venerat eo tempore Agilbertus Occidentalium Saxonum epiſcopus, cuius ſuprà meminimus, amicus Alchfridi regis, & Vuilfridi abbatis ad prouinciam Nordan Humbrorum, & apud eos aliquandiu demorabatur, qui etiam Vuilfridum, rogatu Alchfridi in præfato ſuo monaſterio presbyterum fecit: habebat autem ſecum ipſe preſbyterum, nomine Agathonem. Mota ergo ibi quæſtione de paſcha, uel tonſura, uel alijs rebus eccleſiaſticis, diſpoſitum eſt, ut in monaſterio, quod dicitur Strenaeshalch, quod interpretatur ſinus fari, cui tūc Hilda abbatiſſa Deo deuota fœmina præfuit, ſynodus fieret, & hæc quæſtio terminari deberet. Veneruntq; illò reges ambo, pater ſcilicet & filius, epiſcopi Colman cum clericis ſuis de Scotia: Agilbertus cum Agathone & Vuilfrido presbyteris. Iacobus & Romanus in horum parte erant: Hilda abbatiſſa cum ſuis in parte Scotorum, in qua erat etiam uenerabilis epiſcopus Cedda iamdudum ordinatus à Scotis, ut ſuprà docuimus, qui & interpres in eo concilio uigilantiſsimus utriuſque partis extitit. Primusq; rex Oſuui, præmiſſa præfatione, quod oporteret eos qui uni Deo ſeruirent, unam uiuendi regulam tenere, nec diſcrepare in celebratione ſacramentorū cœleſtium, qui unum omnes in cœlis regnum expectarent: inquirendum potius, quæ eſſet uerior traditio, & hanc ab omnibus communiter eſſe ſequendam. Iuſsit primò dicere epiſcopū ſuum Colmanum qui eſſet ritus, & unde originem ducens ille quem ipſe ſequeretur. Tunc Colmanus, Paſcha, inquit, hoc quod agere ſoleo, à maioribus meis accepi, qui me huc epiſcopum miſerunt, quod omnes patres noſtri uiri Deo dilecti eodem modo celebraſſe noſcuntur. Quod ne cui contemnendum & reprobandum eſſe uideatur, ipſum eſt quod beatus euangeliſta Ioannes, diſcipulus ſpecialiter Domino dilectus, cum omnibus quibus præerat eccleſijs, celebraſſe legitur. Quo hæc & his ſimilia dicente, iuſsit rex & Agilbertum proferre in medium, morem ſuæ obſeruationis, unde initium haberet, uel qua hunc auctoritate ſequeretur. Reſpondit Agilbertus, Loquatur obſecro uice mea diſcipulus meus Vuilfrid presbyter: quia unum ambo ſapimus cum cæteris qui hic aſsident eccleſiaſticæ traditionis cultoribus, & ille melius ac manifeſtius ipſa lingua Anglorum, quàm ego per interpretem, poteſt explanare quæ ſentimus. Tunc Vuilfrid iubente rege ut diceret, ita exorſus eſt: Paſcha quod facimus, inquit, uidimus Romæ, ubi beati apoſtoli Petrus & Paulus uixere, docuere, paſsi ſunt & ſepulti, ab omnibus celebrari: hoc in Italia, hoc in Gallia, quas diſcendi uel orandi ſtudio pertranſiuimus, ab omnibus agi conſpeximus: hoc Africam, Aſiam & Aegyptum, Gręciam & omnem orbem quacunque Chriſti eccleſia diffuſa eſt, per diuerſas nationes ac linguas, uno ac non diuerſo temporis ordine geri comperimus: præter hos tantum & obſtinationis eorum complices, Pictos dico, & Britones, cum quibus de duabus ultimis Oceani inſulis, his non totis, contra totum orbem ſtulto labore

repu-



repugnant. Cui hæc dicenti reſpondit Colmanus, Mirum quare ſtultum appellare uelitis laborem noſtrum, in quo tanti apoſtoli, qui ſuper pectus Domini recumbere dignus fuit, exempla ſectamur, cum ipſum ſapientiſsimè uixiſſe omnis mūdus nouerit. At Vuilfridus, Abſit, inquit, ut Iohannem ſtultitiæ reprehendamus, cū ſcita legis Moyſaicæ iuxta literam ſeruaret, iudaizante adhuc in multis eccleſia, nec ſubitò ualentibus apoſtolis, omnem legis obſeruantiam, quæ à Deo inſtituta eſt abdicare. Quomodo ſimulachra, quæ à dæmonibus inuenta ſunt, repudiare omnes qui ad fidem ueniunt, neceſſe eſt, uidelicet ne ſcandalum facerent eis, qui inter gentes erant Iudæis. Hinc eſt enim quòd Paulus Timotheum circumcidit, quòd hoſtias in templo immolauit, quòd cum Aquila & Priſcilla caput Corinthi totondit, ad nihil uidelicet utile, niſi ad ſcandalum uitandum Iudæorū. Hinc quòd eidem Paulo Iacobus ait, Vides frater, quot milia ſunt in Iudæis, qui crediderunt, & omnes ij æmulatores ſunt legis: nec tamē hodie clareſcente per mundum euangelio neceſſe eſt, imò nec licitum fidelibus uel circumcidi, uel hoſtias Deo uictimarum offerre carnalium. Itaq; Iohannes ſecundum legis conſuetudinem decimaquarta die menſis primi, ad ueſperam incipiebat celebrationem feſti Paſchalis, nil curans utrum hæc ſabbato, an alia qualibet feria proueniret. At uerò Petrus cùm Romæ prædicaret, memor quia Dominus prima ſabbati reſurrexit à mortuis, ac mundo ſpem reſurrectionis contulit, ita Paſcha faciendum intellexit, ut ſecundum conſuetudinem ac præcepta legis, decimamquartam lunam primi menſis, æquè ſicut Ioannes orientē, ad ueſperam ſemper expectaret: & hac exorta, ſi Dominica dies (quæ tunc prima ſabbati uocabatur) erat manè uentura, in ipſa ueſpera Paſcha Dominicū celebrare incipiebat, quomodo & nos omnes hodie facere ſolemus: ſin autem Dominica non proximo mane poſt lunam decimamquartam, ſed ſextadecima aut ſeptimadecima, aut alia qualibet luna, uſq; ad uiceſimamprimam eſſet uentura, expectabat eam, & præcedente ſabbato ueſpere ſacroſancta Paſchæ ſolēnia inchoabat: ſicq; fiebat, ut dominica Paſchæ dies, non niſi à quintadecima luna uſq; ad uiceſimam primam ſeruaretur. Neq; hæc euangelica & apoſtolica traditio legē ſoluit, ſed potius adimplet, in qua obſeruandum Paſcha à quartadecima luna primi menſis ad ueſperam, uſque ad uiceſimā primam lunam eiuſdem menſis ad ueſperam præceptum eſt: in quam obſeruātiam imitandam, omnes ſancti Iohannis ſucceſſores in Aſia poſt obitum eius, & omnis per orbem eccleſia conuerſa eſt: & hoc eſſe uerum, Paſcha hoc ſolum fidelibus celebrandū, Niceno concilio non ſtatutum nouiter, ſed confirmatum eſt, ut Eccleſiaſtica docet hiſtoria. Vnde conſtat uos Colmane, neque Iohannis (ut autumatis) exempla ſectari, neque Petri, cuius traditioni ſcientes contradicitis: neque legi, neque euangelio, in obſeruatione ueſtri Paſchæ congruere. Ioannes enim ad legis Moſaicæ decreta tempus paſchale cuſtodiēs, nil de prima ſabbati curabat: quod uos non facitis, qui nō niſi prima ſabbati paſcha celebratis. Petrus à decimaquinta luna uſque ad uiceſimam primam diem Paſchæ dominicū celebrabat: quod uos non facitis, qui à decimaquarta uſq; ad uiceſimam lunam diem dominicum Paſchæ obſeruatis: ita ut tertiadecima luna ad ueſperam ſæpius Paſcha incipiatis, cuius neque lex ullam fecit mentionem, neq; auctor ac dator euangelij Dominus in ea, ſed in quartadecima luna uel uetus Paſcha mādcauit ad ueſperam, uel noui Teſtamenti ſacramenta in commemorationem ſuæ paſsionis Eccleſiæ celebranda tradidit. Itemq; lunam uiceſimam primam, quam lex maximè celebrandam cōmendauit, à celebratione ueſtri Paſchæ funditus eliminatis: ſicq; ut dixi, in celebratione ſummæ feſtiuitatis, neque Iohanni, neque Petro, neq; legi, neq; euangelio concordatis. His contrà Colmanus: Nunquid, ait, Anatholius uir ſanctus, & in præfata hiſtoria Eccleſiaſtica multum laudatus, legi uel euangelio contraria ſapuit, qui à quartadecima uſq; ad uiceſimam Paſcha celebrandum ſcripſit? Nunquid reuerendiſsimum patrē noſtrum Columbam, & ſucceſſores eius, uiros Deo dilectos, qui eodem modo Paſcha fecerunt, diuinis paginis contraria ſapuiſſe uel egiſſe credendū eſt? cùm plurimi fuerint in eis, quorum ſanctitati cœleſti ſigna & uirtutū quæ fecerunt miracula, teſtimonium præbuerunt, quos ut ipſe ſanctos eſſe non dubitans, ſemper eorum uitam, mores & diſciplinam ſequi non deſiſto. At Vuilfridus, Conſtat, inquit, Anatholium uirum ſanctiſsimum, doctiſsimum ac laude eſſe digniſsimum: ſed quid uobis cum illo, cùm nec eius decreta ſeruetis? Ille enim in Paſcha ſuo regulam utique ueritatis ſequens, circulum nouendecim annorum poſuit, quē uos aut ignoratis, aut agnitum à tota Chriſti eccleſia cuſtoditum, pro nihilo contemnitis. Ille ſic in Paſchæ dominicum decimam quartam lunam computauit, ut hanc eadem ipſa die, more Aegyptiorum decimamquintam lunam ad ueſperam eſſe fateretur. Sic idem uiceſimam diem dominico Paſchæ annotauit, ut hanc declinata, eadem die eſſe uiceſimamprimam crederet. Cuius regulam diſtinctionis uos ignoraſſe probat, quòd aliquotiens Paſcha manifeſtiſsimè ante plenilunium, id eſt, in tertiadecima luna facitis. De patre autem ueſtro Columba & ſequacibus eius, quorum ſanctitatem uos imitari, & regulam ac præcepta cœleſtibus ſignis confirmata ſequi perhibetis, pòſſum reſpondere: quia multis in iudicio dicentibus Domino, quòd in nomine eius prophetauerint, & dæmonia eiecerint, & uirtutes multas fecerint, reſponſurus ſit Dominus, quia nunquā eos nouerit. Sed abſit, ut de patribus ueſtris hoc dicam: quia iuſtius multo eſt, de incognitis bonū credere quàm malum. Vnde & illos Dei famulos, ac Deo dilectos eſſe nō nego, qui

ſim-

ſimplicitate ruſtica, ſed intentione pia, Deũ dilexerunt. Neq; illis multum obeſſe Paſchæ talem reor obſeruantiam, quamdiu nullus aduenerat, qui eis inſtituti perfectioris decreta, quæ ſequerentur, oſtenderet: quos utiq; credo, ſi qui tunc ad eos catholicus calculator adueniret, ſic eius monita fuiſſe ſecuturos, quomodo ea quæ nouerant ac didicerant Dei mandata, probantur fuiſſe ſecuti. Tu autem & ſocij tui, ſi audita decreta ſedis apoſtolicæ, imò uniuerſalis Eccleſiæ, & hęc literis ſacris confirmata ſequi cõtemnitis, abſq; ulla dubietate peccatis: etſi enim patres tui ſancti fuerunt, nunquid uniuerſali quæ per orbem eſt Chriſti eccleſiæ, horum eſt paucitas una de angulo extremæ inſulę præferenda? Etſi ſanctus erat ac potens, uirtutibus ille Columba ueſter, imò & noſter ſi Chriſti erat, num præferri potuit beatiſsimo apoſtolorum principi? cui Dominus ait, Tu es Petrus, & ſuper hanc petram ædificabo eccleſiam meam, & portæ inferi non præualebunt aduerſus eam, & tibi dabo claues regni cœlorum. Hæc perorante Vuilfrido dixit rex, Vere'ne Colmane hæc illi Petro dicta ſunt à Domino qui ait, Vere rex. At ille, Habetis, inquit, uos proferre aliquid tantæ poteſtatis ueſtro Columbæ datum. At ille ait, Nihil. Rurſum autem rex: Si utriq; ueſtrum, inquit, in hoc ſine ulla controuerſia conſentiunt, quòd hæc principaliter Petro dicta, & ei claues regni cœlorum ſint datæ à Domino. reſponderunt, Etiam, utriq;. At ille ita concluſit, Et ego uobis dico, quia hic eſt oſtiarius ille, cui ego cõtradicere nolo, ſed in quantum noui uel ualeo, huius cupio in omnibus obedire ſtatutis, ne fortè me adueniente ad fores regni cœlorum, non ſit qui reſerat, auerſo illo qui claues tenere probatur. Hæc dicente rege, fauerunt aſsidentes quiq; ſiue aſtantes maiores unà cum mediocribus, & abdicata minus perfecta inſtitutione, ad ea quæ meliora cognouerant, ſeſe transferre feſtinabant.

*Vt Colman uictus domum redierit, & Tuda pro illo epiſcopatu ſit functus, qualisq; illis doctoribus eccleſiæ fuerit habitus.* Cap. XXVI.

FInitoq; conflictu, ac ſoluta concione Agilbertus domum redijt. Colman uidens ſpretam ſuam doctrinam, ſectamq; eſſe deſpectã, aſſumptis his qui ſe ſequi uoluerũt, id eſt, qui Paſcha catholicũ & tonſuram coronæ (nam & de hoc quæſtio non minima erat) recipere nolebãt, in Scotiam regreſſus eſt, tractaturus cũ ſuis quid de his facere deberet. Cedd relictis Scottorum ueſtigijs ad ſuã ſedem redijt, utpote agnita obſeruatione catholici Paſchæ. Facta eſt autẽ hęc quæſtio anno Dominicæ incarnationis ſexcenteſimo ſexageſimo quarto, qui fuit annus Oſuuini regis uiceſimus ſecundus: epiſcopatus autem Scottorum, quem geſſerunt in prouincia Anglorum, annus triceſimus: ſiquidem Aidan decem & ſeptem annis, Finan decem, Colman tribus epiſcopatus tenuere. Reuerſo aũt in patriam Colmano, ſuſcepit pro illo epiſcopatum Nord Humbrorum famulus Chriſti Tuda, qui erat apud Scottos auſtrinos eruditus atq; ordinatus epiſcopus, habens iuxta morem prouinciæ illius coronam tonſuræ eccleſiaſticæ, & catholicam temporis paſchalis regulam obſeruans: uir quidem bonus ac religioſus, ſed permodico tempore eccleſiam regens. Venerat enim de Scotia tenẽte adhuc pontificatũ Colmano, & diligenter ea quæ ad fidem ac ueritatem pertinent, & uerbo cunctos docebat & opere. Porrò fratribus qui in Lindisfarnenſi eccleſia Scottis abeuntibus remanere maluerũt, præpoſitus eſt abbatis iure uir reuerẽdiſsimus ac manſuetiſsimus Eata, qui erat abbas in monaſterio quod uocatur Mailros, quod aiũt Colmanum abeuntem petiſſe & impetraſſe à rege Oſuuin, eo quòd eſſet idem Eata unus de duodecim pueris Aidani, quos primo epiſcopatus ſui tempore de natione Anglorum erudiendos in Chriſto accepit. Multum namq; eundem epiſcopum Colmanum rex pro inſita illi prudentia diligebat. Ipſe eſt Eata, qui non multo pòſt eidem eccleſiæ Lindisfarnenſis epiſcopus factus eſt. Abiens autem domum Colman aſſumpſit ſecum partem oſsium reuerendiſsimi patris Aidani: partem uerò in eccleſia cui præerat, reliquit, & in ſecretario eius condi præcepit. Quantæ autem parſimoniæ, cuiusq; continentiæ fuerit, ipſe cum prædeceſſoribus ſuis teſtabatur: etiam locus ille quẽ regebat, ubi abeũtibus eis, excepta eccleſia paucíſsimæ domus repertæ ſunt: hoc eſt illæ ſolummodo, ſine quibus conuerſatio ciuilis eſſe nullatenus poterat, nil pecuniarum abſq; pecoribus habebant. Si quid enim pecunię à diuitibus accipiebãt, mox pauperibus dabãt. Nam neq; ad ſuſceptionem potentium ſeculi, uel pecunias colligi, uel domos prędidere neceſſe fuit: qui nunquam ad eccleſiam, niſi orationis tantum, & audiendi uerbum Dei cauſa ueniebãt. Rex ipſe cùm opportunitas exegiſſet, cum quinq; tantum aut ſex ueniebat, & expleta in eccleſia oratione diſcedebat. Quod ſi fortè eos ibi refici contingeret, ſimplici tantum & quotidiano fratrũ cibo contenti, nil ultrà quærebant. Tota enim tunc fuit ſollicitudo doctoribus illis Deo ſeruiendi non ſeculo: tota cura cordis excolendi, non uentris. Vnde & in magna erat ueneratione tempore illo religionis habitus, ita ut ubicunq; clericus aliquis, aut monachus adueniret, gaudenter ab omnibus tanquam Dei famulus exciperetur: & iam ſi in itinere pergens inueniretur, accurrebãt, & flexo ceruice uel manu ſignari, uel ore illius ſe benedici gaudebant: uerbis quoq; horum exhortatorijs diligenter auditum præbebant: ſed & diebus Dominicis ad eccleſiam ſiue ad monaſteria certatim, non reficiendi corporis, ſed erudiendi ſermonis Dei gratia confluebant: & ſi quis ſacerdotum in uicum fortè deueniret, mox congregati in unum uicani uerbum uitæ ab illo expetere curabant. Nam neq; alia ipſis ſacerdotibus aut clericis uicos adeundi, quàm



quàm prædicandi, baptizandi, infirmos uiſitandi, & ut breuiter dicam, animas curandi cauſa fuit, qui in tantum erant ab omni auaritię peſte caſtigati, ut ne territoria ac poſſeſsiones ad cõſtruenda monaſteria, niſi à poteſtatibus ſeculi coacti acciperent. Quæ conſuetudo per omnia aliquanto poſt hæc tempora in eccleſ[i]js Nord Humbrorum ſeruata eſt. Sed de his ſatis dictũ.

*Vt Egberecht uir ſanctus de natione Anglorum monachicam in Hybernia uitam duxerit.* Caput XXVII.

EOdem anno Dominicę incarnationis ſexcẽteſimo ſexageſimo quarto facta eſt eclipſis ſolis, die tertio menſis Maij, hora circiter decima diei: quo etiam anno ſubita peſtilẽtiæ lues, depopulatis prius auſtralibus Britanniæ plagis, Nord Humbrorum quoq; prouinciam corripiens, atq; acerba clade diutius longè lateq; deſæuiens, magnam hominum multitudinem ſtrauit. Qua plaga præfatus Domini ſacerdos Tuda raptus eſt de mundo, & in monaſterio, quod uocatur Pegnalech, honorificè ſepultus. Hæc autem plaga Hyberniam quoque inſulam pari clade premebat. Erant ibidem eo tempore multi nobilium, ſimul & mediocrium de gente Anglorum, qui tempore Finani & Colmani epiſcoporum, relicta inſula patria, uel diuinæ lectionis, uel continentioris uitæ gratia illò ſeceſſerant. Et quidam quidem mox ſe monaſticæ conuerſationi fideliter mancipauerunt, alij magis circumeundo per cellas magiſtrorum, lectioni operam dare gaudebant: quos omnes Scoti libentiſsimè ſuſcipientes, uictum eis quotidianum ſine precio, libros quoque ad legendum, & magiſterium gratuitum præbere curabant. Erant inter hos duo iuuenes magnæ indolis, de nobilibus Anglorum, Edelhun & Ecgbert: quorum prior frater fuit Edilhun, uiri æquè Deo dilecti, qui & ipſe æuo ſequente Hyberniam gratia legẽdi adijt, & bene inſtructus in patriam redijt, atque epiſcopus in prouincia Lindiſſe factus, multo eccleſiam tempore nobiliſsimè rexit. Hi ergo quum eſſent in monaſterio, quod lingua Scotorum Rathmelſigi appellatur, & omnes ſocij ipſorum uel mortalitate de ſeculo rapti, uel per alia eſſent loca diſperſi, correpti ſunt ambo morbo eiuſdem mortalitatis, & grauiſsimè afflicti. E quibus Ecgbert (ſicut mihi referebat quidam ueraciſsimus & uenerandæ canitiei presbyter, qui ſe hæc ab ipſo audiſſe perhibebat) cùm ſe æſtimaret eſſe moriturum, egreſſus eſt tempore matutino de cubiculo, in quo infirmi quieſcebant, & reſidens ſolus in loco opportuno, cœpit ſedulus cogitare de actibus ſuis, & compunctus memoria peccatorum ſuorum faciem lachrymis abluebat, atque intimo ex corde Deum precabatur, ne adhuc mori deberet, priuſquam uel præteritas negligentias, quas in pueritia ſiue infantia commiſerat, perfectius ex tempore caſtigaret, uel in bonis ſe operibus abundantius exerceret. Vouit etiam uotũ, quia adeò peregrinus uiuere uellet, ut nunquã in inſulam, in qua natus eſt, id eſt, Britanniam rediret: quòd præter ſolennem canonici temporis pſalmodiã (ſi non ualetudo corporis obſiſteret) quotidie pſalteriũ totum in memoriam diuinę laudis decantaret, quod in omni ſeptimana diem cum nocte ieiunus trãſiret. Cumq; finitis lachrymis, precibus & uotis domum rediret, inuenit ſodalem dormientem, & ipſe quoq; lectulum conſcendens, cœpit in quietẽ membra laxare: & quum paululum quieſceret, expergefactus ſodalis reſpexit eum, & ait: O frater Ecgberte, ò quid feciſti? Sperabam, quia pariter ad uitam æternam intraremus. Veruntamen ſcito, quia quæ poſtulaſti, accipies. Didicerat enim per uiſionem & quid ille petiſſet, & quia petita impetraſſet. Quid multa? Ipſe Edilhun proxima nocte defunctus eſt: at uerò Ecgbert decuſſa moleſtia ęgritudinis conualuit, ac multo pòſt tempore uiuens, acceptumq; ſacerdotij gradum cõdignis ornans actibus, poſt multa uirtutum bona, ut ipſe deſiderabat nuper, id eſt anno Dominicę incarnationis ſeptingenteſimo uiceſimo nono, cũ eſſet ipſe annorum nonaginta, migrauit ad regna cœleſtia. Duxit autem uitam in magna humilitatis, manſuetudinis, continentiæ, ſimplicitatis, & iuſtitiæ perfectione. Vnde & genti ſuę, & illis in quibus exulabat nationibus Scotorum ſiue Pictorum, & exemplo uiuendi, & inſtantia docendi, & auctoritate corripiendi, & pietate largiendi de his, quę à diuitibus acceperat, multum profuit. Addidit autem uotis quæ diximus, ut in quadrageſima ſemper non plus quàm ſemel in die reficeretur, non aliud quàm panem ac lac tenuiſsimum, & hoc cum menſura guſtaret: quod uidelicet lac pridie nouum in phiala ponere ſolebat, & poſt noctẽ ablata ſuperficie craſsiore ipſe reſiduum cum modico (ut diximus) pane bibebat. Cuius modum continentiæ etiam quadraginta diebus ante natiuitatem Domini, totidem quoq; poſt peracta ſolennia pentecoſtes, hoc eſt quinquageſimæ, ſemper obſeruare curabat.

*Vt defuncto Tuda Vuilfrid in Gallia Leadda, apud occidentales Saxones in prouincia Nord Humbrorum ſint ordinati epiſcopi.* Cap. XXVIII.

INterea rex Alchfrid miſit Vuilfridũ presbyterum ad regẽ Galliarũ, qui eum ſibi ſuiſq; cõſecrari faceret epiſcopũ. At ille miſit illum ordinãdum ad Agilbertum, de quo ſuprà diximus, qui relicta Britannia Pariſiacæ ciuitatis factus erat epiſcopus. & conſecratus eſt magnò cũ honore ab ipſo, conuenientibus plurimis epiſcopis in uico regio, qui uocatur In cõpendio: quo adhuc in Trãſmarinis partibus poſt ordinationem demorante, imitatus induſtriam filij regis Oſuui, miſit Cantiam uirum ſanctum, modeſtum moribus, ſcripturarum lectione ſufficienter inſtructum, & ea quæ agenda in ſcripturis didicerat, operibus ſolerter exequentem, qui Eboracenſis eccleſiæ ordinaretur epiſopus. Erat autem presbyter uocabulo Ceadda, frater reueren

reuerēdiſsimi antiſtitis Ceddi, cuius ſæpius meminimus, & abbas monaſterij illius, quod uocatur Leſtingaheu. Miſitq; rex cum eo presbyterum ſuum uocabulo Eadhedum, qui poſtea regnante Ecgfrido Rhypenſis eccleſiæ præſul factus eſt. Verùm illi Cantiam peruenientes inuenerunt archiepiſcopū Deuſdedit iam migraſſe de ſeculo, & necdum alium pro eo cōſtitutum fuiſſe pontificem. Vnde diuerterunt ad prouinciam occidentalium Saxonum, ubi erat Vuini epiſcopus, & ab illo eſt uir præfatus conſecratus antiſtes, aſſumptis in ſocietatem ordinationis duobus de Britonum gente epiſcopis, qui Dominicum paſchæ diem, ut ſępius dictum eſt, ſecus morem canonicum à quarta decima uſq; ad uiceſimamprimam lunam celebrāt. Non enim erat tunc ullus, excepto illo Vuini, in tota Britannia canonicè ordinatus epiſcopus. Conſecratus ergo in epiſcopatum Ceadda, maximā mox cœpit eccleſiaſticæ ueritati & caſtitati curam impendere, humilitati, continentię, lectioni operam dare, oppida, rura, caſas, uicos, caſtella, propter euangelizandum non equitando, ſed apoſtolorū more pedibus incedendo peragrare. Erat enim diſcipulus Aidani, iiſdemq; actibus ac moribus iuxta exemplum eius ac fratris ſui Ceddi ſuos inſtituere curauit auditores. Veniens quoq; in Britanniam Vuilfridus iam epiſcopus factus, & ipſe perplura catholicæ obſeruationis moderamina eccleſijs Anglorum ſua doctrina contulit: unde factum eſt, ut creſcēte per dies inſtitutione catholica, Scoti omnes qui inter Anglos morabantur, aut his manus darent, aut ſuam redirent ad patriam.

*Vt Vuighardus presbyter ordinandus in archiepiſcopum de Britannia ſit miſſus Romam, quem remiſſa mox ſcripta papæ ibidem obiſſe narrauerunt. Caput* XXIX.

His temporibus reges Anglorum nobiliſsimi, Oſuui prouinciæ Nordan Humbrorū, & Ecgbert Cantuariorum, habito inter ſe conſilio, quid de ſtatu eccleſiæ Anglorum eſſet agēdum: intellexerat enim ueraciter Oſuui, quamuis educatus à Scotis, quia Romana eſſet catholica & Apoſtolica eccleſia. Aſſumpſerunt cum electione & cōſenſu ſanctæ Eccleſiæ gentis Anglorum, uirum bonum, & aptum epiſcopatu presbyterum, nomine Vuighardum, de clero Deuſdedit archiepiſcopi, & hunc antiſtitem ordinandum Romā miſerunt, quatenus accepto ipſe gradu archiepiſcopatus, catholicis per omnem Britanniam eccleſijs Anglorum ordinare poſſet antiſtites. Verùm Vuighardus Romam perueniens, priuſquam conſecrari in epiſcopū poſſet, morte præreptus eſt, & huiuſmodi literę regi Oſuui in Britanniam remiſſæ ſunt: Domino excellētiſsimo filio Oſuuio regi Saxonum, Vitalianus epiſcopus ſeruus ſeruorū Dei. Deſiderabiles literas excellētiæ ueſtræ ſuſcepimus, quas relegentes cognouimus eius piiſsimā deuotionem, feruentiſsimumq; amorē, quem habet propter beatam uitam. Et quia dextera Domini protegente, ad ueram & Apoſtolicam fidem ſit conuerſus, ſperans, ut ſicut in ſua gente regnat, ita & cum Chriſto in futuro conregnare. Benedicta igitur gens quæ talem ſapientiſsimum, & Dei cultorem promeruit habere regem: quia non ſolùm ipſe Dei cultor exiſtit, ſed etiam omnes ſubiectos ſuos meditatur die ac nocte ad fidem catholicam atq; Apoſtolicam, pro ſuæ animæ redemptione conuerti. Quis enim audiens hæc ſuauia non lætetur? Quis nō exultet & gaudeat in his pijs operibus? Quia & gens ueſtra Chriſto omnipotenti Deo credidit, ſecundùm diuinorum prophetarum uoces, ſicut ſcriptum eſt in Eſaia: In die illa radix Ieſſe, qui ſtat in ſignum populorum, ipſum gētes deprecabuntur. & iterum, Audite inſulæ, & attendite populi de longè. & pòſt paululum, Parum, inquit eſt, ut mihi ſis ſeruus ad ſuſcitandas tribus Iacob, & fęces Iſrael conuertendas. Dedi te in lucem gentium, ut ſis ſalus mea uſq; ad extremum terræ. & rurſum, Reges uidebunt, & conſurgent principes, & adorabunt. & pòſt puſillū: Dedi te in fœdus populi, ut ſuſcitares terrā, & poſsideres hæreditates diſsipatas, & diceres his qui uincti ſunt, Exite: & his qui in tenebris, Reuelamini. Et rurſum, Ego Dominus uocaui te in iuſtitia, & apprehendi manum tuam, & ſeruaui, & dedi te in lucem gētium, & in fœdus populi, ut aperires oculos cæcorum, & educeres de concluſione uinctum, de domo carceris ſedentem in tenebris. Ecce excellentiſsime fili, quàm luce clarius eſt, non ſolùm de uobis, ſed etiam de omnibus prophetarum gētibus, quòd ſint crediture in Chriſto omnium conditore. Quamobrem oportet ueſtram celſitudinē, utpote membrum exiſtēs Chriſti, in omnibus piā regulam ſequi perēniter principis apoſtolorū, ſiue in paſcha celebrando, ſiue in omnibus quæ tradiderūt ſancti apoſtoli Petrus & Paulus, qui ut duo luminaria cœli illuminant mundum, ſic doctrina eorum corda hominum quotidie illuſtrat credentium. Et poſt nonnulla, quibus de celebrando per orbem totum uno uero paſcha loquitur, Hominem deniq;, inquit, docibilem, & in omnibus ornatum antiſtitem ſecundum ueſtrorū ſcriptorū tenorem minimè ualuimus nunc reperire, pro longinquitate itineris. Profectò enim dum huiuſmodi apta repertaq; perſona fuerit, eum inſtructum ad ueſtram dirigemus patriam, ut ipſe & uiua uoce, & per diuina oracula omnem inimici zizaniam ex omni ueſtra inſula cum diuino nutu eradicet. Munuſcula à ueſtra celſitudine beato principi apoſtolorum directa, pro æterna eius memoria ſuſcepimus, gratiaſq; ei agimus, ac pro eius incolumitate iugiter Deū deprecamur cum Chriſti clero. Itaq; qui hæc obtulit munera, de hac ſubtractus eſt luce, ſituſq; ad limina apoſtolorum, pro quo ualde ſumus contriſtati, cum hic eſſet defunctus. Veruntamen gerulis harum noſtrarū literarum ueſtris miſsis, & beneficia ſanctorū martyrum, hoc eſt, reliquias beatorum apoſtolorum

lorum



lorum Petri & Pauli, & ſanctorum martyrum Laurentij, Iohannis & Pauli, & Gregorij atq; Pancratij, eis fecimus dari, ueſtræ excellentiæ profectò omnes contradendas. Nam & coniugi noſtræ ſpirituali filiæ, direximus per præfatos gerulos crucem clauem auream habentem, de ſacratiſsimis uinculis beatorum apoſtolorum Petri & Pauli: de cuius pio ſtudio cognoſcentes tantum cūcta ſedes Apoſtolica unà nobiſcum lætatur, quantum eius pia opera coram Deo flagrant & uernant. Feſtinet igitur quæſumus ueſtra celſitudo (ut optamus) totam inſulā ſuam Deo Chriſto dicare. Habet enim profectò protectorem humani generis redemptorē Dominum noſtrum Ieſum Chriſtū, qui ei cuncta proſpera impartiet, uti nouum Chriſti populum coaceruet, catholicam ibi & Apoſtolicam conſtituēs fidem. Scriptum eſt enim, Quęrite primùm regnum Dei & iuſtitiam eius, & hæc omnia adijcientur uobis. Nimirum enim quærit & impetrabit, & ei omnes ſuę inſulæ (ut optamus) ſubdentur. Paterno itaque affectu ſalutantes ueſtram excellentiam, diuinam iugiter precamur clementiam, quæ uos ueſtroſq; omnes in omnibus bonis operibus auxiliari dignetur, ut cum Chriſto in futuro regnetis ſeculo. Incolumem excellentiam ueſtram gratia ſuperna cuſtodiat. Quis ſanè pro Vuighardo repertus ac dedicatus ſit antiſtes, libro ſequente opportunius dicetur.

*Vt orientales Saxones tempore mortalitatis ad idololatriam reuerſi, ſed per inſtantiam Iarumanni epiſcopi mox ſint ab errore correcti. Caput* XXX.

Eodem tempore prouinciæ orientalium Saxonum poſt Guuidhelmū (de quo ſuprà diximus) præfuere reges Sighere & Sebbi, quamuis ipſi regi Merciorū Vulſhere ſubiecti. Quæ uidelicet prouincia cum præfatæ mortalitatis clade premeretur, Sighere cum ſua parte populi relictis Chriſtianæ fidei ſacramentis ad apoſtaſiam conuerſus eſt. Nam & ipſe rex, & plurimi de plebe ſiue optimatibus diligentes hanc uitam, & futuram non quærentes, ſiue etiā non eſſe credentes, cœperunt fana quæ derelicta erāt, reſtaurare, & adorare ſimulachra, quaſi per hæc poſſent à mortalitate defendi. Porrò ſocius eius & cohęres regni eiuſdem Sebbi magna fidem perceptam cum ſuis omnibus deuotione ſeruauit, & magna (ut in ſequētibus dicemus) uitam fidelem felicitate compleuit. Quod ubi rex Vulſhere comperit, fidē uidelicet prouincię ex parte profanatam, miſit ad corrigendum errorem, reuocandamq; ad fidem ueritatis prouinciam Iarumannum epiſcopum, qui ſucceſſor erat Trumhere, qui multa agens ſolertia iuxta quod mihi presbyter, qui comes itineris illi & cooperator uerbi extiterat, referebat. Erat enim religioſus & bonus uir longè lateq; omnia peruagatus, & populum & regem præfatū ad uiam iuſtitiæ reduxit, adeò ut relictis ſiue deſtructis ſanis ariſq; quas fecerant, aperirent eccleſias, ac nomen Chriſti cui contradixerant, confiteri gauderēt, magis cum fide reſurrectionis in illo mori, quàm in perfidię ſordibus inter idola uiuere cupiētes. Quib. ita geſtis, & ipſi ſacerdotes, doctoreſq; eorū domū rediere lętātes.

TERTII LIBRI FINIS.

# Eccleſiaſticæ Hiſtoriæ gentis Anglorum,

## LIBER IIII.

*Vt defuncto Deuſdedit Vuighart ad ſuſcipiendum epiſcopatum Romam ſit miſſus: ſed illo ibidem defuncto Theodorus archiepiſcopus ordinatus, & cum Adriano abbate ſit in Britanniam miſſus. Cap. I.*

ANNO memorato præfatæ eclipſis, & mox ſequentis peſtilentiæ, quo & Colman epiſcopus unanima catholicorū intentione ſuperatus, ad ſuos reuerſus eſt, Deuſdedit ſextus eccleſiæ Dorouernenſis epiſcopus obijt, pridie iduum Iuliarum. Sed & Erconbert rex Cantuariorum eodem menſe ac die defunctus Ecgberto filio ſedem regni reliquit, quam ille ſuſceptā per nouē annos tenuit. Tunc ceſſante non pauco tempore epiſcopatu, miſſus eſt Romam ab ipſo ſimul & à rege Nordan Humbrorū Oſuui (ut in pręcedēte libro diximus) Vuighart presbyter, uir in eccleſiaſticis diſciplinis doctiſsimus, de genere Anglorum, petentibus eccleſia Anglorum epiſcopum ordinari: miſsis pariter Apoſtolico papæ donarijs & aureis atq; argenteis uaſis non paucis. Qui ubi Romam peruenit, cui ſedi Apoſtolicæ tempore illo Vitalianus præerat, poſtquam itineris ſui cauſam præfato papæ Apoſtolico patefecit, nō multo pòſt & ipſe, & omnes penè qui cum eo aduenerant ſocij, peſtilentia ſuperueniente, deleti ſunt. At Apoſtolicus papa habito de his conſilio, quæſiuit ſedulus quem eccleſijs Anglorum archiepiſcopum mitteret. Erat autem in monaſterio Niridano, quod eſt non longè à Neapoli Campaniæ, abbas Adrianus, uir natione Afer, ſacris literis diligenter imbutus, monaſterialibus ſimul & eccleſiaſticis diſciplinis inſtitutus, Græcæ pariter & Latinæ linguæ peritiſsimus: hunc ad ſe accitum papa iuſsit, epiſcopatu accepto, in Britanniam uenire: qui indignum ſe tantò gradu reſpondens, oſtendere poſſe ſe dixit alium, cuius magis ad ſuſcipiendum epiſcopatū & eruditio conueniret & ætas. Cumq; monachum quendam de uicino uirginum monaſterio, nomine Andream, pontifici offerret, hic ab omnibus, qui eum nouere, dignus epiſcopatu iudicatus eſt; uerùm pondus corporeæ infirmitatis

tatis, ne epiſcopus fieri poſſet, obſtitit. Et rurſum Adrianus ad ſuſcipiẽdum epiſcopatum actus eſt: qui petijt inducias, ſi fortè aliũ, qui epiſcopus ordinaretur, ex tempore poſſet inuenire. Erat ipſo tempore Romæ monachus Adriano notus, nomine Theodorus, natus ex Tharſo Ciliciæ, uir & ſeculari, & diuina literatura, Grȩcè & Latinè inſtructus, probus moribus, & ætate uenerandus, id eſt, annos habẽs ætatis 66. Hunc offerẽs Adrianus pontifici, ut epiſcopus ordinaretur, obtinuit: his tamẽ conditionibus interpoſitis, ut ipſe eum perduceret in Britanniam, eo quòd iam bis partes Galliarum diuerſis ex cauſis adijſſet, & ob id maiorem huius itineris peragendi notitiam haberet, ſufficienſq; eſſet in poſſeſsione hominum propriorũ: & ut ei doctrinæ cooperator exiſtens diligenter attenderet, ne quid ille contrarium ueritati fidei Græcorum more in eccleſiam cui præeſſet, introduceret. Qui ſubdiaconus ordinatus, quatuor expectauit menſes, donec illi coma creſceret, quo in coronã tonderi poſſet. Habuerat enim tonſuram more orientalium ſancti Pauli apoſtoli. qui ordinatus eſt à Vitaliano papa, anno Dominicæ incarnationis 668. ſub die 7. Kalẽdarum Aprilium Dominica, & ita unà cum Adriano 6. Kalendas Iunias in Britãniam miſſus eſt: qui cùm pariter per mare ad Maſsiliam, & deinde per terram Arelatem perueniſſent, & tradidiſſent Ioãni archiepiſcopo ciuitatis illius ſcripta commendatitia Vitaliani pontificis, retenti ſunt ab eo, quouſque Ebroinus maior domus regiæ copiã pergendi quoquò uellent, tribuit eis: qua accepta Theodorus profectus eſt ad Agilbertum Pariſiorum epiſcopum, de quo ſuperius diximus, & ab eo benignè ſuſceptus, & multo tempore habitus eſt. Adrianus uerò perrexit primum ad Emmeſenonum, & poſtea ad Faronem Meldorũ epiſcopos, & bene cum eis diutius fuit. Coegerat enim eos imminens hyems, ut ubicunq; potuiſſent, quieti manerẽt. Quod cùm nuncij certi narraſſent regi Ecgberto, adeſſe ſcilicet epiſcopum, quem petierant à Romano antiſtite, in regno Francorum, miſit illò continuò Redfridum præfectum ſuum ad adducẽdum eum: quo cùm perueniſſet, aſſumpſit Theodorum cum Ebroini licentia, & perduxit eum ad portum, cui nomẽ eſt Quentauuic, ubi fatigatus infirmitate aliquãtiſper moratus eſt, & cùm conualeſcere cœpiſſet, nauigauit in Britanniam. Adrianum autem Ebroinus retinuit, quoniam ſuſpicabatur eum habere aliquam legationem imperatoris ad Britanniæ reges aduerſus regnum, cuius tunc ipſe maximam curã gerebat. Sed cum tale nihil illum habere uel habuiſſe ueraciter comperiſſet, abſoluit eum, & poſt Theodorum ire permiſit: qui ſtatim ut ad illum peruenit, dedit ei monaſterium beati Petri apoſtoli, ubi archiepiſcopi Cantiæ ſepeliri, ut præfatus ſum, ſolent. Prȩceperat enim Theodoro abeunti Dominus papa Apoſtolicus, ut in diœceſi ſua prouideret & daret ei locum, in quo cum ſuis aptè degere potuiſſet.

*Vt Theodoro cuncta peragrante, Anglorum eccleſiæ cum catholica ueritate literarum quoq; ſanctarum cœperint ſtudijs imbui, & ut Putta pro Damiano Rhofenſis eccleſiæ ſit factus epiſcopus.* Cap. II.

PEruenit autem Theodorus ad eccleſiam ſuã ſecundo poſtquam cõſecratus eſt anno, ſub die ſexto Kalendarum Iuniarum Dominica, & fecit in ea annos uiginti & unum, menſes tres, dies uiginti ſex. Moxq; peragrata inſula tota quaquauerſum Anglorum gentes morabãtur (nam & libẽtiſsimè ab omnibus ſuſcipiebatur atq; audiebatur) rectum uiuendi ordinem, ritũ celebrandi paſchæ canonicum, per omnia comitante & cooperante Adriano diſſeminabat. Isq; primus erat archiepiſcopus, cui omnis Anglorum eccleſia manus dare cõſentiret: & quia literis ſacris ſimul & ſecularibus, ut diximus, abundanter ambo erant inſtructi, congregata diſcipulorum caterua, ſcientiæ ſalutaris quotidie flumina in rigãdis eorum cordibus emanabant: ita ut etiam metricæ artis, aſtronomicȩ & arithmeticæ, eccleſiaſticæ diſciplinam inter ſacrorum apicum uolumina ſuis auditoribus cõtraderẽt. Indicio eſt, quòd uſq; hodie ſuperſunt de eorum diſcipulis, qui Latinam, Græcamq; linguam ȩquè ut propriam in qua nati ſunt, norunt. Neq; unquam prorſus ex quo Britãniam petierunt Angli, feliciora fuere tempora, dum & fortiſsimos Chriſtianosq; habentes reges cũctis barbaris nationibus eſſent terrori, & omnium uota ad nuper audita cœleſtis regni gaudia penderent: & quicunq; lectionibus ſacris cuperent erudiri, haberẽt in promptu magiſtros qui docerent: & ſonos cantãdi in eccleſia, quos eatenus in Cantia tantum nouerãt, ab hoc tempore per omnes Anglorũ eccleſias diſcere cœperũt: primusq; excepto Iacobo (de quo ſuprà diximus) cantandi magiſter Nordan Humbrorum eccleſijs Eddi cognomẽto Stephanus fuit inuitatus de Cantia à reuerẽdiſsimo uiro Vuilfrido, qui primus inter epiſcopos, qui de Anglorum gente eſſent, catholicum uiuendi morem eccleſijs Anglorum tradere didicit. Itaq; Theodorus perluſtrans uniuerſa, ordinabat locis opportunis epiſcopos, & ea quȩ minus perfecta reperit, his quoq; iuuantibus corrigebat. In quibus & Ceadda epiſcopũ cùm argueret, nõ fuiſſe ritè conſecratum, reſpondens ipſe uoce humillima dixit: Si me, inquit, noſti epiſcopatũ nõ ritè ſuſcepiſſe, libenter ab officio diſcedo: quippe qui neque me unquam hoc eſſe dignũ arbitrabar, ſed obedientiȩ cauſa iuſſus ſubire, hoc quamuis indignus conſenſi. At ille audiens humilitatem reſponſionis eius dixit, non eum epiſcopatum dimittere debere, ſed ipſe ordinationem eius denuò catholica ratione conſummauit. Eo autem tempore quo defuncto Deuſdedit, Dorouernenſis eccleſiæ epiſcopus quærebatur, ordinabatur, mittebatur, Vuilfridus quoq; de Britannia in Galliã ordinãdus eſt miſſus: & quoniam ante Theodorũ redijt ipſe etiam in Cantia, presbyteros & diaconos uſq;



dum archiepiſcopus ad ſedem ſuam perueniret, ordinabat. At ipſe ueniens mox in ciuitate Rhofi, ubi defuncto Damiano, epiſcopatus iã diu ceſſabat, ordinauit uirum magis eccleſiaſticis diſciplinis inſtitutum, & uitæ ſimplicitate contentum, quàm in ſeculi rebus ſtrenuum, cui nomen erat Putta, maximè autem modulandi in eccleſia more Romanorum, quem à diſcipulis papæ Gregorij didicerat, peritum.

*Vt Ceadda, de quo ſuprà dictum eſt, prouinciæ Merciorum ſit epiſcopus datus, & de uita & obitu & ſepultura eius.* Caput III.

EO tempore prouinciæ Merciorũ rex Vulfhere præfuit, qui cum mortuo Iarumanno ſibi quiq; ſuisq; à Theodoro epiſcopum dari peteret, nõ eis nouum uoluit ordinare epiſcopũ, ſed poſtulauit à rege Oſuuio, ut illis epiſcopus Ceadda daretur: qui tunc in monaſterio ſuo, quod eſt, in Leſtingahe quietam uitam agebat, Vuilfrido adminiſtrante epiſcopatum Eboracenſis eccleſiæ, nec non & omnium Nordã Hũbrorum, ſed & Pictorum, quouſq; rex Oſuui imperium protendere poterat. Et quia moris erat ijdem reuerendiſsimo antiſtiti opus euangelij magis ambulando per loca, quàm equitando perficere, iuſsit eum Theodorus, ubicunq; longius iter inſtaret, equitare: multumq; renitentem ſtudio & amore pij laboris, ipſe eum manu ſua leuauit in equum: quia nimirum ſanctũ eſſe uirum cõperit, atq; equo uehi quò eſſet neceſſe, compulit. Suſceptum itaq; epiſcopatum gentis Merciorum, ſimul & Lindisfarorum Ceadda, iuxta exempla patrum antiquorum in magna uitæ perfectione adminiſtrare curauit: cui etiam rex Vulfhere donauit terram quinquaginta familiarum ad conſtruendum monaſterium in loco qui dicitur Etbearue: id eſt, ad nemus in prouincia Lindiſsi, in quo uſq; hodie inſtituta ab ipſo regularis uitæ ueſtigia permanent. Habuit autem ſedem epiſcopalem in loco qui uocatur Liccidſeld, in quo & defunctus ac ſepultus eſt, ubi uſq; hodie ſequentium quoque prouinciȩ illius epiſcoporum ſedes eſt. Fecerat uerò ſibi manſionem non longè ab eccleſia remotiorem, in qua ſecretius cum paucis, id eſt, ſeptem ſiue octo fratribus quoties à labore & miniſterio uerbi uacabat, orare ac legere ſolebat. Qui cùm in illa prouincia duobus annis ac dimidio eccleſiam glorioſiſsimè rexiſſet, adfuit ſuperno diſpenſante iudicio, tempus de quo loquitur Eccleſiaſtes, Quia tempus mittendi lapides, & tempus colligendi. Superuenit namq; clades diuinitus miſſa, quæ per mortem carnis uiuos eccleſiæ lapides, de terrenis ſedibus ad ȩdificium cœleſte trãsferret. Cumq; plurimis de eccleſia eiuſdem reuerẽdiſsimi antiſtitis de carne ſubtractis ueniret hora ipſius, ut trãnſiret ex hoc mundo ad Dominum, contigit die quadã, ut in præfata manſione fortè ipſe cum uno tantum fratre, cui uocabulum erat Ouuinus commoraretur, cæteris eius ſocijs pro cauſa opportuna ad eccleſiam reuerſis. Erat autem idem Ouuinus monachus magni meriti, & pura intentione ſupernæ retributionis mundum derelinquẽs, dignusq; per omnia, cui Dominus ſpecialiter ſua reuelaret arcana, dignus cui fidem narranti audientes accommodarent. Venerat enim cum regina Edildride de prouincia oriẽtalium Anglorum, eratq; primus miniſtrorum, & princeps domus eius. Qui cùm creſcente fidei feruore ſeculo abrenunciare diſponeret, nõ hoc ſegniter fecit, ſed adeò ſe mũdi rebus exuit, ut relictis omnibus quæ habebat, ſimplici tantum habitu indutus, & ſecurim atq; aſciam in manu ferens, ueniret ad monaſterium eiuſdem reuerẽdiſsimi patris, quod uocatur Leſtinghẽ. Non enim ad ocium, ut quidam, ſed ad laborẽ ſe monaſterium intrare ſignabat, quod ipſum etiam facto mõſtrauit: nam quo minus ſufficiebat meditationi ſcripturarum, eo amplius operi manuũ ſtudium impendebat. Deniq; cum epiſcopo in præfata manſione pro ſuæ reuerentia deuotionis inter fratres habitus, cùm illi intus lectioni uacabant, ipſe foris, quæ opus eſſe uidebantur, operabatur. Qui cùm die quadam tale aliquid foris ageret, digreſsis ad eccleſiam ſocijs, ut dicere cœperam, & epiſcopus ſolus in oratorio loci lectioni uel orationi operam daret, audiuit repẽtè, ut poſtea referebat, uocem ſuauiſsimam cantantium atq; lȩtantium de cœlo ad terras uſq; deſcendere: quam uidelicet uocẽ ab Euro auſtro, id eſt, ab alto brumalis exortam, primò ſe audiſſe dicebat, ac deinde paulatim eam ſibi appropinquare, donec ad tectum uſq; oratorij in quo erat epiſcopus, perueniret, quod ingreſſa totum impleuit atq; in gyro circumdedit. At ille dum ſolicitus in ea quæ audiebat, animum intenderet, audiuit denuò tranſacto quaſi horæ ſpacio aſcẽdere de tecto eiuſdẽ oratorij idem lætitiæ canticum, & ipſa qua uenerat uia, ad cœlos uſq; cum ineffabili dulcedine reuerti. Qui cùm aliquantulum horæ quaſi attonitus maneret, & quid hoc eſſet ſolerti animo ſcrutaretur, aperuit epiſcopus feneſtrã oratorij, & ſonitum manu faciens, ut ſæpius conſueuit, ſiquis foris eſſet ad ſe intrare præcepit. Introiuit ille concitus, cui dixit antiſtes: Vade citò ad eccleſiam, & hos ſeptem fratres huc uenire facito, tu quoq; ſimul adeſto. Qui cùm ueniſſent, primò admonuit eos, ut uirtutẽ dilectionis & pacis ad inuicem & ad omnes fideles ſeruarent: inſtituta quoq; diſciplinȩ regularis, quȩ uel ab ipſo didiciſſent, & in ipſo uidiſſent, uel in patrum præcedentium factis ſiue dictis inueniſſent, indefeſſa inſtantia ſequerentur: deinde ſubiũxit, diem ſui obitus iam proximè inſtare. Namq; hoſpes, inquit, ille amabilis, qui fratres noſtros uiſitare ſolebat, ad me quoq; hodie uenire, meq; de ſeculo euocare dignatus eſt. Propter quod reuertentes ad eccleſiam, dicite fratribus, ut & meum exitum Domino precibus commendent & ſuum quoque exitum (cuius hora incerta eſt) uigilijs, orationibus, bonis operibus præuenire meminerint. Cumq; hæc &



 huiuſmo

huiuſmodi plura loqueretur, atque illi percepta eius benedictione iam multum triſtes exiſſent, redijt ipſe ſolus qui carmen cœleſte audierat, & proſternẽs ſe in terram, Obſecro, inquit, pater, licet'ne aliquid interrogare? Interroga, inquit, quod uis. At ille, Obſecro, inquit, ut dicas quod erat canticum illud lætantium, quod audiui uenientium de cœlis ſuper oratorium hoc, & poſt tempus redeuntium ad cœlos. Reſpondit ille, Si uocem carminis audiuiſti, & cœleſtes ſuperuenire cœtus cognouiſti, præcipio tibi in nomine Domini, ne hoc cuiquam ante meum obitum dicas. Reuera autem angelorũ fuere ſpiritus, qui me ad cœleſtia, quæ ſemper amabam ac deſiderabam præmia uocare uenerunt, & poſt dies ſeptem ſe redituros, ac me ſecum adducturos eſſe promiſerunt. Quod quidem, ita ut ei prædictum erat, opere completum eſt. Nam confeſtim languore corporis tactus eſt, & hoc per dies ingraueſcente, ſeptimo (ut promiſſum ei fuerat) die poſtquam obitum ſuum Dominici corporis & ſanguinis perceptione muniuit, ſoluta ab ergaſtulo corporis anima ſancta ducentibus, ut credi fas eſt, angelis comitibus æterna gaudia petiuit. Non autem mirum, ſi diem mortis uel potius diem Domini lætus aſpexit, quem ſemper uſque dum ueniret, ſolicitus expectare curauit. Namque inter plura continentiæ, humilitatis, doctrinæ, orationis, uoluntariæ paupertatis, & cæterarum uirtutum merita, in tantum erat timori Domini ſubditus, in tãtum nouiſſimorum ſuorum in omnibus operibus ſuis memor, ut ſicut mihi quidã frater, de ijs qui me in ſcripturis diuinis erudiebant, & erat in monaſterio ac magiſterio illius educatus, uocabulo Trumbert, referre ſolebat: ſi fortè legente eo uel aliud quid agẽte, repentè flatus uenti maior aſſurgeret: continuò miſericordiam Domini inuocaret, & eam generi humano propiciari rogaret: ſi autẽ uiolentior aura inſiſteret, iam clauſo codice procideret in faciem, atq; obnixius orationi incumberet: at ſi procella fortior aut nimbus perurgeret, uel etiam coruſci ac tonitrua terras & aera terrerent, tunc ueniens ad eccleſiam ſolicitus orationibus ac pſalmis, donec ſerenitas aeris rediret, fixa mente uacaret. Cumq; interrogaretur à ſuis, quare hoc faceret: reſpondebat, Non legiſtis: Quia intonuit de cœlo Dominus, & altiſſimus dedit uocem ſuam. Miſit ſagittas ſuas, & diſſipauit eos: fulgura multiplicauit, & conturbauit eos. Mouet enim aera Dominus, uentos excitat, iaculatur fulgura, de cœlo intonat, ut terrigenas ad timendum ſe ſuſcitet, ut corda eorum in memoriam futuri iudicij reuocet, ut ſuperbiam eorum diſſipet, & conturbet audaciam, reducto ad mentem tremendo illo tempore, quando ipſe cœlis ac terris ardentibus uenturus eſt in nubibus cum poteſtate magna ac maieſtate, ad iudicandos uiuos ac mortuos. Propter quod, inquit, oportet nos admonitioni eius cœleſti debito cum timore & amore reſpondere, ut quotiens aere commoto, manum quaſi ad feriendum minitans erexerit, nec adhuc tamen percutit, mox imploremus eius miſericordiã, & diſcuſsis penetralibus cordis noſtri, atque expurgatis uitiorum ruderibus, ſoliciti ne unquam percuti mereamur, agamus. Conuenit autem reuelationi & relationi præfati fratris de obitu huius antiſtitis etiam ſermo reuerendiſsimi patris Ecgberti, de quo ſuprà diximus, qui dudum cum eodem Ceadda adoleſcente & ipſe adoleſcẽs in Hybernia monachicam in orationibus & continentia & meditatione diuinarum ſcripturarum uitam ſedulus agebat. Sed illo poſtmodũ in patriam reuerſo, ipſe peregrinus pro Domino uſq; ad finem uitæ permanſit. Cum ergo ueniret ad eum longo pòſt tempore gratia uiſitationis de Britannia uir ſanctiſsimus & continentiſsimus, uocabulo Higbald, qui erat abbas in prouincia Lindiſsi, & ut ſanctos decebat, de uita patrum priorum ſermonem facerent, atque hanc æmulari gauderent, interuenit mentio reuerendiſsimi antiſtitis Ceadda: dixitq; Ecgbert, Scio hominem in hac inſula adhuc in carne manentem, qui quum uir ille de mundo trãſiret, uidit animam Ceddi fratris ipſius cum agmine angelorũ deſcendẽtium de cœlo, & aſſumpta ſecum anima eius ad cœleſtia regna redire. Quod utrum de ſe, an de alio aliquo diceret, nobis manet incertum: dum tamen hoc tantus uir dixit, quia uerum ſit, eſſe non poſsit incertum. Obijt autem Ceadda ſexto die nonarum Martiarum, & ſepultus eſt quidem primò iuxta eccleſiam ſanctæ Mariæ, ſed poſtmodum ibidem conſtructa eccleſia beatiſsimi principis apoſtolorum Petri, in eandem ſunt eius oſſa translata: in quo utroque loco ad indicium uirtutis illius ſolent crebra ſanitatum miracula operari. Denique nuper phreneticus quidam, dum per cuncta errando diſcurreret, deuenit ibi ueſpere, neſcientibus ſiue nõ curantibus loci cuſtodibus, & ibi tota nocte requieſcẽs, manè ſanato ſenſu egreſſus, mirantibus & gaudentibus cunctis, quòd idem ibi ſanitatẽ Domino largiente conſequeretur, oſtendit. Eſt autem locus ſepulchri tumba lignea in modum domunculi facta coopertus, habens foramen in pariete, per quod ſolẽt hi, qui cauſa deuotionis illò adueniũt, manum ſuam immittere, ac partem pulueris inde aſſumere: quam cùm in aquas miſerint, atque has infirmantibus iumentis ſiue hominibus guſtandas dederint, mox infirmitatis ablata moleſtia ad cupitæ ſoſpitatis gaudia redeunt. In cuius locum ordinauit Theodorus Vuinfridum uirum bonum & modeſtum, qui ſicut prædeceſſores eius prouincijs Merciorum & Mediterraneorum Anglorum, & Lindisfarorũ epiſcopatus officio pręeſſet: in quibus cũctis Vulfhere (qui adhuc ſupererat) ſceptrũ regni tenebat. Erat autem Vuinfridus de clero eius cui ipſe ſucceſſerat antiſtitis, & diaconatus officio ſub eo non pauco tempore fungebatur.





*Vt Colmanus epiſcopus relicta Britannia duo monaſteria in Scotia: unum Scotis, alterum Anglis, quos ſecum adduxerat, fecerit.* Caput IIII.

INterea Colmanus qui de Scotia erat epiſcopus, relinquens Britanniã tulit ſecum omnes quos in Lindisfarorum inſula congregauerat Scotos: ſed & de gente Anglorum uiros circiter triginta, qui utriq; monachicæ conuerſationis erãt ſtudijs imbuti. Et relictis in eccleſia ſua aliquot fratribus, primò uenit ad inſulam Hu, unde erat ad prædicandum uerbum Dei Anglorum genti deſtinatus. Deinde ſeceſsit ad inſulam quandam paruam, quę ad occidentalem plagam ab Hybernia procul ſecreta ſermone Stotico Inhisbouinde, id eſt, inſula uitulæ albæ nuncupatur. In hanc ergo perueniens conſtruxit monaſterium, & monachos inibi, quos de utraque natione collectos adduxerat, collocauit: qui cum inuicem concordare non poſſent, eo quòd Scoti tempore æſtatis quo fruges erãt colligendæ, relicto monaſterio per nota ſibi loca diſperſi uagarentur: at uerò hyeme ſuccedẽte redirent, & his quæ Angli præparauerant, communiter uti deſiderabant, quæſiuit Colmãnus huic diſſenſioni remedium, & circumiens omnia propè uel longè, inuenit locum in Hybernia inſula aptum monaſterio conſtruendo, qui lingua Scotorũ Magio nominatur: emitq; partem eius non grandem ad conſtruendum ibi monaſterium à comite ad cuius poſſeſsionem pertinebat, ea conditione addita, ut pro ipſo etiam, qui eis locum commodaret, conſiſtentes ibi monachi Domino preces offerrent. Et cõſtructo ſtatim monaſterio, iuuante etiam comite & uicinis omnibus, Anglos ibidem collocauit, relictis in præfata inſula Scotis. Quod uidelicet monaſterium uſq; hodie ab Anglis tenetur incolis: ipſum namq; eſt quod nunc grande de modico effectum Iniugeo conſuetè uocatur: & conuerſis iamdudum ad meliora inſtituta omnibus, egregium examen continet monachorum, qui de prouincia Anglorum ibidem collecti, ad exemplum uenerabiliũ patrum ſub regula & abbate canonico in magna cõtinẽtia & ſynceritate proprio labore manuum uiuũt.

*De morte Oſuui & Ecgberti regum, & de ſynodo facta ad locum Herudford, cui præſidebat archiepiſcopus Theodorus.* Caput V.

ANno Dominicæ incarnationis ſexcenteſimo ſeptuageſimo, qui eſt annus ſecundus ex quo in Britanniam uenit Theodorus, Oſuui rex Nordan Humbrorum, preſſus eſt infirmitate, qua & mortuus eſt, anno ætatis ſuæ 58. qui in tantum eo tempore tenebatur amore Romanæ & apoſtolicæ inſtitutionis, ut ſi ab infirmitate ſaluaretur, etiam Romam uenire, ibiq; ad loca ſancta uitam finire diſponeret, Vuilfridumq; epiſcopum ducem ſibi itineris fieri, promiſſa non parua pecuniarũ donatione rogaret: qui defunctus die decima quinta Kalendarũ Martiarum Ecgfridum filium regni hæredem reliquit: cuius anno regni tertio Theodorus cogit concilium epiſcoporum, unà cum eis, qui canonica patrum ſtatuta diligerent & noſſent, magiſtris eccleſiæ pluribus: quibus pariter congregatis, diligenter ea quæ unitati pacis eccleſiaſticæ congruerent, eo quo pontificem decebat animo, cœpit obſeruanda docere. cuius ſynodicæ actionis huiuſmodi textus eſt:

In nomine Domini Dei & ſaluatoris noſtri Ieſu Chriſti regnante in perpetuum, ac gubernante Eccleſiam ſuam eodem Domino noſtro Ieſu Chriſto, placuit conuenire nos iuxta morem canonum uenerabilium tractaturos de neceſſarijs Eccleſię negocijs. Conuenimus autem die 24. menſis Septembris, indictione prima, in loco qui dicitur Herudford. Ego quidẽ Theodorus quãuis indignus ab Apoſtolica ſede deſtinatus Dorouernenſis eccleſiæ epiſcopus, & conſacerdos ac frater noſter reuerendiſsimus Biſi orientalium Anglorum epiſcopus, quibus etiam frater & conſacerdos noſter Vuilfridus Nordan Humbrorũ gentis epiſcopus per proprios legatarios affuit. Affuerunt & fratres ac conſacerdotes noſtri Putta epiſcopus Caſtelli Cantuariorum, quod dicitur Rotſcheſter, Leutherius epiſcopus Occidentalium Saxonum, Vuinfridus epiſcopus prouinciæ Merciorum. Cumq; in unum conuenientes iuxta ordinem quiſque ſuum reſediſſemus, Rogo, inquam, dilectiſsimi fratres propter timorem & amorem redemptoris noſtri, ut in commune omnes pro noſtra fide tractemus, ut quęque decreta ac diffinita ſunt à ſanctis ac probabilibus patribus, incorruptè ab omnibus nobis ſeruentur. Hæc & alia quàm plura, quæ ad charitatem pertinebant, unitatemq; eccleſiæ conſeruandam, proſecutus ſum. Cumq; expleſſem prolocutionẽ, interrogaui unumquemq; eorum per ordinem, ſi conſentirẽt, ea quæ à patribus canonicè ſunt antiquitus decreta, cuſtodire. Ad quod omnes conſacerdotes noſtri reſpondentes dixerunt: Optimè omnibus placet, quæque definierunt ſanctorum canones patrum, nos quoque omnes alacri animo libentiſsimè ſeruare. Quibus ſtatim protuli eundem librum canonum, & ex eodem libro decem capitula, quæ per loca notaueram: quia maximè nobis neceſſaria ſciebã, illis coram oſtendi, & ut hęc diligentius ab omnibus ſuſciperentur, rogaui.

Primum capitulum, ut ſanctum diem paſchę in commune omnes ſeruemus Dominica poſt decimamquartam lunam primi menſis. Secundum, ut nullus epiſcoporum parochiã alterius inuadat, ſed contentus ſit gubernatione creditæ ſibi plebis. Tertium, ut quæque monaſteria Deo conſecrata nulli epiſcoporum liceat ea in aliquo inquietare, nec quicquam de eorum rebus uiolẽter abſtrahere. Quartum, ut epiſcopi, monachi nõ migrent de loco ad locum, hoc eſt, de monaſterio ad monaſterium, niſi per dimiſsionẽ proprij abbatis: ſed in ea permaneant obedientia, quã tempore ſuæ conuerſionis promiſerunt. Quintum, ut nullus clericorum relin

quẽs proprium epiſcopum paſsim quolibet diſcurrat, neqꝫ alicubi ueniens abſqꝫ commendatitijs literis ſui præſulis ſuſcipiatur. Quòd ſi ſemel ſuſceptus eſt, & noluerit inuitatus redire, & ſuſceptor & is qui ſuſceptus eſt excommunicationi ſubiacebit. Sextum, ut epiſcopi atqꝫ clerici peregrini contenti ſint hoſpitalitatis munere oblato, nulliqꝫ eorum liceat ullum officiũ ſacerdotale abſqꝫ permiſſu epiſcopi, in cuius parochia eſſe cognoſcitur, agere. Septimum, ut bis in anno ſynodus congregetur: ſed quia diuerſæ cauſæ impediunt, placuit omnibus in cõmune, ut Kalendis Auguſti in loco qui appellatur Cloſeshooh, ſemel in anno cõgregetur. Octauum, ut nullus epiſcoporum ſe præferat alteri per ambitionem, ſed omnes agnoſcant tempus & ordinem conſecrationis ſuæ. Nonum capitulum in commune tractatum eſt, ut plures epiſcopi creſcente numero fidelium augerentur: ſed de hac re ad præſens ſilemus. Decimum pro coniugijs, ut nulli liceat niſi legitimum habere cõnubium. Nullus inceſtum faciat, nullus coniugem propriam, niſi ut ſanctum euangeliũ docet, fornicationis cauſa relinquat. Quòd ſi quiſquam propriam expulerit coniugem legitimo ſibi matrimonio cõiunctam, ſi Chriſtianus eſſe rectè uoluerit, nulli alteri copuletur: ſed ita permaneat, aut propriȩ reconcilietur cõiugi. His itaqꝫ capitulis in commune tractatis ac diffinitis, ut nullum deinceps ab aliquo noſtrũ oriatur contentionis ſcandalum, aut alia præ alijs diuulgarentur, placuit ut quæque diffinita ſunt, unuſquiſque noſtrum manus propriȩ ſubſcriptione confirmaret. Quam ſententiam diffinitionis noſtræ Titillo notario ſcribendam dictaui, actum in menſe & indictione ſuprà ſcriptis. Quiſquis igitur contra hanc ſententiam iuxta decreta canonum, noſtra etiam conſenſione ac ſubſcriptione manus noſtræ confirmatam, quoquo modo uenire, eamqꝫ infringere tentauerit, nouerit ſe ab omni officio ſacerdotali & noſtra ſocietate ſeparatum. Diuina nos gratia in unitate ſanctæ Eccleſiæ ſuæ uiuentes cuſtodiat incolumes. Facta autem eſt hæc ſynodus anno ab incarnatione Domini ſexcenteſimo ſeptuageſimno tertio, quo anno rex Cantuariorum Ecgbert menſe Iulio obierat, ſuccedente in regnum fratre Lothere, quod ipſe annos undecim & menſes ſeptem tenuit. Biſi autem epiſcopus orientalium Anglorum, qui in præfata ſynodo fuiſſe perhibetur, ipſe erat ſucceſſor Bonifacij, cuius ſuprà meminimus, uir multȩ ſanctitatis & religionis. Nam Bonifacio poſt decem & ſeptem annos epiſcopatus ſui defuncto, epiſcopus pro eo Theodoro ordinante factus eſt. Quo adhuc ſuperſtite, ſed grauiſsima infirmitate ab adminiſtrando epiſcopatu prohibito, duo ſunt pro illo Aecci & Baduuine electi & conſecrati epiſcopi: ex quo uſqꝫ hodie prouincia illa duos habere ſolet epiſcopos.

*Vt depoſito Vinfrido Sexuulſus epiſcopatum eius acceperit, & Earcanuualdus orientalibus Saxonibus ſit epiſcopus datus.* Caput VI.

NOn multo pòſt hæc elapſo tempore offenſus à Vinfrido Merciorum epiſcopo per meritum cuiuſdam inobedientiæ, Theodorus archiepiſcopus, depoſuit eum de epiſcopatu, poſt annos accepti epiſcopatus non multos, & in loco eius ordinauit epiſcopum Sexuulſum, qui erat conſtructor & abbas monaſterij, quod dicitur Medeshãſtedi, in regione Giruiorum. Depoſitus uerò Vinfridus redijt ad monaſterium ſuum, quod dicitur Aetbearne, ibiqꝫ in optima cõuerſatione uitam finiuit. Tunc etiam orientalibus Saxonibus, quibus eo tẽpore præfuerunt Sebbe & Sighere, quorum ſuprà meminimus, Earconuualdum conſtituit epiſcopum in ciuitate Londonia: cuius uidelicet uiri in epiſcopatu & ante epiſcopatum uita & conuerſatio fertur fuiſſe ſanctiſsima, ſicut etiam nunc cœleſtium ſigna uirtutum indicio ſunt. Etenim uſqꝫ hodie feretrum eius caballarium, quo infirmus uehi ſolebat, ſeruatum à diſcipulis eius, multos febricitantes, uel alio quolibet incommodo feſſos ſanare non deſiſtit. Non ſolum autem ſuppoſiti eidem feretro, uel appoſiti curantur ægroti, ſed & aſſulæ de illo abſciſæ atque ad infirmos allatæ, citam illis ſolent afferre medelam. Hic ſanè priuſquã epiſcopus factus eſſet, duo præclara monaſteria, unum ſibi, alterum ſorori ſuæ Edilburgæ cõſtruxerat, quod utrumqꝫ regularibus diſciplinis optimè inſtituerat. Sibi quidem in regione Suthriona iuxta fluuium Tamyſam, in loco qui uocatur Ceoroteſei, id eſt, Ceoroti inſula: ſorori autem in orientalium Saxonum prouincia, in loco qui nuncupatur in Berecingum, in quo ipſa Deo deuotarum mater ac nutrix poſſet exiſtere fœminarũ. Quæ ſuſcepto regimine monaſterij cõdignã ſe in omnibus epiſcopo fratre & ipſa, rectè uiuendo & ſubiectis regulariter ac piè cõſulendo prȩbuit, ut etiam cœleſtia indicio fuere miracula.

*Vt in monaſterio Berecingenſi, ubi corpora ſanctimonialium fœminarum poni deberẽt, cœleſti ſit luce monſtratum.* Cap. VII.

IN hoc etenim monaſterio plura uirtutũ ſunt ſigna patrata, quȩ & ad memoriam ȩdificationemqꝫ ſequentiũ, ab his qui nouere, deſcripta habentur à multis, è quibus & nos aliqua hiſtoriæ noſtræ eccleſiaſticȩ inſerere curauimus. Cũ tẽpeſtas ſæpè dictȩ cladis latè cũcta depopulãs, etiã partẽ monaſterij huius illã, qua uiri tenebãtur, inuaſiſſet, & paſsim quotidie raperẽtur ad Dominũ, ſolicita mater cõgregationis, qua hora etiã monaſterij partẽ, qua ancillarũ Dei caterua à uirorũ erat ſecreta contubernio, eadẽ plaga tãgeret, crebrius in cõuentu ſororũ perquirere cœpit, quo loco in monaſterio corpora ſua poni, & cœmiteriũ fieri uellẽt, cũ eas eodẽ quo cæteros exterminio raptari è mũdo cõtingeret. Cũqꝫ nil certi reſpõſi, tametſi ſepius inquirens,





rens, à ſororibus accepiſſet, accepit ipſa cum omnibus certiſsimũ ſupernæ prouiſionis reſponſum. Cum enim nocte quadam, expletis matutinæ laudis pſalmodijs, egreſſæ de oratorio famulæ Chriſti ad ſepulchra fratrum, qui eas ex hac luce præceſſerant, ſolitas Domino laudes decantarent: ecce ſubitò lux emiſſa cœlitus ueluti linteum magnum uenit ſuper omnes, tantoqꝫ eas ſtupore perculit, ut etiã canticũ quod canebant tremefactæ intermitterent. Ipſe autẽ ſplendor emiſſæ lucis, in cuius comparatione ſol meridianus uideri poſſet obſcurus, non multo pòſt illo eleuatus de loco in meridianã monaſterij partem, hoc eſt, ad Occidentem oratorij receſsit, ibiqꝫ aliquandiu remoratus, & ea loca operiens, ſic uidentibus cunctis ad cœli ſe alta ſubduxit, ut nulli eſſet dubium, quin ipſa lux quæ animas famularũ Chriſti eſſet ductura uel ſuſceptura in cœlis, etiam corporibus earum locum, in quo requietura, & diem reſurrectionis eſſent expectatura, monſtraret. Cuius radius lucis tantus extitit, ut quidam de fratribus ſenior, qui in ipſa hora in oratorio eorũ cũ alio iuniore poſitus fuerat, referret, quod manè ingreſsi per rimas oſtiorũ uel feneſtrarũ radij lucis, omnem diurni luminis uiderentur ſuperare fulgorem.

*Vt in eodem monaſterio puerulus moriens uirginem quæ ſe erat ſecutura, uocauerit: utqꝫ alia de corpore egreſſura iã particulam futuræ lucis aſpexerit.* Cap. VIII.

ERat in eodem monaſterio puer trium circiter nõ amplius annorum, Eſica nomine, qui propter infantilem adhuc ætatem in uirginum Deo dedicatarũ ſolebat cella nutriri, ibiqꝫ meditari. Hic prȩfata peſtilentia tactus, ubi ad extrema peruenit, clamauit ter, unam de cõſecratis Chriſti uirginibus proprio eã nomine quaſi præſentẽ alloquens, Eadgit Eadgit Eadgit: & ſic terminans temporalem uitam intrauit æternam. At uirgo illa quam moriẽs uocabat, mox in loco quo erat eadem attacta infirmitate, ipſo quo uocata eſt die de hac luce ſubtracta, & illũ qui ſe uocauit ad regnũ cœleſte ſecuta eſt. Itẽ quædam ex eiſdem ancillis Dei cum præfato tacta morbo atqꝫ ad extrema eſſet perducta, cœpit ſubitò circa mediam noctẽ clamare his qui ſibi miniſtrabant, petens ut lucernam quȩ inibi accenſa erat, extinguerẽt. Quod cum frequenti uoce repeteret, nec tamen ei aliquis obtemperaret, ad extremũ intulit: Scio quòd me hæc inſana mente loqui arbitramini, ſed iam nunc non ita eſſe cognoſcite. Nam uerè dico uobis, quòd domum hanc tanta luce impletã eſſe perſpicio, ut ueſtra illa lucerna mihi omnibus modis eſſe uideatur obſcura. Et quũ ne adhuc quidem illi talia loquenti quiſquam reſponderet, uel aſſenſum præberet, iterum dixit, Accendite ergo lucernam illam quamdiu uultis: attamẽ ſcitote, quia non eſt mea lux. nam mea lux, incipiente aurora mihi aduentura eſt. Cœpitqꝫ narrare, quia apparuerit ſibi uir Dei quidam, qui eodem anno fuerat defunctus, dicens, quòd adueniente diluculo perennem eſſet exitura ad lucem. Cuius ueritas uiſionis ita circa exortum diei puellæ morte probata eſt.

*Quæ ſint oſtenſa cœlitus ſigna, cum & ipſa mater cõgregationis illius è mundo tranſiret.* Cap. IX.

CVm aũt & ipſa mater pia Deo deuotæ congregationis Edilburga eſſet rapiẽda de mũdo, apparuit uiſio miranda cuidã de ſororibus, cui nomẽ erat Thorithgid, quæ multis iam annis in eodem monaſterio cõmorata, & ipſa ſemper in omni humilitate ac ſinceritate Deo ſeruire ſatagebat, & adiutrix diſciplinæ regularis eidem matri exiſtere, minores docendo uel caſtigando curabat. Cuius ut uirtus iuxta apoſtolũ in infirmitate perficeretur, tacta eſt repentè grauiſsimo corporis morbo, & per annos nouem pia redemptoris noſtri prouiſione multũ fatigata, uidelicet ut quicquid in ea uitij ſordidantis inter uirtutes per ignorantiam uel incuriam diutinè reſediſſet, totum hoc caminus diutinæ tribulationis excoqueret. Hæc autẽ quadã nocte, incipiente crepuſculo, egreſſa de cubiculo quo manebat, uidit manifeſtè quaſi corpus hominis, quod eſſet ſole clarius ſindone inuolutum, in ſublime ferri, elatum uidelicet de domo, in qua ſorores pauſare ſolebant. Cumqꝫ diligentius intueretur quo trahente leuaretur ſurſum, hȩc quam contemplabatur ſpecies corporis glorioſi, uidit quòd quaſi funibus auro clarioribus in ſuperna tolleretur, donec cœlis patentibus introducta amplius ab illa uideri non potuit. Nec dubium remanſit cogitanti de uiſione, quin aliquis de illa congregatione citius eſſet moriturus, cuius anima per bona quȩ feciſſet opera, quaſi per funes aureos leuanda eſſet ad cœlos. Quod reuera ita contigit. Nam non multis interpoſitis diebus, Deo dilecta mater congregationis ipſius ergaſtulo carnis educta eſt, cuius talẽ fuiſſe cõſtat uitã, ut nemo qui eam nouerit, dubitare debeat, quin ei exeunti de hac uita, cœleſtis patriæ patuerit ingreſſus.

In eodem quoqꝫ monaſterio quædã erat fœmina ſanctimonialis, & ad ſeculi huius dignitatem nobilis, & in amore futuri ſeculi nobilior, quæ ita multis iam annis omni corporis fuerat officio deſtituta, ut ne unum quidẽ mouere ipſa membrũ ualeret. Hæc ubi corpus abbatiſſæ uenerabilis in eccleſiã delatum, donec ſepulturæ daretur, cognouit, poſtulauit ſe afferri illò, & in modum orãtium ad illud adinclinari. Quod dum fieret, quaſi uiuentem allocuta rogauit, ut apud miſericordiam pij conditoris impetraret ſe à tantis tamqꝫ diutinis cruciatibus abſolui. nec multo tardius exaudita eſt: nam poſt dies duodecim & ipſa educta ex carne temporales afflictiones æterna mercede mutauit. Cùm uerò præfata Chriſti famula Thorithgid tres adhuc annos poſt obitũ Domini in hac uita teneretur, in tãtum ea, quã prædiximus, infirmitate decocta eſt, ut uix oſsibus hæreret, & ad ultimũ cũ tẽpus iã reſolutionis eius inſtaret, nõ ſolùm membrorum cæterorũ, ſed & linguæ motu caruit,

ruit. Quod dum tribus diebus ac totidem noctibus ageretur, ſubitò uiſione ſpiritali recreata os & oculos aperuit, aſpiciensq; in cœlum, ſic ad eam quam intuebatur uiſionem cœpit loqui: Gratus eſt mihi multum aduentus tuus, & bene ueniſti. Et hoc dicto parumper reticuit, quaſi reſponſum eius quem uidebat, & cui loquebatur, expectans. Rurſumq; quaſi leuiter indignata ſubiunxit, Nequaquam hoc læta ferre queo. Rurſumq; modicum ſilens tertiò dixit: Si nullatenus hodie fieri poteſt, obſecro ne ſit longum ſpacium in medio. Et ſicut antea parum ſilens, ita ſermonem concluſit: Si omnimodis ita definitum eſt, neque hanc ſententiam licet immutari, obſecro ne amplius quàm hæc ſolummodo proxima nox interſit. Quibus dictis interrogata à circumſedentibus, cum quo loqueretur: Cum chariſsima, inquit, mea matre Edilburga. Ex quo intellexere, quòd ipſa ei tempus tranſmigrationis ſuæ proximum nunciare ueniſſet. Nam & ita ut rogabat, tranſacta una die ac nocte, ſoluta carnis ſimul & infirmitatis uinculis ad æterna gaudia ſalutis intrauit.

*Vt ad cœmiterium eiuſdem monaſterij orans cæca lumen receperit.* Cap. X.

SVcceſsit autem Edelburgæ in officio abbatiſſæ deuota Deo famula nomine Hildilhid, multisq; annis, id eſt, uſq; ad ultimam ſenectutem, eidem monaſterio ſtrenuiſsimè, & in obſeruantia diſciplinæ regularis, & in earum quę ad communes uſus pertinent rerum prouidentia, præfuit: cui quum propter anguſtiam loci, in quo monaſterium conſtructum eſt, placuiſſet, ut oſſa famulorum famularumq; Chriſti, quæ ibidem fuerant tumulata, tollerentur, & tranſferrentur omnia in eccleſiam beatæ Dei genitricis, unoq; conderentur in loco: quotiens ibi claritas luminis cœleſtis, quanta ſæpe fragrantia mirandi apparuerint odoris, quæ alia ſint ſigna oſtenſa, in ipſo libro de quo excerpſimus, hæc quiſquis legerit, inueniet. Sanè nullatenus prætereundum arbitror miraculum ſanitatis, quod ad ipſum cœmiterium Deo dicatæ congregationis factum idem libellus refert. Erat quippe in proximo comes quidam, cuius uxor ingruente oculis caligine ſubitò tantum per dies eadem moleſtia crebreſcente grauata eſt, ut ne minimam quidem lucis alicuius poſſet particulam uidere. cui dum aliquandiu cæcitatis huius nocte clauſa maneret, repentè uenit in mentem, quia ſi ad monaſterium delata uirginum ſanctimonialium ad reliquias ſanctorũ peteret, perditam poſſet recipere lucem. Nec diſtulit quin continuò quod mente conceperat, expleret. Perducta namque à puellis ſuis in monaſterium (quia in proximo erat) ubi fidem ſuæ ſanationis integram ſe habere profeſſa eſt, introducta eſt in cœmiterium: & cùm ibidem diutius flexis genibus oraret, nihilo tardius meruit exaudiri. Nã exurgens ab oratione priuſquã exiret de loco, petitæ lucis gratiã recepit, & quę famularum manibus adducta fuerat, ipſa libero pedum inceſſu domum læta reuerſa eſt: quaſi ad hoc ſolummodo lucem amitteret temporalem, ut quanta ſanctos Chriſti lux in cœlis, quæ gratia uirtutis poſsideret, ſua ſanatione demonſtraret.

*Vt rex eiuſdem prouinciæ Sebbi in monachica conuerſatione uitam finierit.* Caput XI.

EO tempore præerat regno orientalium Saxonum, ut idem etiã libellus docet, uir multum Deo deuotus nomine Sebbi, cuius ſuprà meminimus. Erat enim religioſis actibus, crebris precibus, pijs eleemoſynarũ fructibus plurimum intẽtus, uitam priuatam & monachicã cunctis regni diuitijs & honoribus præferens, quam & olim iam, ſi non obſtinatus coniugis animus diuortiũ negaret, relicto regno ſubijſſet. Vnde & multis uiſum (ut ſæpè dictum eſt) quia talis animi uirum epiſcopũ magis, quàm regem ordinari deceret. Cumq; annos triginta in regno, miles regni cœleſtis exegiſſet, correptus eſt corporis infirmitate permaxima, qua & mortuus eſt: admonuitq; coniugem, ut uel tunc diuino ſe ſeruitio pariter manciparent, cũ amplius pariter mundum amplecti, uel potius mundo ſeruire non poſſent. Quod dum ægrè impetraret ab ea, uenit ad antiſtitem Londoniæ ciuitatis, uocabulo Valdhere, qui Erconualdo ſucceſſerat, & per eius benedictionem habitum religionis, quem diu deſiderarat, accepit. Attulit autẽ eidem & ſummam pecuniæ non paruam pauperibus erogandam, nil omnimodis ſibi reſeruans, ſed pauper ſpiritu magis propter regnum cœlorum manere deſiderans. Qui cùm ingraueſcẽte præfata ægritudine diẽ ſibi mortis imminere ſenſiſſet, timere cœpit homo animi regalis, ne ad mortem ueniens tanto affectus dolore aliquid indignum ſuæ perſonæ uel ore proferret, uel aliorum motu gereret mẽbrorum. Vnde accito ad ſe præfatæ urbis Londoniæ in qua tunc ipſe manebat epiſcopo, rogauit ne plures eo moriente quàm ipſe epiſcopus, & duo ſui miniſtri adeſſent. Quod dum epiſcopus libẽtiſsimè ſe facturum promitteret, non multo pòſt idem uir Dei, cùm membra ſopori dediſſet, uidit uiſionem cõſolatoriam, quæ omnem ei anxietatem memoratæ ſolicitudinis auferret: inſuper & qua die eſſet hanc uitam terminaturus, oſtenderet. Vidit enim (ut pòſt ipſe referebat) tres ad ſe ueniſſe uiros claro indutos habitu, quorum unus reſidens ante lectulum eius, ſtantibus his qui ſecum aduenerunt comitibus, & interrogantibus de ſtatu eius quẽ languentem uiſitare uenerunt, dixit, quòd anima eius & ſine ullo dolore, & cũ magno lucis ſplendore eſſet egreſſura de corpore. Sed & tertium exinde diem quo eſſet moriturus, inſinuauit. Quod ita utrunque (ut ex uiſione didicit) completum eſt. Nam die dehinc tertio completa hora nona, ſubitò quaſi leuiter obdormiens, ſine ullo ſenſu doloris emiſit ſpiritum. Cuius corpori



pori tumulando præparauerant ſarcophagum lapideum: ſed cùm huic corpus imponere cœpiſſent, inuenerũt hoc menſura palmi longius eſſe ſarcophago. Dolantes ergo lapidẽ in quantum ualebant, addiderũt longitudini ſarcophagi quaſi duorum menſuram digitorum, ſed nec ſic quidem corpus capiebat. Vnde facta difficultate tumulandi, cogitabant aut alium quærere loculũ, aut ipſum corpus ſi poſſent in genibus inflectendo breuiare, donec ipſo loculo caperetur. Sed mira res, & non niſi cœlitus facta, ne aliquid horũ fieri deberet, prohibuit. Nam ſubitò aſtante epiſcopo & filio regis eiuſdem, ac monacho Sighardo, qui poſt illum cum fratre ſuo Fredo regnauit, & turba hominum non modica, inuentum eſt ſarcophagum illud congruæ lõgitudinis ad menſurã corporis, adeò ut à parte capitis etiã ceruical poſſet interponi: à parte uerò pedũ menſura quatuor digitorũ in ſarcophago corpus excederet. Conditus eſt autem in eccleſia beati doctoris gentiũ, cuius edoctus monitis cœleſtia ſpirare didicerat.

*Vt epiſcopatum Occidentalium Saxonum pro Eleutherio Heddi, epiſcopatũ Rhoſenſis eccleſiæ pro Putta Quichelmũ, & pro ipſo Gebmundum acceperit, & qui tunc Nordan Humbrorum fuerint epiſcopi.* Caput XI.

QVartus Occidẽtalium Saxonum antiſtes Eleutherius fuit: ſiquidẽ primus Birinus, ſecundus Agilbertus, tertius extitit Vini. Cũq; mortuus eſſet Conuualch, quo regnante idem Eleutherius epiſcopus factus eſt, acceperunt ſubreguli regnũ gentis, & diuiſum inter ſe tenuerunt annis circiter decem: ipſisq; regnantibus defunctus eſt ille, & epiſcopatu functus, Hæddi pro eo conſecratus eſt à Theodoro in ciuitate Londonia, cuius epiſcopatus tempore deuictis atq; amotis ſubregulis Ceadualla ſuſcepit imperium: & cùm duobus annis hoc tenuiſſet, tandem ſuperni regni amore compunctus reliquit, eodem adhuc præſule eccleſiam gubernante: ac Romam abiens ibi uitam finiuit, ut in ſequentibus latius dicendum eſt. Anno autem Dominicæ incarnationis ſexcenteſimo ſeptuageſimoſeptimo, cũ Edilred rex Merciorum adducto maligno exercitu Cantiam uaſtaret, & eccleſias ac monaſteria ſine reſpectu pietatis uel diuini timoris fœdaret, ciuitatem quoq; Rhofi, in qua erat Putta epiſcopus, quãuis eo tempore abſens, communi clade abſumpſit. Quod ille ubi comperit, eccleſiam uidelicet ſuam rebus ablatis omnibus depopulatã, diuertit ad Sexuulfum Merciorum antiſtitem, & accepta ab eo poſſeſsione eccleſiæ cuiuſdam, & agelli non grandis, ibidem in pace uitam finiuit, nil omnino de reſtaurando epiſcopatu ſuo agens: quia (ſicut & ſuprà diximus) magis in eccleſiaſticis quàm in mũdanis rebus erat induſtrius: ſed in illo ſolũ eccleſia Deo ſeruiens, & ubicũq; rogabatur ad docenda eccleſiaſtica carmina diuertẽs. Pro quo Theodorus in ciuitate Rhofi Vuilhelmũ conſecrauit epiſcopũ, ſed illo pòſt non multũ temporis præ inopia rerũ ab epiſcopatu decedente, atq; ad alia loca ſecedente, Gebmundũ pro eo ſubſtituit antiſtitẽ. Anno Dominicæ incarnationis ſexcenteſimo ſeptuageſimooctauo, qui eſt annus imperij regis Ecgfridi octauus, apparuit mẽſe Auguſto ſtella quę dicitur cometa, & tribus menſibus permanẽs, matutinis horis oriebatur, excelſam radiantis flammæ quaſi columnã præferens. Quo etiã anno orta inter ipſum regem Ecgfridum & reuerendiſsimũ antiſtitem Vuilfridum diſſenſione, pulſus eſt idem antiſtes à ſede ſui epiſcopatus, & duo in locũ eius ſubſtituti epiſcopi, qui Nordan Humbrorũ genti præeſſent: Boſa uidelicet qui Deirorũ, & Eata qui Berniciorũ prouinciã gubernaret: hic in ciuitate Eboraci, ille in Haguſtaldenſi ſiue Lindisfarnenſi eccleſia cathedram habens epiſcopalem: ambo de monachorum collegio in epiſcopatus gradũ adſciti. Cũ quibus & Eadhedus in prouincia Lindisfarorũ, quã nuperrimè rex Ecgfridus ſuperato in bello, & fugato Vulfhere obtinuerat, ordinatur epiſcopus: & hunc primum eadem prouincia accepit propriũ pręſulem, ſecundum Ediluinũ, tertium Eadgarum, quartũ Cimberthum, quẽ in pręſenti habet. Habebat enim ante Eadhedũ antiſtitem Sexuulfum, qui etiam Merciorũ & Mediterraneorum Anglorum ſimul epiſcopus fuit: unde & expulſus de Lindiſsi, in illarũ prouinciarum regimine permanſit. Ordinati ſunt autem Eadhedus, Boſa, & Eata Eboraci ab archiepiſcopo Theodoro, qui etiam poſt tres abſceſsionis Vuilfridi annos, horũ numero duos addidit antiſtites, Tumbertũ ad eccleſiam Haguſtaldenſem, remanẽte Eata ad Lindisfarnenſem, & Trumuini ad prouinciam Pictorum, quę tunc temporis Anglorum erat imperio ſubiecta. Eadhedum de Lindiſsi reuerſum, eo quòd Edilredus prouinciam recepiſſet, Rhipenſi eccleſiæ præfecit.

*Vt Vuilfridus epiſcopus prouinciam Auſtralium Saxonum ad Chriſtum conuerterit.* Cap. XIII.

PVlſus eſt autem ab epiſcopatu ſuo Vuilfridus, & multa diu loca peruagatus Romam adijt, in Britanniam redijt. Etſi propter inimicitias memorati regis in patriam ſiue parochiam ſuam recipi non potuit, nõ tamen ab euangelizandi potuit miniſterio cohiberi: ſiquidem diuertens ad prouinciam Auſtralium Saxonum, quæ poſt Cantuarios ad Auſtrum & ad Occidentem uſq; ad Occidentales Saxones pertingit, habens terram familiarum ſeptem milium, & eo adhuc tempore paganis cultibus ſeruiebat, huic uerbum fidei & lauacrum ſalutis miniſtrabat. Erat aũt rex gentis illius Ediluualch nõ multo antè baptizatus in prouincia Merciorũ, præſente ac ſuggerẽte rege Vulfhere: à quo etiã egreſſus de fonte loco filij ſuſceptus eſt, in cuius ſignũ adoptiõis duas illi prouincias donauit, Vectã uidelicet inſulã, & Meanuarorũ prouinciã in gẽte Occidẽtaliũ Saxonũ. Itaq; epiſcopus,

pus, concedente, imò multum gaudente rege, primos prouincię duces ac milites ſacroſancto ſonte abluebat. Verũ presbyteri Eappa & Padda, & Bruchelin & Oidda, cæteram plebem uel tunc uel tempore ſequente baptizabant. Porrò regina nomine Ebba, in ſua inſula, id eſt, Vicciorum prouincia fuerat baptizata. Erat autem filia Eanfridi fratris Eanheri, qui ambo cum ſuo populo Chriſtiani fuere. Cæterùm tota prouincia Auſtralium Saxonum diuini nominis & fidei erat ignara. Erat autem ibi monachus quidam de natione Scotorum, uocabulo Dicul, habens monaſteriolum permodicum in loco qui uocatur Boſanham, ſyluis & mari circundatum, & in eo fratres quinq; ſiue ſex in humili & paupere uita Domino famulantes. Sed prouincialium nullus eorum uel uitam æmulari, uel prædicationem curabat audire. Euangelizans autem genti epiſcopus Vuilfridus, non ſolùm eam ab ærumna perpetuę damnationis, uerùm & à clade infanda temporalis interitus eripuit: ſiquidem tribus annis ante aduentum eius in prouinciam nulla illis in locis pluuia ceciderat: unde & fames acerbiſsima plebem inuadens, impia nece proſtrauit. Denique fertur, quia ſæpè quadraginta ſimul aut quinquaginta homines inedia macerati procederent ad præcipitiũ aliquod ſiue ripam maris, & iunctis miſerè manibus pariter omnes aut ruina perituri, aut fluctibus abſorbendi deciderent. Verùm ipſa die quo baptiſma fidei gens ſuſcepit illa, deſcendit pluuia ſerena & copioſa, refloruit terra, redijtq; uiridantibus aruis annus lætus & frugifer. Sicq; abiecta priſca ſuperſtitione, exufflata idololatria, cor omnium & caro omnium exultauerunt in Deum uiuum: intelligentes eum, qui uerus eſt Deus, & interioribus ſe bonis & exterioribus cœleſti gratia ditaſſe. Nam & antiſtes cùm ueniſſet in prouinciam, tantamq; ibi famis pœnam uideret, docuit eos piſcando uictum quærere. namq; mare & flumina eorum piſcibus abundabant: ſed piſcandi peritia genti nulla niſi ad anguillas tantum inerat. Collectis ergo undecunq; retibus anguillaribus homines, antiſtites miſerunt in mare, & diuina ſe iuuante gratia, mox cepere piſces diuerſi generis trecentos: quibus trifariam diuiſis, centum pauperibus dederunt, centum his à quibus retia acceperunt, centum in ſuos uſus habebant. Quo beneficio multum antiſtes cor omnium in ſuum diuertit amorem, & libentius eo prędicante cœleſtia ſperare cœperũt, cuius miniſterio temporalia bona ſumpſerunt. Quo tempore rex Ediluualch donauit reuerendiſsimo antiſtiti Vuilfrido terram octoginta ſeptem familiarum, ubi ſuos homines qui exules uagabantur, recipere poſſet, uocabulo Seoleſeu, quod dicitur Latinè Inſula uituli marini. Eſt autem locus ille undiq; mari circundatus, præter ab Occidente, unde habet ingreſſum amplitudinis quaſi iactus fundæ: qualis locus à Latinis peninſula, à Græcis ſolet Cherroneſos uocari. Hunc ergo locum cùm accepiſſet epiſcopus Vuilfridus, fundauit ibi monaſterium, ac regulari uita inſtituit, maximè ex his quos ſecum adduxerat fratribus, quod uſq; hodie ſucceſſores eius tenere noſcuntur. Nam ipſe illis in partibus annos quinq;, id eſt, uſq; ad mortem Ecgfridi regis meritò omnibus honorabilis, officiũ epiſcopatus & uerbo exercebat & opere. Et quoniã illi rex cum præfata loci poſſeſsione omnes quæ ibidẽ erãt facultates cũ agris & hominibus donauit, omnes fide Chriſti inſtitutos unda baptiſmatis abluit. Inter quos ſeruos & ancillas ducentos quinquaginta, quos omnes nõ ſolũ baptizãdo à ſeruitute dęmonica ſaluauit, ſed etiam libertatẽ donando humanæ iugo ſeruitutis abſoluit.

*Vt interceſsione Oſuualdi regis, peſtifera mortalitas ſit ſublata.* Cap. XIIII.

IN quo tunc monaſterio nõnulla cœleſtis gratiæ dona ſpiritualiter oſtenſa fuiſſe perhibẽt, utpote ubi nuper expulſa diaboli tyrannide Chriſtus iam regnare cœperat: è quibus unum quod mihi reuerendiſsimus antiſtes Acca ſæpius referre, & à fideliſsimis eiuſdem monaſterij fratribus ſibi reuelatum aſſerere ſolebat, memorię mandare commodum duximus. Eodem fermè tempore quo ipſa prouincia nomẽ Chriſti ſuſceperat, multas Britãnię prouincias mortalitas ſæua corripiebat: quæ cum pręfatũ quoque monaſterium, cui tunc regendo reuerendiſsimus ac religioſiſsimus Chriſti ſacerdos uocabulo Eappa præfuit, nutu diuinæ diſpenſationis attingeret, multiq; ſiue de his qui cum antiſtite illò uenerant, ſiue de illis qui de eadẽ prouincia Saxonum nuper ad fidem fuerant uocati, paſsim de hac uita raperentur, uiſum eſt fratribus triduanum ieiunium agere, & diuinam ſuppliciter obſecrare clemẽtiam, ut miſericordiam ſibi dignaretur impendere: ſiue periclitantes hoc morbo à præſenti morte liberaret, ſeu raptos è mundo à perpetua animæ damnatione ſeruaret. Erat tunc temporis in eodẽ monaſterio puerulus quidam de natione Saxonũ, nuper uocatus ad fidem, qui eadem tactus infirmitate, non pauco tempore recubans in lectulo iacebat. Cùm ergo ſecunda memorati ieiunij ac ſupplicationum dies ageretur, contigit fortè ipſum puerum hora fermè ſecunda diei in loco in quo æger iacebat ſolùm inueniri, cui diuina diſpenſatione ſubitò beatiſsimi apoſtolorum principes dignati ſunt apparere. Erat enim puer multum ſimplicis ac manſueti animi, ſynceraq; deuotione ſacramenta fidei quæ ſuſceperat, ſeruans. Salutantes ergo illum uerbis pijſsimis apoſtoli dicebant, Noli timere fili mortem, pro qua ſolicitus es: nos enim te hodierna die ad cœleſtia regna ſumus perducturi. Sed primùm expectare habes, donec miſſæ celebrentur, ac uiatico Dominici corporis ac ſanguinis accepto, ſic infirmitate ſimul & morte abſolutus ad æterna in cœlis gaudia ſubleueris. Clama ergo ad te presbyterum Eappan, & dicito illi, quia Dominus exaudiuit

preces



preces ueſtras & deuotionem, ac ieiunia propitius aſpexit, neq; aliquis de hoc monaſterio, ſiue de adiacentibus ei poſſeſsiunculis hac clade ultrà moriturus eſt: ſed omnes qui alicubi de ueſtris hac ægritudine laborant, reſurrecturi à languore ad priſtinam ſunt ſoſpitatem recuperandi, præter te ſolum, qui hodierna es die liberandus à morte, & ad uiſionem Domini Chriſti, cui fideliter ſeruiſti, perducendus in cœlum: quod diuina uobis miſericordia, per interceſsionem religioſi ac Deo dilecti regis Oſuualdi, qui quõdam genti Nordan Humbrorum, & regni temporalis auctoritate, & Chriſtianæ pietatis, quæ ad regnum perenne ducit, deuotione ſublimiter præfuit, cõferre dignata eſt. Hac etenim die idem rex ab infidelibus in bello corporaliter extinctus, mox ad ſempiterna animarum gaudia aſſumptus in cœlum, & electorum eſt ſociatus agminibus. Quærant in ſuis codicibus, in quibus defunctorum eſt adnotata depoſitio, & inuenient illum hac (ut diximus) die raptum eſſe de ſeculo. Celebrent ergo miſſas per cuncta monaſterij oratoria huius, ſiue pro gratiarũ actione exauditæ ſuæ deprecationis, ſiue etiam in memoriam præfati regis Oſuualdi, qui quondam ipſorũ genti præerat. Ideoq; pro eis, quaſi pro ſuæ gentis aduenis ſupplex orabat ad Dominum, & cunctis cõuenientibus ad eccleſiam fratribus, communicent omnes ſacrificijs cœleſtibus, & ita ſoluto ieiunio corpus quoq; ſuis reficiant alimentis. Quæ uerba cùm omnia uocato ad ſe presbytero puer narraſſet, interrogauit eum ſolicitus, quales eſſent habitu uel ſpecie uiri, qui ſibi apparuiſſent. Reſpondit, præclari omnino habitu & uultu erant: lætiſsimi ac pulcherrimi, quales nunquam antè uideram, neq; aliquos hominum tanti decoris ac uenuſtatis eſſe poſſe credebam. Vnus quidem attonſus erat ut clericus, alius barbam habebat prolixã: dicebantq; quòd unus eorum Petrus, alius uocaretur Paulus, & ipſi eſſent miniſtri Domini & ſaluatoris noſtri Ieſu Chriſti, ad tuitionem noſtri monaſterij miſsi ab ipſo de cœlis. Credidit ergo uerbis pueri presbyter, ac ſtatim egreſſus requiſiuit in annali ſuo, & inuenit eadem ipſa die Oſuualdum regem fuiſſe peremptum. Vocatiſq; fratribus parare prandium, miſſas fieri, atque omnes communicare more ſolito præcepit: ſimul & infirmãti puero de eodem ſacrificio Dominicæ oblationis particulam deferri mandauit. Quibus ita geſtis, non multo pòſt eadem ipſa die puer defunctus eſt, ſuaq; morte probauit uera fuiſſe uerba, quæ ab apoſtolis Chriſti audierat. Sed & hoc uerbis eius teſtimonium perhibuit, quòd nemo præter ipſum tempore illo ex eodem eſt monaſterio raptus de mundo. Ex qua nimirum uiſione multi, qui hæc audire potuerunt, & ad exorandam in aduerſis diuinam clementiam, & ad ſalutaria ieiuniorum remedia ſubeunda, ſunt mirabiliter accenſi: & ex eò tempore non ſolùm in eodem monaſterio, ſed & in pleriſque locis alijs cœpit annuatim eiuſdem regis ac militis Chriſti natalitius dies miſſarum celebratione uenerari.

*Vt Ceadualla rex interfecto rege Geuiſſorum Ediluualch prouinciam illam ſæua cæde ac depopulatione attriuerit.* Cap. XV.

INterea ſuperueniens cum exercitu Ceadualla iuuenis ſtrenuiſsimus, de regio genere Geuiſſorum, cùm exularet à patria ſua, interfecit regem Ediluualch, ac prouinciam illam ſæua cæde ac depopulatione attriuit. Sed mox expulſus eſt à ducibus regis Bertthuno & Anthuno, qui deinceps regnum prouinciæ tenuerũt: quorũ prior poſtea ab eodem Ceadualla, cùm eſſet rex Geuiſſorum, occiſus eſt, & prouincia grauiore eſt ſeruitio ſubacta. Sed is qui poſt Ceaduallam regnauit, ſimili prouinciam illam afflictione plurimo annorum tempore mancipauit. Quare factum eſt, ut toto illo tempore Epiſcopum proprium habere nequiuerit: ſed reuocato domum Vuilfrido primo ſuo antiſtite, ipſi epiſcopo Geuiſſorum, id eſt, Occidentalium Saxonum, qui eſſent inuenti in ciuitate, ſubiacerent.

*Vt Vecta inſula Chriſtianos incolas ſuſceperit, cuius regij duo pueri ſtatim poſt acceptũ baptiſma ſint interempti.* Cap. XVI.

POſtquam ergo Ceadualla regno potitus eſt Geuiſſorum, cepit & inſulam Vectam, quæ eatenus erat tota idololatriæ dedita, ac tragica cæde omnes indigenas exterminare, ac ſuæ prouinciæ homines pro his ſubſtituere contendit, uoto ſe obligans, quamuis nondum regeneratus (ut fertur) in Chriſto: quia ſi cepiſſet inſulam, quartam partem eius ſimul & prædæ Domino daret. Quod ita ſoluit, ut hanc Vuilfrido epiſcopo, qui tunc fortè de gente ſua ſuperueniens aderat, utendam pro Domino offerret. Eſt autem menſura eiuſdem inſulæ iuxta æſtimationem Anglorum mille ducentarum familiarum: unde data eſt epiſcopo poſſeſsio terræ trecentarũ familiarum. At ipſe partem quam accepit, cõmendauit cuidam de clericis ſuis, cui nomen Bernuuini, & erat filius ſororis eius, dans illi presbyterũ nomine Hildila, qui omnibus qui ſaluari uellent, uerbum ac lauacrũ uitæ miniſtraret. Vbi ſilentio prætereundum nõ eſſe reor, quòd in primitias eorum, qui de eadem inſula credendo ſaluati ſunt, duo regij pueri, fratres uidelicet Arualdi regis inſulę ſpeciali ſunt Dei gratia coronati: ſiquidem imminentibus inſulæ hoſtibus fuga lapſi ſunt de inſula, & in proximam Vitorum prouinciam trãſlati. ubi cùm delati in locũ qui uocatur Ad lapidem, occultandos ſe à facie regis uictoris credidiſſent, proditi ſũt, atq; occidi iuſsi. Quod cùm audiſſet abbas quidam & presbyter uocabulo Cimberth, habens non longè ab inde monaſteriũ in loco qui uocatur Reodford, id eſt, uadum arundinis, uenit ad regẽ, qui tunc eiſdẽ

in pa

in partibus occultus curabatur à uulneribus, quæ ei inflicta fuerant prælianti in inſula Vecta: poſtulauitq; ab eo, ut ſi neceſſe eſſet pueros interfici, prius eos liceret fidei Chriſtianæ ſacramentis imbui. Conceſsit rex, & ipſe inſtructos eos uerbo ueritatis, ac fonte ſalutaris ablutos, de ingreſſu regni æterni certos reddidit. Moxq; illi inſtante carnifice mortem læti ſubiere temporalem, per quam ſe ad uitã animæ perpetuam non dubitabant eſſe tranſituros. Hoc ergo ordine poſtquam omnes Britanniarũ prouinciæ fidem Chriſti ſuſceperant, ſuſcepit & inſula Vecta: in qua tamen ob ærumnam externæ ſubiectionis, nemo gradum miniſterij ac ſedis epiſcopalis ante Danielem, qui nunc Occidentalium Saxonum & Geuiſſorum eſt epiſcopus, accepit. Sita eſt autẽ hæc inſula contra medium Auſtralium Saxonum & Geuiſſorum, interpoſito pelago latitudinis trium miliũ, quod uocatur Solente: in quo uidelicet pelago bini æſtus Oceani, qui circum Britanniam ex infinito Oceano Septentrionali erumpunt, ſibimet inuicem quotidie compugnantes occurrũt, ultra oſtium fluminis Homelea, quod per terras Vitarum, quæ ad regionem Geuiſſorum pertinent, præfatũ pelagus intrat, finitoq; conflictu in Oceanum refuſi, unde uenerant, redeunt.

*De ſynodo facta in campo Hedtfeld, præſidente archiepiſcopo Theodoro.* Cap. XVII.

HIs temporibus audiens Theodorus fidem eccleſiæ Conſtantinopoli per hæreſim Eutychetis multum eſſe turbatam, & eccleſias Anglorum quibus præerat, ab huiuſmodi labe immunes perdurare deſiderans, collecto uenerabilium ſacerdotum doctorumq; plurimorum cœtu, cuius eſſent fidei ſinguli, ſedulus inquirebat, omniumq; unanimem in fide catholica reperit conſenſum: & hunc ſynodalibus literis ad inſtructionem memoriamq; ſequentium commendare curauit, quarum uidelicet literarum iſtud exordium eſt:

In nomine Domini Ieſu Chriſti ſaluatoris, imperantibus dominis pijſsimis noſtris, Ecgfrido rege Humbronenſium, anno decimo regni eius, ſub die quinta, decima Kalend. Octobris, indictiõe octaua: & Edilredo rege Mercinẽſiũ, anno ſexto regni eius, & Alduulfo rege Eſtranglorum, anno decimoſeptimo regni eius: & Lodthario rege Cantuariorum, regni eius anno ſeptimo, præſidente ipſo Theodoro gratia Dei archiepiſcopo Britanniæ inſulæ, & ciuitatis Dorouernis, unà cum eo ſedentibus cæteris epiſcopis Britanniæ inſulæ, uiris uenerabilibus, præpoſitis ſacroſanctis Euangelijs, in loco qui Saxonico uocabulo Hedtfeld nominatur, pariter tractantes fidem rectam & orthodoxã expoſuimus, ſicut Dominus noſter Ieſus incarnatus tradidit diſcipulis ſuis, qui præſentialiter uiderunt & audierunt ſermones eius, atq; ſanctorum patrum tradidit ſymbolum, & generaliter omnes ſancti & uniuerſales ſynodi, & omnis probabilium catholicæ eccleſiæ doctorum chorus. Hos itaq; ſequentes nos piè atq; orthodoxè, iuxta diuinitus inſpiratam doctrinam eorum, profeſsi credimus conſtanter, & confitemur ſecundum ſanctos patres, propriè & ueraciter patrem, & filium & ſpiritum ſanctum, trinitatem in unitate conſubſtantialem, & unitatem in trinitate: hoc eſt, unum Deum in tribus ſubſiſtentijs uel perſonis conſubſtantialibus, ęqualis glorię & honoris. Et poſt multa huiuſmodi quæ ad rectæ fidei confeſsionem pertinebãt, hæc quoq; ſancta ſynodus ſuis literis addidit: Suſcepimus ſanctas & uniuerſales quinq; ſynodos beatorum & Deo acceptabilium patrum, id eſt, qui in Nicena congregati fuerunt trecentorum decem & octo, contra Arrium impijſsimum & eiuſdem dogmata: & in Conſtantinopoli centum quinquaginta, cõtra ueſaniã Macedonij & Eudoxij, & eorum dogmata: & in Epheſo primo ducentorum, contra nequiſsimũ Neſtorium & eiuſdem dogmata: & in Chalcedone ducẽtorum & triginta contra Eutychem & Neſtorium & eorum dogmata: & iterum in Conſtantinopoli quinto congregati ſunt concilio, in tempore Iuſtiniani minoris, cõtra Theodorum & Theodoretum, & Ibe epiſtolas & eorum dogmata: contra Cyrillum paulo pòſt: & ſynodum quæ facta eſt in urbe Roma, in tempore Martini papæ beatiſsimi, indictione octaua, imperante Conſtantino pijſsimo anno nono. Suſcipimus & glorificamus Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum, ſicut iſti glorificauerũt, nihil addentes uel ſubtrahentes, & anathematizamus corde & ore, quos anathematizauerũt: & quos ſuſceperunt, ſuſcipimus, glorificantes Deum patrem ſine initio, & filium eius unigenitum ex patre generatum ante ſecula, & ſpiritum ſanctum procedentem ex patre & filio inenarrabiliter, ſicut prædicauerunt hi, quos memorauimus ſuprà, ſancti Apoſtoli, & Prophetæ, & doctores. Et nos omnes ſubſcribimus, qui cum Theodoro archiepiſcopo fidem catholicam expoſuimus.

*De Ioanne cantore ſedis Apoſtolicæ, qui propter docendum uenerat in Britanniam.* Caput XVIII.

INtererat huic ſynodo, pariterq; catholicæ fidei decreta firmabat uir uenerabilis Ioannes archicantor eccleſiæ ſancti Petri, & abbas monaſterij beati Martini, qui nuper uenerat à Roma per iuſsionem papæ Agathonis, duce reuerendiſsimo abbate Biſcopo, cognomine Benedicto, cuius ſuprà meminimus. Cùm aũt idem Benedictus conſtruxiſſet monaſterium Britanniæ, in honorem beatiſsimi Apoſtolorum principis, iuxta oſtium fluminis Vuyri, uenit Romã cum cooperatore ac ſocio eiuſdẽ operis Ceolfrido, qui poſt ipſum eiuſdem monaſterij abbas fuit (quod & antè ſæpius facere conſueuerat) atq; honorificè à beatæ memorię papa Agathone ſuſceptus eſt: petijtq; & accepit ab eo in munimentum





nimentum libertatis monaſterij quod fecerat, epiſtolam priuilegij ex auctoritate Apoſtolica firmatam, iuxta quod Ecgfridũ regem uoluiſſe ac licentiam dediſſe nouerat: quo concedente & poſſeſsionem terræ largiẽte ipſum monaſterium fecerat: accepit & præfatum Ioannem abbatem in Britanniam perducendum, quatenus in monaſterio ſuo curſum canẽdi annuum, ſicut ad ſanctum Petrum Romæ agebatur, edoceret. Egitq; abbas Ioannes, ut iuſsionem acceperat pontificis, & ordinem uidelicet, ritumq; canendi ac legendi uiua uoce præfati monaſterij cantores edocendo, & ea quę totius anni circulus in celebratione dierum feſtorum poſcebat, etiam literis mandando: quæ hactenus in eodem monaſterio ſeruata, & à multis iam ſunt circumquaque tranſcripta. Non ſolùm autem idem Ioãnes ipſius monaſterij fratres docebat, uerùm de omnibus penè eiuſdem prouinciæ monaſterijs ad audiendum eum, qui cantandi erant periti confluebant. Sed & ipſum, per loca in quibus doceret, multi inuitare curabant. Ipſe autem, excepto cantandi uel legendi munere, & aliud in mandatis ab Apoſtolico papa acceperat, ut cuius eſſet fidei, Anglorum eccleſia diligenter ediſceret, Romamq; rediens referret. Nam & ſynodum beati papæ Martini centum quinque epiſcoporum conſenſum, nõ multo antè Romæ celebratam, contra eos maximè, qui unam in Chriſto operationem & uoluntatem prædicabant, ſecum ueniens attulit, atque in præfato religioſiſsimi abbatis Benedicti monaſterio tranſcribendam commodauit. Tales namque eo tempore Conſtantinopolitanæ eccleſiæ fidem multum turbauerant, ſed Domino donãte proditi iam tunc & uicti ſunt. Vnde uolens Agatho papa, ſicut in alijs prouincijs, ita etiam in Britannia, qualis eſſet ſtatus eccleſiæ, quomodo ab hæreticorum contagijs caſtus, ediſcere, hoc negocium reuerendiſsimo abbati Ioanni in Britanniam deſtinato iniunxit. Quamobrem collecto pro hoc in Britãnia ſynodo, quam diximus, inuenta eſt in omnibus fides catholica inuiolata: datumq; illi exemplar eius Romam perferendum, uerùm ille patriam reuertens, non multo poſtquam Oceanum tranſijt, arreptus infirmitate, ac defunctus eſt: corpuſq; eius ab amicis propter amorem ſancti Martini, cuius monaſterio præerat, Turonis delatum, atque honorificè ſepultum eſt. Nam & benigno eccleſię illius hoſpitio cùm in Britanniam iret, exceptus eſt, rogatuſq; multum à fratribus, ut Romam reuertens illo itinere reuerteretur, atque ad eam diuerteret eccleſiam. Denique ibidem adiutores itineris & iniuncti operis accepit: qui etſi in itinere defunctus eſt, nihilominus exemplum catholicæ fidei Anglorum Romam perlatum eſt, atq; ab Apoſtolico papa omnibuſq; qui audiere uel legere, gratantiſſimè ſuſceptum.



*Vt Edildrida regina uirgo perpetua permanſerit, cuius nec corpus in monumento corrumpi potuerit.* Caput XIX.

ACcepit autem rex Ecgfridus coniugem nomine Edildridam, filiam Annæ regis orientalium Anglorum, cuius ſæpius mentionem fecimus, uiri bene religioſi, ac per omnia mente & opere egregij: quam & alter ante illum uir habuerat uxorem, princeps uidelicet Auſtralium Giruiorum, uocabulo Tonbert: ſed illo poſt modicũ temporis ex quo eam accepit defuncto, data eſt regi præfato: cuius conſortio cùm uteretur duodecim annis, perpetua tamẽ manſit uirginitatis integritate glorioſa, ſicut mihimet ſciſcitanti (cùm hoc an ita eſſet, quibuſdam ueniſſet in dubium) beatæ memoriæ Vuilfridus epiſcopus referebat, dicens ſe teſtem uirginitatis eius eſſe certiſsimum, adeò ut Ecgfridus promiſerit ſe ei terras ac pecunias multas eſſe donaturum, ſi reginę poſſet perſuadere eius uti connubio, quia ſciebat illam nullũ uirorum plus illo diligere. Nec diffidẽdum eſt, noſtra etiam ætate fieri potuiſſe, quòd æuo præcedente aliquotiens factum fideles hiſtoriæ narrant, donante uno eodemq; Domino, qui ſe nobiſcum uſq; in finem ſeculi manere pollicetur. Nam etiam ſignum diuini miraculi, quo eiuſdẽ fœminæ ſepulta caro corrumpi non potuit, indicio eſt, quòd à uirili contactu incorrupta perdurauerit: quæ multum diu regem poſtulans, ut ſeculi curas relinquere, atque in monaſterio tãtum uero regi Chriſto ſeruire permitteretur: quod ubi uix aliquando impetrauit, intrauit monaſterium Ebbe abbatiſſæ, quæ erat amica Ecgfridi regis, poſitũ in loco quem Coludi urbem nominãt, accepto uelamine ſanctimonialis habitus à præfato antiſtite Vuilfrido. Poſt annum uerò ipſa facta eſt abbatiſſa in regione quæ uocatur Elge, ubi conſtructo monaſterio uirginum Deo deuotarum perplurimũ mater uirgo, & exemplis uitæ cœleſtis eſſe cœpit, & monitis. De qua ferunt, quia ex quo monaſterium petijt, nunquã lineis, ſed ſolum laneis ueſtimentis uti uoluerit, raroq; in calidis balneis præter imminentibus ſolennijs maioribus, uerbi gratia, Paſchæ, Pentecoſtes, Epiphanię, lauari uoluerit, & tunc nouiſsima omniũ lotis prius ſuo ſuarumq; miniſtrarũ obſequio cæteris, quæ ibi eſſent famulabus Chriſti. Raró etiam præter maiora ſolennia uel arctiorem neceſsitatẽ, pluſquam ſemel per diem manducauerit ſemper, ſi non infirmitas grauior prohibuiſſet. Ex tempore matutinæ ſynaxeos uſq; ad ortũ diei in eccleſia precibus intenta perſtiterit. Sunt etiam qui dicunt, quòd per prophetiæ ſpiritum, & peſtilentiam qua ipſa eſſet moritura, prædixerit, & numerum quoq; eorum qui de ſuo monaſterio hoc eſſent de mundo rapiendi, palàm cunctis præſentibus intimauerit. Rapta eſt autem ad Dominum in medio ſuorũ poſt annos ſeptem, ex quo abbatiſſæ gradum ſuſceperat: & æquè ut ipſa iuſſerat, non alibi quàm in me-

dio eorum iuxta ordinem quo trãſierat, ligneo in locello ſepulta: cui ſucceſsit in miniſterium abbatiſſæ ſoror eius Sexburga, quam habuerat in coniugem Earcombertus, rex Cantuariorũ. Et cùm ſedecim annos eſſet ſepulta, placuit eidem ſorori abbatiſſæ leuari oſſa eius, & in locello nouo poſita in eccleſiam transferri: iuſsitq; quoſdam è fratribus quærere lapidem, de quo locellum in hoc facere poſſent: qui aſcenſa naui (ipſa enim regio Elgie undiq; eſt aquis & paludibus circundata, neq; lapides maiores habet) uenerunt ad ciuitatulam quandam deſolatam non procul inde ſitam, quæ lingua Anglorum Grandaceſtir uocatur, & mox inuenerũt iuxta muros ciuitatis locellũ de marmore albo pulcherrimè factũ, operculo quoq; ſimilis lapidis aptiſsimè tectum. Vnde intelligẽtes à Domino ſuum iter eſſe proſperatum, gratias agentes retulerunt ad monaſterium. Cumq; corpus ſacræ uirginis ac ſponſæ Chriſti aperto ſepulchro eſſet prolatum in lucem, ita incorruptum inuentum eſt, ac ſi eodem die fuiſſet defuncta, ſiue humo condita, ſicut & præfatus antiſtes Vuilfridus, & multi alij, qui nouere, teſtantur. Sed certiori notitia medicus Cinfridus, qui & morienti illi & eleuatæ de tumulo affuit, referre erat ſolitus, quòd illa infirmata habuerat tumorẽ maximum ſub axilla: & iuſſerũt me, inquit, incidere tumorem illum, ut efflueret noxius humor qui inerat. Quod dum facerem, uidebatur illa per biduum aliquanto leuius habere, ita ut multi putarent, quòd ſanari poſſet à languore. Tertia autem die prioribus aggrauata doloribus, & rapta cõfeſtim de mundo, dolorem omnem ac mortẽ perpetua ſalute ac uita mutauit. Cũq; poſt tam multos annos eleuanda eſſent oſſa de ſepulchro, & extẽto deſuper papilione, omnis congregatio hinc fratrum, inde ſororum pſallens circunſtaret: ipſa autem abbatiſſa intus cũ paucis oſſa eleuatura & delatura intraſſet, repentè audiuimus abbatiſſam intus clara uoce proclamare, Sit gloria nomini Domini. Nec multo pòſt clamauerũt me intrò, reſerato oſtio papilionis, undiq; eleuatum de tumulo, & poſitum in lectulo corpus ſacræ Deo uirginis quaſi dormientis ſimile. Sed & diſcooperto uultus indumento monſtrauerunt mihi etiam uulnus inciſuræ, quod feceram curatum, ita ut mirum in modum pro aperto & hiante uulnere cum quo ſepulta erat, tenuiſsima tunc cicatricis ueſtigia apparerent. Sed & linteamina omnia, quibus inuolutum erat corpus, integra apparuerunt, & ita noua, ut ipſo die uiderẽtur caſtis eius mẽbris eſſe circundata. Ferunt autem, quia cùm pręfato tumore ac dolore maxillæ ſiue colli premeretur, multum delectata ſit hoc generè infirmitatis, ac ſolita dicere, Scio certiſsimè, quia meritò in collo pondus languoris porto, in quo iuuenculam memini me ſuper uacua moniliũ pondera portare: & credo quòd ideo me ſuperna pietas dolore colli uoluit grauari, ut ſic abſoluat à reatu ſuperuacuæ leuitatis, dum mihi nunc pro auro & margaritis de collo rubor tumoris ardorq; promineat. Cõtigit autem tactu indumentorum eorundem & dæmonia ab obſeſsis fugata corporibus, & infirmitates alias aliquotiens eſſe curatas: & loculum in quo primò ſepulta eſt nõnnullis oculos dolentibus ſaluti fuiſſe perhibẽt: qui cùm ſuum caput eidem loculo apponentes oraſſent, mox doloris ſiue caliginis incommodum ab oculis amouerent. Lauerunt igitur uirginis corpus, & nouis indutum ueſtibus intulerunt in eccleſiam, atq; in eo quod allatum erat, ſarcophago poſuerunt, ubi uſq; hodie in magna ueneratione habetur. Mirum uerò in modũ ita aptum corpori uirginis ſarcophagum inuentum eſt, ac ſi ei ſpecialiter præparatum fuiſſet: & locus quoq; capitis ſeorſum fabrefactus, ad mẽſurã capitis illius aptiſsimè figuratus apparuit. Eſt autem Elge in prouincia orientalium Anglorum regio familiarũ circiter ſexcentarum, in ſimilitudinẽ inſulæ uel paludibus (ut diximus) circundata, uel aquis: unde & à copia anguillarum, quæ in ijſdem paludibus capiuntur, nomen accepit. ubi monaſterium habere deſiderauit memorata Chriſti famula, quoniam de prouincia eorundem oriẽtalium Anglorum ipſa, ut pręfati ſumus, carnis originem duxerat.

### *Hymnus de illa.* Caput XX.

VIdetur opportunũ huic hiſtoriæ etiã hymnum uirginitatis inſerere, quem ante annos plurimos in laudem ac præconium eiuſdẽ reginæ ac ſponſæ Chriſti (& ideo ueraciter reginæ, quia ſponſa Chriſti) Elegiaco metro conſuimus: & imitari morem ſacrę ſcripturę, cuius hiſtoriæ carmina plurima indita, & hæc metro ac uerſibus conſtat eſſe compoſita:

Alma Deus trinitas, qui ſecula cũcta gubernas
  Annue iam cœptis alma Deus trinitas.
Bella Maro reſonet, nos pacis dona canamus:
  Munera nos Chriſti, bella Maro reſonet.
Carmina caſta mihi, fœdæ non raptus Helenæ:
  Luxus erit lubricis, carmina caſta mihi.
Dona ſuperna loquar, miſeræ nõ prælia Troię:
  Terra quibus gaudet, dona ſuperna loquar.
En Deus altus adit uenerandæ uirginis aluum:
  Liberet ut homines, en Deus altus adit.
Fœmina uirgo parit mundi deuota parentem,
  Porta Maria Dei fœmina uirgo parit.
Gaudet amica cohors de uirgine matre tonantis:
  Virginitate micans gaudet amica cohors.
Huius honor genuit caſto de germine plures:
  Virgineos flores huius honor genuit.
Ignibus uſta feris uirgo non ceſſat Agathe:
  Eulalia perfert ignibus uſta feris.
Caſta feras ſuperat mentis pro culmine Tecla:
  Eufemia ſacra caſta feras ſuperat.
Læta ridet gladios ferro robuſtior Agnes:
  Cecilia infeſtos læta ridet gladios.
Multus in orbe uiget per ſobria corda triumphus:
  Sobrietatis amor multus in orbe uiget.
Noſtra quoq; egregia iã tẽpora uirgo beauit:





  Edildrida nitet noſtra quoq; egregia.
Orta patre eximio regali & ſtemmate clara:
  Nobilior Domino eſt, orta patre eximio.
Percipit inde decus reginę & ſceptra ſub aſtris
  Plus ſupra aſtra manẽs, percipit inde decus.
Quid petis alma uirũ ſpõſo iã dedita ſummo?
  Spõſus adeſt Chriſtus, quid petis alma uirũ?
Regis ut ætherei matrem iam credo ſequaris:
  Tu quoq; ſis mater regis ut ætherei.
Sponſa dicata Deo bis ſex regnauerat annis,
  Inq; monaſterio eſt ſponſa dicata Deo.
Tota ſacrata polo celſis ubi floruit actis:
  Reddidit atq; animã tota ſacrata polo.
Virginis alma caro eſt tumulata bis octo Nouẽbres,
  Nec putet in tumulo uirginis alma caro.
Chriſte tui eſt operis, quia ueſtis in ipſa ſepulchro)
  Inuiolata nitet, Chriſte tui eſt operis.
Hydros & ater abit ſacræ pro ueſtis honore:
  Morbi diffugiunt, hydros & ater abit.
Zelus in hoſte furit quondã qui uicerat Euam:
  Virgo triumphat ouans, zelus in hoſte furit.
Aſpice nupta Deo, quæ ſit tibi gloria terris:
  Quæ maneat cœlis, aſpice nupta Deo.
Munera læta capis feſtiuis fulgida tædis:
  Ecce uenit ſponſus munera læta capis.
Et noua dulciſono modularis carmina plectro:
  Sponſa hymno exultas & noua dulciſono.
Nullus ab altithroni comitatu ſegregat agni,
  Quam affectu tulerat, nullus ab altithroni.

### *Vt Theodorus epiſcopus inter Ecgfridum & Edilredum reges pacem fecerit.* Caput XXI.

ANno regni Ecgfridi nono conſerto graui prælio inter ipſum & Edilredũ regem Merciorum, iuxta fluuium Treanta, occiſus eſt Elbuini frater regis Ecgfridi, iuuenis circiter decẽ & octo annorum, utriq; prouinciæ multũ amabilis. Nam ſororem eius, quæ dicebatur Oſthridi, rex Edilred habebat uxorem. Cumq; materies belli acrioris, & inimicitię lõgioris inter reges populoſq; feroces uideretur exorta, Theodorus Deo dilectus antiſtes diuino fretus auxiliõ ſalutifera exhortatione cœptum tanti periculi funditus extinguit incendium, adeò ut pacatis alterutrum regibus ac populis nullius anima hominis pro interfecto regis fratre, ſed debita ſolummodo multa pecuniæ regi ultori daretur. Cuius fœdera pacis multo exinde tẽpore inter eoſdem reges, eorumq; regna durarũt.

### *Vt uincula cuiuſdam captiui cum pro eo miſſæ cantarentur, ſoluta ſint.* Caput XXII.

IN præfato autem prælio, quo occiſus eſt rex Elbuini, memorabile quoddam factum eſſe conſtat, quod nequaquam ſilentio prætereundum arbitror, ſed multorum ſaluti, ſi referatur, fore proficuum. Occiſus eſt ibi inter alios de militia eius iuuenis uocabulo Imma, qui cùm die illo & nocte ſequente inter cadauera occiſorum ſimilis mortuo iaceret, tandem recepto ſpiritu reuixit, ac reſidẽs ſua uulnera prout potuit, ipſe alligauit: deinde modicum requietus leuauit ſe, & cœpit abire ſic, ubi amicos qui ſui curam agerent, poſſet inuenire. Quod dum faceret, inuẽtus eſt & captus à uiris hoſtilis exercitus, & ad Dominum ipſorum, comitem uidelicet Edilredi regis adductus: à quo interrogatus quis eſſet, timuit ſe militem fuiſſe, confiteri: ruſticum ſe potius & pauperẽ, atq; uxoreo uinculo colligatum fuiſſe reſpondit, & propter uictum militibus ad ferendum in expeditionem ſe cum ſui ſimilibus ueniſſe teſtatus eſt. At ille ſuſcipiens eum, curam uulneribus egit, & ubi ſanari cœpit, noctu eum ne aufugeret, uinciri præcepit, nec tamen uinciri potuit. Nam mox, ut abiere qui uincierant, eadem ſunt eius uincula ſoluta. Habebat enim germanũ fratrem, cui nomen erat Tunna, presbyterum & abbatem monaſterij in ciuitate quæ hactenus ab eius nomine Tũnaceſtir cognominatur: qui cùm eum in pugna peremptum audiret, uenit quærere, ſi fortè corpus eius inuenire poſſet: inuentumq; alium illi per omnia ſimilimum putauit, ipſum eſſe, quem ad monaſterium ſuum deferens honorificè ſepeliuit, & pro abſolutione animæ eius ſæpius miſſas facere curauit. Quarum celebratione factum eſt quod dixi, ut nullus eum poſſet uincire, quin continuò ſolueretur. Interea comes qui eum tenebat, mirari & interrogare cœpit, quare ligari non poſſet: an fortè literas ſolutorias, de quibus fabulæ ferunt, apud ſe haberet, propter quas ligari non poſſet. At ille reſpondit nihil ſe talium artium noſſe: ſed habeo fratrem, inquit, presbyterum in mea prouincia, & ſcio, quia ille me interfectum putans pro me miſſas crebras facit, & ſi nunc in alia uita eſſem, ibi anima mea per interceſsiones eius ſolueretur à pœnis. Dumq; aliquanto tempore apud comitem teneretur, animaduerterũt qui eum diligentius conſiderabãt, ex uultu & habitu & ſermonibus eius, quia non erat de paupere uulgo (ut dixerat) ſed de nobilibus. Tum ſecretè aduocans eum comes, interrogauit intentius unde eſſet, promittens ſe nihil ei mali facturum pro eo, ſi ſimpliciter ſibi quis eſſet, proderet. Quod dum ille faceret, miniſtrum ſe regis fuiſſe manifeſtans, reſpondit, Et ego per ſingula tua reſponſa cognoueram, quòd ruſticus nõ eras. Et nunc quidem dignus es morte, quia omnes fratres & cognati mei in illa ſunt pugna interempti: nec te tamen occidam, ne fidem mei promiſsi præuaricem. Vt ergo conualuit, uendidit eum Londoniam Freſoni cuidam, ſed nec ab illo, nec cùm illuc duceretur ullatenus potuit alligari: uerùm cùm alia atq; alia uinculorũ genera ei hoſtes imponerent, diſſoluta ſunt: cumq; uideret qui emerat, eũ uinculis nõ poſſe cohiberi, donauit ei facultatem ſeſe redimẽdi, ſi poſſet. A tertia enim hora, quando miſſæ fieri ſolebant, ſæpiſsimè uincula ſoluebantur. At ille dato iureiurando ut rediret, uel pecuniam illi pro ſe mitteret, uenit Cantiam ad regem Lodhere, qui erat filius ſororis Edildridę reginę (de qua ſuprà dictum eſt, qui & ipſe quondã eiuſdẽ

regine miniſter fuerat) petijtq; & accepit ab eo precium ſuę redemptionis, ac ſuo Domino pro ſe (ut promiſerat) miſit: qui poſt hæc in patriam reuerſus, atq; ad ſuum fratrẽ perueniens, replicauit ex ordine cuncta quæ ſibi aduerſa, quæ'ue in aduerſis ſolatia proueniſſent: cognouitq; referente eo illis maximè temporibus ſua fuiſſe uincula ſoluta, quibus pro ſe miſſarum fuerant celebrata ſolennia: ſed & alia quæ periclitanti ei commoda contigiſſent & proſpera, per interceſsionem fraternam & oblationem hoſtię ſalutaris cœlitus ſibi fuiſſe donata, intellexit. Multiq; hæc à præfato uiro audientes, accenſi ſunt in fide ac deuotione pietatis ad orãdum, uel ad eleemoſynas faciendas, uel ad offerendas Domino uictimas ſacræ oblationis, pro ereptione ſuorum, qui de ſeculo migrauerũt. Intellexerũt enim, quòd ſacrificium ſalutare ad redemptionem ualeret & animæ & corporis ſempiternã. Hanc mihi hiſtoriam etiam quidam eorum, qui ab ipſo uiro in quo facta eſt, audiere, narrarũt: unde eam quam liquidò cõperi, indubitãter hiſtoriæ noſtræ eccleſiaſticę inſerendam credidi.

*De uita & obitu Hildæ abbatiſſæ.* Caput XXIII.

ANno poſt hunc ſequente, hoc eſt, anno Dominicæ incarnationis ſexcẽteſimo octogeſimo, religioſiſsima Chriſti famula Hilda, abbatiſſa monaſterij quod dicitur Streaneshalch (ut ſuprà retulimus) poſt multa quæ fecit in terris opera cœleſtia, ad percipienda præmia uitę cœleſtis de terris ablata trãſiuit, die quintadecima Kalend. Decembrium, cùm eſſet annorũ ſexaginta ſex, quibus æqua portione diuiſis, triginta tres primos in ſeculari habitu nobiliſsimè cõuerſata compleuit, & totidem ſequentes nobilius in monachica uita Domino conſecrauit. Nam & nobilis natu erat, hoc eſt, filia nepotis Eduini regis, uocabulo Hererici, cum quo etiã rege ad prædicationẽ beatæ memoriæ Paulini primi Nordan Humbrorum epiſcopi fidem & ſacramenta Chriſti ſuſcepit, atq; hæc uſq; dum ad eius uiſionẽ peruenire meruit, intemerata ſeruauit: quæ cùm relicto habitu ſeculari illi ſoli ſeruire decreuiſſet, ſeceſsit ad prouinciã orientalium Anglorum (erat nanq; propinqua regis illius) deſiderãs exinde, ſi quo modo poſſet, derelicta patria, & omnibus quæcunq; habuerat, in Galliam peruenire, atq; in monaſterio Cale peregrinã pro Domino uitam ducere, quo facilius perpetuam in cœlis patriam poſſet mereri. Nam & in eodem monaſterio ſoror ipſius Hæreſuid, mater Aldulfi regis orientalium Anglorum, regularibus ſubdita diſciplinis ipſo tẽpore coronam expectabat æternam: cuius æmulata exemplum & ipſa propoſito peregrinãdi, annum totum in præfata prouincia retenta eſt: deinde ab Aidano epiſcopo in patriam reuocata, accepit locum unius familiæ ad Septentrionalem plagam Vuiri fluminis, ubi æquè anno uno monachicam cum perpaucis ſocijs uitam agebat. Poſt hæc facta eſt abbatiſſa in monaſterio quod uocatur Heortheu, quod uidelicet monaſterium factum erat non multo antè à religioſa Chriſti famula Heiu: quæ prima fœminarum fertur in prouincia Nordan Humbrorum propoſitum, ueſtemq; ſanctimonialis habitus conſecrante Aidano epiſcopo ſuſcepiſſe. Sed illa poſt non multum tempus facti monaſterij ſeceſsit ad ciuitatem Calcariam, quę à gente Anglorum Kalcaceſtir appellatur, ibiq; manſionẽ ſibi inſtituit. Prælata autem regimini monaſterij illius famula Chriſti Hilda mox hoc regulari uita per omnia, prout à doctis uiris diſcere poterat, ordinare curabat. Nam & epiſcopus Aidan, & quique nouerãt eam religioſi, pro inſita ei ſapientia & amore diuini famulatus, ſedulò eam uiſitare, obnixè amare, diligenter erudire ſolebant. Cùm ergo aliquot annos huic monaſterio rugularis uitæ inſtitutioni multum intenta præeſſet, contigit eam ſuſcipere etiam conſtruendum ſiue ordinandum monaſterium, in loco qui uocatur Streaneshalch, quod opus ſibi iniunctum non ſegniter impleuit. Nam ijſdẽ, quibus prius monaſterium etiam hoc diſciplinis uitæ regularis inſtituit. Et quidem multam inibi quoque iuſticiæ, pietatis & caſtimoniæ, cæterarumq; uirtutum, ſed maximè pacis & caritatis cuſtodiam docuit: ita ut in exemplũ primitiuæ eccleſiæ nullus ibi diues, nullus eſſet egens, omnibus eſſent omnia communia, cùm nihil cuiuſquam eſſe uideretur proprium. Tantæ enim erat ipſa prudentiæ, ut non ſolùm mediocres quiq; in neceſsitatibus ſuis, ſed etiam reges ac principes nonnunquam ab ea conſilium quærerent & inuenirent. Tantum lectioni diuinarum ſcripturarum ſuos uacare ſubditos, tantum operibus iuſtitiæ ſe exercere faciebat, ut facillimè uiderẽtur ibidem, qui eccleſiaſticum gradum, hoc eſt, altaris officium aptè ſubirẽt, plurimos poſſe reperiri. Deniq; quinq; ex eodem monaſterio poſtea epiſcopos uidimus, & hos omnes ſingularis meriti ac ſanctitatis uiros, quorũ hæc ſunt nomina: Boſa, Aeda, Oftfor, Ioannes & Vuilfridus. De primo ſuprà diximus, quòd Eboraci fuerit conſecratus antiſtes: de ſecundo breuiter intimandum, quòd in epiſcopatum Dorciſceſtre fuerit ordinatus: de ultimis infrà dicẽdum eſt, quòd eorum primus Haguſtaldenſis, ſecundus Eboracenſis eccleſiæ ordinatus ſit epiſcopus. De medio nunc dicamus, quia cũ in utroq; Hildę abbatiſſæ monaſterio lectioni & obſeruationi ſcripturarũ operã dediſſet, tandem perfectiora deſiderans, uenit Cantiã ad archiepiſcopũ beatæ recordationis Theodorũ: ubi poſteaquã aliquãdiu lectionib. ſacris uacauit, etiã Romam adire curauit, quod eo tẽporis magnæ uirtutis ęſtimabatur: & inde cũ rediẽs Britanniã adijſſet, diuertit ad prouinciã Victiorũ, cui tũc rex Oſric prefuit, ibiq; uerbũ fidei prædicãs, ſimul & exemplũ uiuẽdi ſeſe uiuẽtibus atq; audiẽtibus exhibẽs, multo tẽpore mãſit. Quo tẽpore antiſtes prouinciæ illius uocabulo Boſelus tãta erat corporis infirmitate depreſſus, ut officium epiſcopatus per ſe implere nõ poſſet: propter quod omnium iudicio præfatus uir in epiſcopatum pro eo electus, ac iubente Edilredo rege per Vuilfridum beatæ memoriæ antiſtitem, qui tunc temporis Mediterraneorum Anglorum epiſcopatũ gerebat, ordinatus eſt, pro eo ꝙ archiepiſcopus Theodorus iam defunctus erat, & nondum alius pro eo ordinatus epiſcopus. In qua uidelicet prouincia paulo antè, hoc eſt, ante præfatũ uirum Dei Boſelum uir ſtrenuiſsimus & doctiſsimus atq; excellentis ingenij, uocabulo Tatfrid, de eiuſdem abbatiſſæ monaſterio electus eſt antiſtes: ſed priuſquam ordinari poſſet, morte immatura præreptus eſt. Non ſolùm autem præfata Chriſti ancilla & abbatiſſa Hilda, quã omnes qui nouerant, ob inſigne pietatis & gratiæ matrem uocare conſueuerant, in ſuo monaſterio uitæ exemplo pręſentibus extitit, ſed etiam in plurimis longius manentibus, ad quos felix induſtriæ ac uirtutis eius rumor peruenit, occaſionẽ ſalutis & correctionis miniſtrauit. Oportebat nanq; impleri ſomnium, quod mater eius Bregoſuid in infantia eius uidit. Quæ cùm uir eius Heriric exularet ſub rege Britonum Cerdice, ubi & ueneno perijt, uidit per ſomniũ, quaſi ſubitò ſublatum eum quæſierit cum omni diligentia, nullumq; eius uſpiam ueſtigium apparuerit. Verùm cùm ſolertiſsimè illum quęſiſſet, extemplò ſe reperire ſub ueſte ſua monile preciosiſsimum, quod dum attentius conſideraret, tanti fulgore luminis refulgere uidebatur, ut omnes Britanniæ fines illius gratia ſplendoris impleret. Quod nimirum ſomniũ ueraciter in filia eius, de qua loquimur, impletum eſt: cuius uita non ſibi ſolummodo, ſed multis bene uiuere uolentibus, exempla operum lucis præbuit. Verùm illa cùm multis annis huic monaſterio præeſſet, placuit pio prouiſori ſalutis noſtræ ſanctam eius animam longa etiam infirmitate carnis examinari, ut iuxta exemplum Apoſtoli uirtus eius in infirmitate perficeretur. Percuſſa etenim febribus acri cœpit ardore fatigari, & per ſex continuos annos eadem moleſtia laborare nõ ceſſabat: in quo toto tempore nunquam ipſa uel conditori ſuo gratias agere, uel cõmiſſum ſibi gregem & publicè & priuatim docere prætermittebat. Nam ſuo prædocta exẽplo monebat omnes, & in ſalute accepta corporis Domino obtemperanter ſeruiendum, & in aduerſis rerum ſiue in infirmitatibus membrorum fideliter Domino eſſe gratias ſemper agendas. Septimo ergo ſuæ infirmitatis anno, conuerſo ad intranea dolore, ad diem peruenit ultimum, & circa galli cantum percepto uiatico ſacroſanctæ communionis, cùm accerſitis ancillis Chriſti, quæ erãt in eodem monaſterio, de ſeruanda eas inuicem, imò cum omni pace euangelica admoneret, inter uerba exhortationis læta mortem uidit, imò (ut uerbis Domini loquar) de morte tranſiuit ad uitam. Qua uidelicet nocte Dominus omnipotẽs obitum ipſius in alio longius poſito monaſterio (quod ipſa eodem anno conſtruxerat, & appellatur Hacanes) manifeſta uiſione reuelare dignatus eſt. Erat in eodem monaſterio quædam ſanctimonialis fœmina nomine Begu, quæ triginta & amplius annos dedicata Domino uirginitate in monachica conuerſatione ſeruiebat. Hæc tunc in dormitorio ſororũ pauſans audiuit ſubitò in aere notum campanæ ſonum, quo ad orationes excitari uel conuocari ſolebant, cũ quis eorum de ſeculo fuiſſet euocatus, apertiſq; (ut ſibi uidebatur) oculis aſpexit, detecto domus culmine fuſam deſuper lucẽ omnia repleuiſſe: cui uidelicet luci cùm ſolicita intenderet, uidit animam præfatæ Dei famulæ in ipſa luce comitantibus ac ducentibus eam angelis ad cœlum ferri. Cũq; ſomno excuſſa uideret cæteras pauſantes circa ſe ſorores, intellexit uel inſomnio, uel in uiſione mentis oſtenſum ſibi eſſe quod uiderat. Statimq; exurgens nimio timore perterrita cucurrit ad uirginem, quæ tunc monaſterio abbatiſſæ uice præfuit, cui nomen erat Frigit: fletuq; ac lachrymis multum perfuſa, ac ſuſpiria longa trahens, nũciauit matrem illarum omnium Hildam abbatiſſam iam migraſſe de ſeculo, & ſe aſpectante cum luce immenſa ducibus angelis ad æternæ limina lucis, & ſupernorum conſortia ciuium aſcendiſſe. Quod cùm illa audiſſet, ſuſcitauit cunctas ſorores, & in eccleſiam cõuocatas, orationibus ac pſalmis pro anima matris operam dare monuit. Quod cùm reſiduo noctis tempore diligenter agerent, uenerunt primo diluculo fratres, qui eius obitum nunciarent, à loco ubi defuncta eſt. At illi reſpõdentes dixerunt ſe prius eadem cognouiſſe, & cùm exponerent per ordinem quomodo hæc uel quando didiciſſent, inuẽtum eſt eadem hora tranſitum eius illis oſtenſum eſſe per uiſionem, qua illam referebãt exiſſe de mundo. Pulchraq; rerum concordia procuratum eſt diuinitus, ut cùm illi exitum eius de hac uita uiderẽt, tunc iſti introitum eius in perpetuam animarum uitam cognoſcerent. Diſtant autem inter ſe monaſteria hæc tredecim fermè milibus paſſuum. Ferunt autem quòd eadem nocte in ipſo quoq; monaſterio ubi pręfata Dei famula obijt, cuidam uirginum Deo deuotarum, quæ illam immenſo amore diligebat, obitus illius in uiſione apparuerit, quæ animam eius cum angelis ad cœlum ire conſpexerit, atque hoc ipſa qua factum eſt horà, his quæ ſecum erant famulabus Chriſti manifeſtè narrauerit, eaſq; ad orandum pro anima eius, etiam priuſquam cætera congregatio eius obitum cognouiſſet, excitauerit. Quod ita fuiſſe factum mox congregationi mane facto innotuit. Erat enim hæc ipſa hora cum alijs nonnullis Chriſti ancillis in extremis monaſterij locis ſeorſum poſita, ubi nuper uenientes ad conuerſionem fœminæ ſolebant probari, donec regulariter inſtitutæ in ſocietatem congregationis ſuſciperentur.

*Quod in monaſterio eius fratri cuidam canendi donum diuinitus ſit conceſſum.* Cap. XXIIII.

IN huius monaſterio abbatiſſæ fuit frater quidam diuina gratia ſpecialiter inſignis, qui carmina religioni & pietati apta facere ſolebat, ita ut quicquid ex diuinis literis per interpretes diſceret, hoc ipſe poſt puſillum uerbis poeticis maxima ſuauitate & compunctione compoſitis, in ſua, id eſt, Anglorum lingua proferret: cuius carminibus multorum ſæpe animi ad contemptum ſeculi, & ad appetitum ſunt uitæ cœleſtis accenſi. Et quidem alij poſt illum in gẽte Anglorum religioſa poemata facere tentabant, ſed nullus ei æquiparari potuit. Namq; ipſe non ab hominibus, neq; per hominem inſtitutus canendi artem didicit, ſed diuinitus adiutus, gratis canendi donum accepit. Vnde nihil unquam friuoli & ſuperuacui poematis facere potuit: ſed ea tantummodo quæ ad religionem pertinent, religioſam eius linguam decebant. Siquidẽ in habitu ſeculari uſq; ad tempora prouectioris ætatis conſtitutus, nil carminum aliquando didicerat. Vnde nonnunquam in conuiuio cùm eſſet lætitiæ cauſa decretum, ut omnes per ordinem cantare deberent, ille ubi appropinquare ſibi citharam cernebat, ſurgebat à media cœna, & egreſſus ad ſuam domum repedabat. Quod dum tempore quodam faceret, & relicta domo conuiuij egreſſus eſſet ad ſtabula iumentorum, quorum ei cuſtodia nocte illa erat delegata, ibiq; hora iam competenti membra dediſſet ſopori, aſtitit ei quidã per ſomniũ, eumq; ſalutans, ac ſuo appellans nomine, Cednom, inquit, canta mihi aliquid. At ille reſpondit, Neſcio, inquit, cantare. Nam & ideo de cõuiuio egreſſus, huc ſeceſsi, quia cantare non poteram. Rurſum ille qui cum eo loquebatur, At tamen, ait, cantare mihi habes. Quid, inquit, debeo cantare? At ille, Canta, inquit, principiũ creaturarum. Quo accepto reſpõſo ſtatim ipſe cœpit cantare in laudem Dei cõditoris uerſus, quos nũquam audierat, quorum iſte eſt ſenſus: Nunc laudare debemus auctorem regni cœleſtis, potentiam creatoris, & conſilium illius, facta patris gloriæ. Quomodo ille cùm ſit æternus Deus omnium miraculorũ auctor extitit, qui primo filijs hominum cœlum pro culmine tecti, de hinc terrã cuſtos humani generis omnipotens creauit. Hic eſt ſenſus, non autem ordo ipſe uerborum quæ dormiens ille canebat. neque enim poſſunt carmina, quamuis optimè compoſita, ex alia in aliam linguam ad uerbũ ſine detrimento ſui decoris ac dignitatis tranſferri. Exurgens autem à ſomno cuncta, quę dormiens cantauerat, memoriter retinuit, & his mox plura in eundẽ modum uerba Deo digni carminis adiunxit: ueniensq; manè ad uillicum qui ſibi præerat, quid doni percepiſſet, indicauit, atque ad abbatiſſam perductus, iuſſus eſt multis doctioribus uiris præſentibus indicare ſomnium, & dicere carmen, ut uniuerſorum iudicio quid uel unde eſſet quod referebat, probaretur. Viſumq; eſt omnibus cœleſtem ei à Domino conceſſam eſſe gratiam. Exponebantq; illi quendam ſacræ hiſtoriæ ſiue doctrinæ ſermonem, præcipientes ei ſi poſſet hunc in modulationem carminis transferre. At ille ſuſcepto negocio abijt, & manè rediens optimo carmine quod iubebatur, compoſitum reddidit. unde mox abbatiſſa amplexata gratiam Dei in uiro ſecularem, illum habitum relinquere, & monachicum ſuſcipere propoſitum docuit: ſuſceptumq; in monaſterium cum omnibus ſuis fratrum cohorti aſſociauit, iuſsitq; illum ſeriem ſacræ hiſtoriæ doceri. At ipſe cuncta quæ audiendo diſcere poterat, rememorando ſecum, & quaſi mundum animal ruminando in carmen dulciſsimum conuertebat, ſuauiusq; reſonãdo doctores ſuos uiciſsim auditores faciebat ſuos. Canebat autem de creatione mundi, & origine humani generis, & tota Geneſis hiſtoria, de egreſſu Iſrael ex Aegypto, & ingreſſu in terram repromiſsionis: de alijs plurimis ſacræ ſcripturę hiſtorijs: de incarnatione Domini, ac paſſione, & reſurrectione, & aſcenſione in cœlum: de aduentu ſpiritusſancti, & apoſtolorum doctrina: item de terrore futuri iudicij, & horrore pœnæ gehennalis, ac dulcedine regni cœleſtis multa carmina faciebat. Sed & alia perplura, de beneficijs & iudicijs diuinis, in quibus cunctis homines ab amore ſcelerum abſtrahere, ad dilectionem uerò & ſolertiam bonę actionis excitare curabat. Erat enim uir multum religioſus, & regularibus diſciplinis humiliter ſubditus: aduerſum uerò illos, qui aliter facere uolebant, zelo magni feruoris accẽſus. unde & pulchro uitam ſuam fine concluſit. Nam propinquãte hora ſui diſceſſus, quatuordecim diebus præueniente corporea infirmitate preſſus eſt, adeò tamen moderatè, ut & loqui toto eo tempore poſſet, & ingredi. Erat autem in proxima caſa, in qua infirmiores, & qui propè morituri eſſe uidebantur, induci ſolebant. Rogauit ergo miniſtrũ ſuum ueſpere incumbente, nocte qua de ſeculo erat exiturus, ut in ea ſibi locum quieſcendi prępararet: qui miratus cur hoc rogaret, qui nequaquã adhuc moriturus eſſe uidebatur, fecit tamen quod dixerat. Cumq; ibidem poſiti uiciſsim aliqua gaudente animo unà cũ eis qui ibidẽ antea inerant, loquerẽtur ac iocarẽtur, & iam medię noctis tẽpus eſſet tranſcenſum, interrogauit omnes, ſi Euchariſtiã intus haberẽt. Reſpondebãt quid opus eſt Euchariſtia: neq; enim mori adhuc habes, qui tã hilariter nobiſcũ uelut ſoſpes loqueris. Rurſus ille, Et tamẽ, ait, afferte mihi Euchariſtiam. Qua accepta in manu interrogauit, ſi omnes placidũ erga ſe animũ, & ſine querela controuerſiæ ac rancoris haberent. Reſpondebãt omnes, placidiſsimã ſe mentẽ ad illũ, & ab omni ira remotã habere. eumq; uiciſsim rogabant, an placidã erga ipſos mentẽ haberet? qui cõfeſtim reſpõdit, Placidã ego mentẽ, filioli, erga omnes famulos Dei gero. Sicq; ſe cœleſti muniẽs uiatico uitæ alterius ingreſſui parauit, & interrogauit, Quã propè eſſet hora





qua fratres ad dicẽdas Domino laudes nocturnas excitari deberẽt. Reſpõdebãt, Nõ lõgè eſt. At ille, Bene ergo, expectemus horã illã. Et ſignãs ſe ſigno ſanctæ crucis reclinauit caput ad ceruical, modicũq; obdormiẽs ita cũ ſilentio uitam finiuit. Sicq; factũ eſt, ut quomodo ſimplici ac pura mente, trãquillaq; deuotione Domino ſeruierat, ita etiam tranquilla morte mundum relinquens ad eius uiſionem ueniret: illaq; lingua quæ tot ſalutaria uerba in laudem conditoris compoſuerat, ultima quæq; uerba in laudem ipſius ſignando ſeſe, & ſpiritũ ſuum in manus eius commendando clauderet: qui etiam præſcius ſui obitus extitiſſe ex his quæ narrauimus, uidetur.

*Qualis uiſio cuidam uiro Dei apparuerit, priuſquam monaſterium Colodanæ urbis eſſet incendio conſumptum.* Cap. XXV.

HIs temporibus monaſteriũ uirginũ, quod Coludi urbem cognominant, cuius & ſuprà meminimus, per culpam incuriæ flammis abſumptum eſt. Quod tamen à militia inhabitantium in eo, & pręcipuè illorum, qui maiores eſſe uidebantur, contigiſſe omnes qui nouere, facilimè potuerunt aduertere. Sed non defuit puniendis admonitio diuinæ pietatis, qua correcti per ieiunia, fletus & preces, iram à ſe inſtar Niniuitarum iuſti iudicis auerterent. Erat nanque in eodem monaſterio uir de genere Scotorum Adamanus uocabulo, ducens uitam in cõtinentia & orationibus multũ Deo deuotã, ita ut nil unquã cibi uel potus, excepta die Dominica & quinta Sabbati, perciperet, ſæpe autem noctes integras peruigil in oratione tranſigeret. Quæ quidem illi diſtrictio uitę arctioris primò ex neceſsitate emendandæ ſuæ prauitatis obuenerat: ſed procedente tempore neceſsitatem in conſuetudinem uerterat. Siquidem in adoleſcentia ſua ſceleris aliquid commiſerat, quod cõmiſſum ubi ad cor ſuum redijt, grauiſsimè exhorruit, & ſe pro illo puniendum à diſtricto iudice timebat. Accedens ergo ad ſacerdotem, à quo ſibi ſperabat iter ſalutis poſſe demõſtrari, confeſſus eſt reatum ſuum, petijtq; ut conſiliũ ſibi daret, quo poſſet fugere à uentura Dei ira. Qui audito eius cõmiſſo dixit, Grande uulnus grandioris curã medelæ deſiderat, & ideo ieiunijs, pſalmis & orationibus quantum uales inſiſte, quo præoccupando faciẽ Domini in cõfeſsione propitiũ eum inuenire merearis. At ille quem nimius reæ conſcientię tenebat dolor, & internis peccatorũ uinculis quibus grauabatur, ocyus deſiderabat abſolui, Adoleſcentior ſum (inquit) ætate, & uegetus corpore, quicqd mihi impoſueris agendũ, dummodo ſaluus fiã in die Domini, totũ facilè ferã, etiamſi totã noctem ſtando in precibus peragere, & integram ſeptimanam iubeas abſtinendo tranſigere. Qui dixit, Multũ eſt, ut tota ſeptimana abſq; alimento corporis perdures, ſed biduanũ uel triduanũ ſatis eſt obſeruare ieiunium. Hoc facito donec poſt modicũ tempus rediens ad te, quid facere debeas, & quamdiu pœnitẽtiæ inſiſtere tibi plenius oſtendam. Quibus dictis & deſcripta illi menſura pœnitendi, abijt ſacerdos: & ingruente cauſa ſubita, ſeceſsit in Hyberniam, unde originẽ duxerat: neq; ultrà ad eum iuxta ſuũ cõdictum redijt. At ipſe memor præcepti eius, ſimul & promiſsi ſui, totũ ſe lachrymis, pœnitentiæ, uigilijs ſanctis, & cõtinentię mancipauit, ita ut quinta ſolũ Sabbati & Dominica (ſicut prædixi) reficeretur, cæteris ſeptimanæ diebus ieiunus permaneret. Cumq; ſacerdotẽ ſuum in Hyberniam ſeceſsiſſe, ibiq; defunctũ eſſe audiſſet, ſemper ex eo tempore, iuxta condictũ eius memoratum, continentiæ modum obſeruabat: & quod cauſa diuini timoris ſemel ob reatũ compunctus cœperat, iam cauſa diuini amoris delectatus præmijs indefeſſus agebat. Quod dũ multo tempore ſedulus exequeretur, cõtigit eũ die quadã de monaſterio illo longius egreſſum, comitãte ſecũ uno de fratribus peracto itinere redire: qui cùm monaſterio propinquarent, & ædificia illius ſublimiter erecta aſpicerẽt, ſolutus eſt in lachrymas uir Dei, & triſtitiã cordis uultu indice prodebat. Quod intuens comes, quare faceret, inquiſiuit. At ille, Cuncta, inquit, hæc quæ cernis ædificia publica uel priuata in proximo eſt, ut ignis abſumens in cinerẽ cõuertat. Quod ille audiens, mox ut intrauerunt monaſteriũ matri congregationis uocabulo Ebbę, curauit indicare. At illa meritò turbata de tali pręſagio, uocauit ad ſe uirũ, & diligẽtius ab eo rẽ, uel unde hoc ipſe noſſet inquirebat. qui ait, Nuper præoccupatus noctu uigilijs & pſalmis, uidi aſtantẽ mihi ſubitò quendam incogniti uultus, cuius pręſentia cùm eſſem exterritus, dixit mihi, ne timerẽ: & quaſi familiari me uoce alloquẽs, Bene facis, inquit, qui tẽpore iſto nocturno quietis, nõ ſomno indulgere, ſed uigilijs & orationibus inſiſtere ualuiſti. At ego: Noui, inquit, multũ mihi eſſe neceſſe uigilijs ſalutarib. inſiſtere, & pro meis erratibus ſedulò Dominũ deprecari. qui adijciẽs, Verũ, inquit, dicis, quia tibi & multis opus eſt peccata ſua bonis operibus redimere, & cùm ceſſant à laboribus rerum temporaliũ, tunc pro appetitu æternorũ bonorum liberius laborare: ſed hoc tamẽ pauciſsimi faciunt. Siquidem modò totũ hoc monaſteriũ ex ordine perluſtrans ſingulorũ caſas ac lectos inſpexi, & neminẽ ex omnibus præter te erga ſanitatẽ animæ ſuæ occupatum reperi: ſed omnes prorſus & uiri & fœminæ aut ſomno torpent inerti, aut ad peccata uigilant. Nam & domunculæ quæ ad orandum uel legendum factę erant, nunc in comeſſationum, potationum, fabulationum, & cæterarum ſunt illecebrarũ cubilia conuerſæ. Virgines quoq; Deo dicatæ, cõtẽpta reuerẽtia ſuæ profeſsionis, quotieſcunq; uacant, texendis ſubtilioribus indumentis operam dant, quibus aut ſe ipſas ad uicem ſponſarum in periculum ſui ſtatus adornent, aut externorum ſibi uirorum amicitiam comparent: unde meritò loco huic & habitatoribus eius

grauis de cœlo uindicta flãmis ſæuientibus præparata eſt. Dixit autem abbatiſſa, Et quare non citius hoc compertum mihi reuelare uoluiſti? Qui reſpondit, Timui propter reuerentiã tuã, ne forte nimium conturbareris: & tamen hanc conſolationem habeas, quòd in diebus tuis hæc plaga non ſuperueniet. Qua diuulgata uiſione aliquantulum loci accolæ paucis diebus timere, & ſeipſos intermiſsis facinoribus caſtigare cœperunt. Verùm poſt obitũ ipſius abbatiſſæ redierunt ad priſtinas ſordes, imò ſceleratiora fecerunt. Et cùm dicerent pax & ſecuritas, extẽplò præfatæ ultionis ſunt pœna multati. Quę mihi cuncta ſic eſſe facta reuerẽdiſsimus meus conpresbyter Edgils referebat, qui tunc in illo monaſterio degebat. Poſtea autem diſcedentibus inde ob deſolationẽ plurimis incolarum, in noſtro monaſterio plurimo tempore conuerſatus, ibidemq; defunctus eſt. Hæc ideo noſtræ hiſtoriæ inſerenda credidimus, ut admoneremus lectorem operum Domini, quàm terribilis ſit in conſilijs ſuper filios hominũ, ne forte nos tẽpore aliquo carnis illecebris ſeruiẽtes, minusq; Dei iudicium formidantes, repentina ira eius corripiat, & uel temporalibus damnis iuſtè ſæuiens affligat, uel ad perpetuam perditionẽ diſtrictius examinans tollat.

*De morte Ecgfridi & Lotheri regum.*
*Caput* XXVI.

ANno Dominicæ incarnationis ſexcenteſimo octogeſimo quarto, Ecgfridus rex Nordan Humbrorũ miſſo in Hyberniam cum exercitu duce Berto, uaſtauit miſerè gentem innoxiam, & nationi Anglorũ ſemper amiciſsimã, ita ut nec eccleſijs quidem aut monaſterijs manus parceret hoſtilis. At inſulani & quantũ ualuere armis, arma repellebant, & inuocantes diuinæ auxilium pietatis cœlitus ſe uindicari cõtinuis diu imprecationibus poſtulabãt. Et quãuis maledici regnũ Dei poſsidere non poſsint, creditũ tamen eſt quod hi qui meritò impietatis ſuæ maledicebantur, ocyus Domino uindice pœnas ſui reatus luerẽt. Siquidem anno poſt hunc proximo, idem rex cùm temerè exercitũ ad uaſtandam Pictorũ prouinciã duxiſſet, multum prohibentibus amicis, & maximè beatæ memoriæ Cutberto, qui nuper fuerat ordinatus epiſcopus, introductus eſt (ſimulantibus fugã hoſtibus) in anguſtias inacceſſorũ montiũ, & cum maxima parte copiarũ quas ſecũ adduxerat, extinctus, anno ętatis ſuę quadrageſimo, regni autẽ quintodecimo, die XIII. Kalendarum Iuniarũ. Et quidem (ut dixi) prohibuerũt amici, ne hoc bellum iniret, ſed quomodo anno præcedẽte noluerat audire reuerendiſsimũ patrem Ecgbertũ, ne Scotiam nil ſe lædentem impugnaret, datum eſt illi ex pœna peccati illius, ne nunc eos qui ipſum ab interitu reuocare cupiebant, audiret. Ex quo tempore ſpes cœpit & uirtus regni Anglorũ fluere, ac retro ſublapſa referri. Nam & Picti terram poſſeſsionis ſuæ quam tenuerunt Angli & Scoti, qui erãt in Britannia, & Britonum quoq; pars nõnulla; libertatẽ receperunt, quam & hactenus habent per annos circiter quadraginta ſex. Vbi inter plurimas gentes Anglorũ uel interemptos gladio, uel ſeruitio addictos, uel de terra Pictorũ fuga lapſos, etiam reuerendiſsimus uir domini Trumuuini, qui in eos epiſcopatũ acceperat, receſsit cum ſuis qui erant in monaſterio Ebbercuni, poſito quidem in regione Anglorũ, ſed in uicinia freti, quod Anglorũ terras Pictorumq; diſterminat: eoſq; ubicũq; poterat, amicis per monaſteria commendans; ipſe in ſæpè dicto famulorũ famularumq; Dei monaſterio, quod uocatur Streaneshalch, locũ mãſionis elegit: ibiq; cum paucis ſuorũ in monachica diſtrictione uitam nõ ſibi ſolũmodo, ſed & multis utilẽ plurimo annorũ tempore duxit: ubi etiã defunctus in eccleſia beati Petri apoſtoli iuxta honorẽ & uita & gradu eius condignũ conditus eſt. Præerat quidem tunc eidẽ monaſterio regia uirgo Elflet, unà cum matre Eanflede, quarum ſuprà fecimus mentionẽ. Sed adueniente illuc epiſcopo, maximũ regendi auxilium, ſimul & ſuę uitę ſolatium deuota Deo doctrix inuenit. Succeſſit autem Ecgfrido in regnum Altfrit uir in ſcripturis doctiſsimus, qui frater eius & filius Oſuini regis eſſe dicebatur. Deſtructumq; regni ſtatum, quãuis intra fines anguſtiores, nobiliter recuperauit. Quo uidelicet annò, qui eſt ab incarnatione Dominica ſexcenteſimus octogeſimus quintus, Lothere Cantuariorum rex cùm poſt Ecgbertũ fratrem ſuum, qui nouẽ annis regnauerat, ipſe duodecim annis regnaſſet, mortuus erat octauo idus Februarij. Vulneratus nanq; eſt in pugna Auſtralium Saxonum, quã contra eum Edric, filius Ecgberti aggregarat, & inter medendum defunctus eſt. Ac poſt eum idem Edric anno uno ac dimidio regnauit: quo defuncto regnũ illud per aliquod temporis ſpacium reges dubij uel externi diſperdiderũt, donec legitimus rex Victred, id eſt, filius Ecgberti cõfortatus in regno, religione ſimul & induſtria gentẽ ſuã ab extranea inuaſione liberaret.

*Vt uir Domini Cudbertus ſit epiſcopus factus, utq; in monachica adhuc uita poſitus uixerit & docuerit.*
*Caput* XXVII.

IPſo etiam anno, quo finem uitæ accepit rex Ecgfridus, epiſcopum (ut diximus) fecit ordinari Lindisfarnenſium eccleſię, uirum ſanctum & uenerabilem Cudbertum, qui in inſula permodica, quæ appellatur Farne, & ab eadem eccleſia nouem fermè milibus paſſuum in Oceano procul abeſt, uitam ſolitariã per annos plures in magna corporis & mentis cõtinentia duxerat. Qui quidem à prima ætate pueritiæ ſtudio religioſæ uitę ſemper ardebat: ſed ab ineunte adoleſcentia monachicum & nomen aſſumpſit, & habitum. Intrauit enim primò monaſterium Mailros, quod in ripa Tindi fluminis poſitum, tunc abbas Eata uir omnium manſuetiſ-

ſimus



ſimus regebat: qui poſtea epiſcopus Haguſtaldenſis ſiue Lindisfarnenſis eccleſiæ factus eſt, ut ſuprà memorauimus: cui tempore illo præpoſitus Boiſil magnarũ uirtutum & prophetici ſpiritus ſacerdos fuit. Huius diſcipulatui Cudbertus humiliter ſubditus, & ſcientiã ab eo ſanctarum ſcripturarum, & bonorũ operum ſumpſit exempla. Qui poſtquam migrauit ad Dominũ, Cudbertus eidem monaſterio factus præpoſitus, plures & auctoritate magiſtri, & exemplo ſuæ actionis, regularem inſtituebat ad uitam. Nec ſolũ ipſi monaſterio regularis uitæ monita, ſimul & exempla prębebat, ſed & uulgus circumpoſitum longè lateq; à uita ſtultæ conſuetudinis ad cœleſtium gaudiorũ conuertere curabat amorem. Nam & multi fidem quã habebant, iniquis profanabant operibus: & aliqui etiã tempore mortalitatis neglectis fidei ſacramentis (quibus erant imbuti) ad erratica idololatriæ medicamina concurrebant, quaſi miſſam à Deo conditore plagam per incantationes uel philacteria, uel alia quælibet dæmoniacæ artis arcana cohibere ualerẽt. Ad utrorũq; ergo corrigendum errorem, crebrò ipſe de monaſterio egreſſus, aliquotiẽs equo ſedens, ſed ſæpius pedibus incedens, circumpoſitas ueniebat ad uillas, & uiam ueritatis prædicabat errantibus, quod ipſum etiam Boiſil ſuo tempore facere cõſueuerat. Erat quippe moris eo tempore populis Anglorum, ut ueniente in uillam clerico uel presbytero, cuncti ad eius imperiũ uerbum audituri confluerent, libenter ea quæ dicerentur, audirent, libentius ea quæ audire & intelligere poterant, operando ſequerentur. Porrò Cudberto tanta erat dicendi peritia, tantus amor perſuadendi quę docuerat, tale uultus angelici lumen, ut nullus præſentium latebras ei ſui cordis celare præſumeret, quin omnes palàm quæ geſſerant, confitendo proferrẽt: quia nimirum hæc eadem illum latere nullo modo putarent, & confeſſa dignis (ut imperabat) pœnitentiæ fructibus abſtergerent. Solebat aũt ea maximè loca peragrare, & illis prædicare in uiculis, qui in arduis aſperiſq; montibus procul poſiti alijs horrori erant ad uiſendum, & paupertate pariter ac ruſticitate ſua doctorum arcebant acceſſum. Quos tamen ille libenter pio mancipatus labori tanta doctrinæ ſolertis excolebat induſtria, ut de monaſterio egreſſus ſæpè hebdomada integra, aliquando duabus uel tribus, nonnunquam etiam menſe pleno domũ non rediret: ſed demoratus in montanis plebẽ ruſticã uerbo prędicationis, ſimul & opere uirtutis ad cœleſtia uocaret. Cùm ergo uenerabilis Domini famulus multos in Mailroſenſi monaſterio degens annos, magnis uirtutum ſignis effulgeret, tranſtulit eum reuerẽdiſsimus abbas ipſius Eata ad inſulam Lindisfarnẽſium, ut ibi quoq; fratribus cuſtodiam diſciplinæ regularis & auctoritate præpoſiti intimaret, & propria actione præmonſtraret. Nam & ipſum locum tunc idem reuerendiſsimus pater abbatis iure regebat. Siquidẽ à temporibus antiquis ibidem & epiſcopus cum clero, & abbas ſolebat manere cum monachis, qui tamen & ipſi ad curam epiſcopi familiariter pertinerent. Quia nimirum Aidan, qui primus eius loci epiſcopus fuit, cum monachis illuc & ipſe monachus adueniens, monachicã in eo conuerſationẽ inſtituit, quomodo & prius beatus pater Auguſtinus in Cantia feciſſe noſcitur, ſcribente ei reuerendiſsimo papa Gregorio, quod & ſuprà poſuimus. Sed quia tua fraternitas, inquit, monaſterij regulis erudita ſeorſum fieri nõ debet à clericis ſuis in eccleſia Anglorum, quæ nuper auctore Deo ad fidem perducta eſt, hanc debet cõuerſationem inſtituere, quæ in initio naſcentis eccleſiæ fuit patribus noſtris, in quibus nullus eorum ex his qui poſsidebant, aliquid ſuum eſſe dicebat: ſed erant eis omnia communia.

*Vt idem in uita anachoretica, & fontem de ſaxoſa terra orando produxerit, & ſegetem de labore manuũ ultra tempus ſerendi acceperit.*
*Caput* XXVIII.

EXin Cudbertus creſcẽtibus meritis religioſæ intentionis ad anachoreticę quoq; contẽplationis (quæ diximus) ſilentia ſecreta peruenit. Verũ quia de uita illius & uirtutibus ante annos plures ſufficienter & uerſibus heroicis, & ſimplici oratione conſcripſimus, hoc tantum in pręſenti cõmemorare ſatis ſit, quòd aditurus inſulam proteſtatus eſt fratribus dicens: Si mihi diuina gratia in loco illo donauerit, ut de opere manuũ mearum uiuere queam, libens ibi morabor: ſin aliàs, ad uos citiſsimè Deo uolente reuertar. Erat autem locus & aquæ prorſus & frugis & arboris inops, ſed & ſpirituũ malignorum frequentia humanæ habitationi minus accõmodus: ſed ad uotũ uiri Dei habitabilis per omnia factus eſt. Siquidem ad aduentũ eius ſpiritus receſſerunt maligni. Cùm aũt ipſe ſibi ibidem expulſis hoſtibus manſionem anguſtã circumuallãte aggere, & domos in ea neceſſarias iuuante fratrũ manu, id eſt, oratoriũ & habitaculũ cõmune cõſtruxiſſet, iuſsit fratres in eiuſdem habitaculi pauimento foueam facere: erat aũt tellus duriſsima & ſaxoſa, cui nulla omnino ſpecies uenæ fontanæ uideretur ineſſe. Quod dum facerent ad fidẽ & preces famuli Dei, alio die aqua plena inuenta eſt, quę uſq; ad hanc diẽ ſufficientẽ cunctis illò aduenientibus gratię ſuę cœleſtis copiã miniſtrat. Sed & ferramẽta ſibi ruralia cum frumento afferri rogauit, quod dũ pręparata terra tempore cõgruo ſeminaret, nil omnino nõ dico ſpicarum, ſed ne herbæ quidẽ ex eo germinari uſq; ad æſtatis tempora contigit. Vnde uiſitantibus ſe ex more fratribus hordeum iuſsit afferri, ſi fortè uel natura ſoli illius, uel uolũtas eſſet ſuperni largitoris, ut illius frugis ibi potius ſeges oriretur. Quod dum ſibi allatum ultra omne tempus ſerẽdi, ultra omnem ſpem fructificandi eodem in agro ſereret, mox copioſa ſeges exorta deſideratam proprij laboris uiro Dei refectionem præbebat. Cum

ergo

ergo ibidem multis annis Deo ſolitarius ſeruiret (tanta autem erat altitudo aggeris quo manſio eius erat uallata, ut cœlum tantum ex ea, cuius introitum ſitiebat, aſpicere poſſet) contigit ut congregata ſynodo non parua ſub præſentia regis Ecgfridi iuxta fluuium Alnæ, in loco qui dicitur Adtuuiforda, quod ſignificat ad duplex uadum, cui beatæ memoriæ Theodorus archiepiſcopus præſidebat, uno animo omniumq; cõſenſu ad epiſcopatum eccleſiæ Lindisfarnenſis eligeretur. Qui cùm multis legatarijs ac literis ad ſe præmiſsis nequaquã ſuo monaſterio poſſet erui, tandem rex ipſe præfatus unà cum ſanctiſsimo antiſtite Trumuuini, necnõ & alijs religioſis ac potentibus uiris in inſulã nauigauit. Conueniunt & de ipſa inſula Lindisfarnenſi in hoc ipſum multi de fratribus, genu flectunt, omnes adiurant per Dominũ, lachrymas fundunt, obſecrant, donec ipſum quoq; lachrymis dulcibus plenum extrahunt latebris, atq; in ſynodũ pertrahunt. Quò dum perueniret, quãuis multum renitens, unanima cunctorũ uoluntate ſuperatur, atq; ad ſuſcipiendũ epiſcopatus officiũ collum ſubmittere compellitur: eo maximè uictus ſermone, quòd famulus Dei Boiſil (cũ mẽte prophetica cuncta, quæ ei eſſent ſuperuentura, patefaceret) antiſtitem quoq; eum futurum eſſe prædixerat. Non tamen ſtatim ordinatio decreta, ſed peracta hyeme quæ imminebat in ipſa ſolẽnitate Paſchali completa eſt Eboraci, ſub præſentia præfati regis Ecgfridi, conueniẽtibus ad cõſecrationem eius ſeptem epiſcopis, in quibus beatæ memorię Theodorus primatũ tenebat. Electus eſt autem primò in epiſcopatũ Haguſtaldẽſis eccleſiæ pro Trumberto, qui ab epiſcopatu fuerat depoſitus. Sed quoniam ipſe plus Lindisfarnenſi eccleſiæ, in qua cõuerſatus fuerat, dilexit præfici, placuit ut Eata reuerſo ad ſedem eccleſiæ Haguſtaldenſis, cui regendæ primò fuerat ordinatus, Cudbertus eccleſię Lindisfarnenſis gubernacula ſuſciperet. Qui ſuſceptum epiſcopatus gradum, ad imitationẽ beatorum apoſtolorum, uirtutũ ornabat operibus. Commiſſam nanq; ſibi plebem & orationibus protegebat aſsiduis, & admonitionibus ſaluberrimis ad cœleſtia uocabat. Et (quod maximè doctores iuuare ſolet) ea quæ agenda docebat, ipſe prius agendo præmõſtrabat. Erat quippe ante omnia diuinę charitatis igne feruidus, patientię uirtute modeſtus, orationum deuotioni ſolertiſsimè intentus, affabilis omnibus, qui ad ſe conſolationis gratia ueniebãt. Hoc ipſum quoq; orationis loco ducẽs, ſi infirmis fratribus opem ſuæ exhortationis tribueret, ſciens quia qui dixit: Diliges Dominũ Deum tuum: dixit &, Diliges proximum tuum ſicut teipſum. Erat & abſtinentię caſtigatione inſignis, erat gratia compunctionis ſemper ad cœleſtia ſuſpenſus. Deniq; cum ſacrificium Deo uictimæ ſalutaris offerret, non eleuata in altum uoce, ſed profuſis ex imo pectore lachrymis, Domino ſua uota cõmendabat. Duobus autem annis in epiſcopatu peractis, repetijt inſulam ac monaſteriũ ſuum diuino admonitus oraculo, quia dies ſibi mortis, uel uitę magis illius, quę ſola uita dicẽda eſt, iã appropiaret introitus. Sicut ipſe quoq; tẽpore eodẽ nõnullis, ſed uerbis obſcurioribus, quæ tamẽ poſtmodum manifeſtè intelligerentur, ſolita ſibi ſimplicitate pandebat: quibuſdam autem hoc idem etiam manifeſtè reuelabat.

*Vt idem iam epiſcopus obitum ſuum proximè futurum Hereberto prædixerit.* Caput XXIX.

ERat enim quidam presbyter uitæ & morũ probitate uenerabilis, nomine Herebertus, iamdudum uiro Dei ſpiritalis amicitiæ fœdere copulatus: qui in inſula ſtagni illius pergrãdis, de quo Deruuentionis fluuij primordia erumpunt, uitam ducens ſolitariam, annis ſingulis eum uiſitare, & monita perpetuæ ab eo ſalutis audire ſolebat. Hic cum audiret eum ad ciuitatem Lugubaliam deueniſſe, uenit ex more cupiẽs ſalutaribus eius exhortationibus ad ſuperna deſideria magis magiſq; accendi. Qui dum ſeſe alterutrum cœleſtis uitę poculis ebriarent, dixit inter alia antiſtes: Memento, frater Hereberte, ut modò quicquid opus habes, me interroges, mecumq; loquaris: poſtquam enim ab inuicem digreſsi fuerimus, non ultrà nos in hoc ſeculo carnis obtutibus inuicẽ aſpiciemus. Certus ſum namq;, quia tempus meæ reſolutionis inſtat, & uelox eſt depoſitio tabernaculi mei. Qui hæc audiens, prouolutus eſt eius ueſtigijs, & fuſis cũ gemitu lachrymis, Obſecro (inquit) per Dominum, ne me deſeras: ſed tui memor ſis fideliſsimi ſodalis, rogeſq; ſupernam pietatẽ, ut cui ſimul in terris ſeruiuimus, ad eius uidendam gratiam ſimul tranſeamus ad cœlos. Noſti enim, quia ad tui oris imperium ſemper uiuere ſtudui, & quicquid ignorantia uel fragilitate deliqui, æquè ad tuæ uoluntatis examen mox emendare curaui. Incubuit precibus antiſtes, ſtatimq; edoctus in ſpiritu impetraſſe ſe quod petebat à Domino, Surge (inquit) frater mi, & noli plorare, ſed gaudio gaude: quia quod rogauimus, ſuperna nobis clementia donauit. Cuius promiſsi & prophetiæ ueritatẽ ſequens rerum aſtruxit euentus: quia & digredientes ab inuicem non ſe ultrà corporaliter uiderunt, ſed uno eodemq; die, hoc eſt, Kalendarum Apriliũ tertiadecima egredientes è corpore ſpiritus eorũ, mox beata inuicem uiſione cõiuncti ſunt, atq; angelico miniſterio pariter ad regnũ cœleſte trãſlati. Sed Herebertus diutina prius infirmitate decoquitur, illa ut credibile eſt diſpenſatione Dominicæ pietatis, ut ſi quid minus haberet meriti à beato Cudberto, ſuppleret hoc caſtigãs lõgæ ægritudinis dolor, quatenus æquatus gratia ſuo interceſſori, ſicut uno eodemq; tẽpore cũ eo de corpore egredi, ita etiam una atque indiſsimili ſede perpetuę beatitudinis meruiſſet recipi. Obijt aũt pater reuerẽdiſsimus in inſula Farne, multũ deprecatus fratres, ut ibi & q; ſepeliretur, ubi non paruo tempore pro Domino militarat, Attamen tandem eorum precibus uictus,



uictus, aſſenſum dedit, ut ad inſulam Lindisfarnẽſium relatus, in eccleſia deponeretur. Quod dum factum eſſet, epiſcopatum eccleſiæ illius anno uno ſeruabat uenerabilis antiſtes Vuilfridus, donec eligeretur qui pro Cudberto antiſtes ordinari deberet. Ordinatus eſt autẽ poſt hæc Eadbertus, uir ſcientia ſcripturarũ diuinarum, ſimul & præceptorũ cœleſtium obſeruantia, ac maximè eleemoſynarum operatione inſignis: ita ut iuxta legẽ omnibus annis decimã, non ſolùm quadrupedum, uerumetiam frugũ omnium atq; pomorum, necnon & ueſtimentorum partem pauperibus daret.

*Vt corpus illius poſt undecim annos ſepulturæ ſit corruptionis immune repertum: utq; non multò pòſt ſucceſſor epiſcopatus eius de mundo tranſierit.* Cap. XXX.

VOlens autem latius demonſtrare diuina diſpenſatio, quanta in gloria uir Domini Cudbertus poſt mortem uiueret, cuius ante mortẽ uita ſublimis crebris etiam miraculorũ patebat indicijs, tranſactis ſepulturę eius annis undecim immiſit in animo fratrum, ut tollerẽt oſſa illius: qui more mortuorum cõſumpto iam & in puluerem redacto corpore, reliqua ſicca inuenienda putabant, atq; in nouo recondita loculo in eodem quidem loco, ſed ſupra pauimentum dignæ uenerationis gratia locarent. Quod dum ſibi placuiſſe Eadberto antiſtiti ſuo referrent, annuit conſilio eorum, iuſsitq; ut die depoſitionis eius hoc facere meminiſſent. Fecerunt autẽ ita: & aperientes ſepulchrũ, inuenerunt corpus totũ, quaſi adhuc uiueret integrũ, & flexibilibus artuum compagibus multò dormienti quàm mortuo ſimilius: ſed & ueſtimenta omnia quibus indutũ erat nõ ſolum intemerata, uerumetiam priſca nouitate & claritudine miranda apparebant. Quod ubi uidere fratres, nimio mox timore perculſi feſtinauerunt referre antiſtiti quæ inuenerant, qui tum fortè in remotiori ab eccleſia loco refluis undique pelagi fluctibus cincto, ſolitarius manebat. In hoc etenim ſemper Quadrageſimæ tempus agere, in hoc quadraginta ante Dominicum natale dies in magna continentiæ, orationis & lachrymarum deuotione tranſigere ſolebat: in quo etiã uenerabilis prædeceſſor eius Cudbertus, priuſquam inſulam Farne peteret, aliquandiu ſecretius Domino militabat. Attulerũt autem ei & partem indumentorũ, quę corpus ſanctum ambierant, quæ cum ille & munera gratanter acciperet, & miracula libenter audiret (nam & ipſa indumenta quaſi patris adhuc corpori circundata, miro deoſculabatur affectu) Noua, inquit, indumenta corpori pro his quæ tuliſtis, circundate, & ſic reponite in arcã quam paraſtis. Scio aũt certiſsimè, quòd nõ diu uacuus remanebit locus ille, qui tanta miraculi cœleſtis gratia ſacratus eſt. &, quàm beatus eſt, cui in eo facultatem quieſcendi Dominus totius beatitudinis auctor atq; largitor præſtare dignabitur. Hæc & huiuſmodi plura ubi multis cũ lachrymis, & magna compunctione antiſtes lingua etiã tremente cõpleuit, fecerunt fratres ut iuſſerat, & inuolutũ nouo amictu corpus, nouaq; in theca reconditum ſupra pauimentũ ſanctuarij poſuerunt. Nec mora, Deo dilectus antiſtes Eadbertus morbo correptus eſt acerbo, ac per dies crẽſcente, multumq; ingraueſcente ardore languoris, non multo pòſt, id eſt, pridie nonas Maias etiã ipſe migrauit ad Dominũ: cuius etiam corpus in ſepulchro benedicti patris Cudberti ponentes, poſuerunt deſuper arcã, in qua incorrupta eiuſdem patris membra locauerant: in quo etiam loco ſigna ſanitatũ aliquoties facta meritis amborum teſtimonium ferunt, è quibus aliqua in libro uitæ illius olim memoriæ mandauimus. Sed & in hac hiſtoria quædam quæ nos nuper audiſſe contigit, ſuperadijcere commodum duximus.

*Vt quidam ad tumbam eius ſit à paralyſi curatus.* Caput XXXI.

ERat in eodem monaſterio frater quidam nomine Beaduuegen, tempore non pauco hoſpitium miniſterio deſeruiens, qui nunc uſq; ſupereſt, teſtimonium habens ab uniuerſis fratribus, cũctiſq; ſuperueniẽtibus hoſpitibus, quod uir eſſet multæ pietatis ac religionis: iniunctoq; ſibi officio ſupernæ tantũ mercedis gratia ſubditus. Hic cùm quadam die lænas ſiue ſaga, quibus in hoſpitali utebatur, in mare lauiſſet, rediens domum repẽtina medio itinere moleſtia corporali tactus eſt, ita ut corruẽs in terram, & aliquamdiu pronus iacens, uix tandem reſurgeret. Reſurgens autem ſenſit dimidiã corporis ſui partem à capite uſq; ad pedes paralyſis languore depreſſam, & maximo cũ labore baculo innitẽs domũ peruenit. Creſcebat morbus paulatim, & nocte ſuperueniente grauior effectus eſt, ita ut die redeunte uix ipſe per ſe exurgere aut incedere ualeret. Quo affectus incõmodo concepit utile mente cõſilium, ut ad eccleſiam quoquo modo poſſet perueniẽs, intraret ad tũbam reuerendiſsimi patris Cudberti, ibiq; genibus flexis ſupplex ſupernam pietatem rogaret, ut uel ab huiuſcemodi languore, ſi hoc ſibi utile eſſe, liberaretur: uel ſi ſe tali moleſtia diutius caſtigari diuina prouidente gratia oporteret, patienter dolorem ac placida mente ſuſtineret illatum. Fecit igitur ut animo diſpoſuerat, & imbecilles artus baculo ſuſtentãs intrauit eccleſiã, ac proſternens ſe ad corpus uiri Dei, pia intentione per eius auxiliũ Dominũ ſibi fieri propitiũ precabatur: atq; inter preces uelut in ſoporẽ ſolutus, ſenſit (ut ipſe poſtea referre erat ſolitus) quaſi magnã latãq; manũ caput ſibi in parte qua dolebat, tetigiſſe, eodẽq; tactu totã illã, quæ languore preſſa fuerat, corporis ſui partẽ paulatim fugiẽte dolore ac ſanitate ſubſequẽte ad pedes uſq; pertranſiſſe. Quo facto mox euigilans ſaniſsimus ſurrexit, ac pro ſua ſanitate Domino gratias denuò referens, quid erga ſe actũ eſſet, fratribus indicauit: cũctiſq; cõgaudentibus, ad miniſteriũ qđ ſolicitus exhibere ſolebat, quaſi flagel-

flagello probante caſtigatior rediјt. Sed & indumenta quibus Deo dicatum corpus Cudberti uel uiuum antea, uel poſtea defunctum ueſtierant, etiam ipſa à gratia curandi non uacarunt: ſicut in uolumine uitæ & uirtutum eius quiſq; legerit, inueniet.

*Vt quidam ad reliquias eius nuper fuerit ab oculi languore curatus.* Cap. XXXII.

NEc ſilentio prætereundum, quòd ante triennium per reliquias eius factum, nuper mihi per ipſum in quo factum eſt, fratrem innotuit. Eſt autem factũ in monaſterio, quod iuxta amnem Dacore conſtructum ab eo cognomen accepit, cui tunc uir religioſus Suidbertus abbatis iure præfuit. Erat namq; in eo quidam adoleſcens, cui tumor deformis palpebram oculi fœdauerat, qui cùm per dies creſcens oculo interitum minaretur, curabant medici hunc appoſitis pigmentorum fomentis emollire: nec ualebant. quidam abſcindendum eſſe dicebãt, alij hoc fieri metu maioris periculi, uetabant. Cumq; tempore non pauco frater præfatus tali incommodo laboraret, neq; imminens oculo exitiũ humana manus curare ualeret, quin potius per dies augeſceret, contigit eum ſubitò diuinæ pietatis gratia per ſanctiſsimi patris Cudberti reliquias ſanari. Nam quando fratres ſui corpus ipſius poſt multos ſepulturæ annos incorruptum repererant, tulerunt partem de capillis, quam more reliquiarum rogantibus amicis dare uel oſtendere in ſignum miraculi poſſent. Harum particulam reliquiarum eo tempore habebat penes ſe quidã de presbyteris eiuſdem monaſterij, nomine Thridredus, qui nunc ipſius monaſterij abbas eſt. Qui cùm die quadã ingreſſus eccleſiam aperuiſſet thecam reliquiarum, ut portionem earum roganti amico præſtaret, contigit & ipſum adoleſcentem, cui oculus languebat, in eadem tunc eccleſia adeſſe: cumq; presbyter portionem (quantam uoluit) amico dediſſet, reſiduum dedit adoleſcenti, ut ſuo in loco reponeret. At ille ſalubri inſtinctu admonitus, cùm accepiſſet capillos ſancti capitis, appoſuit palpebrę languenti, & aliquandiu tumorem illum infeſtum horum appoſitione comprimere ac mollire curabat. Quo facto, reliquias ut iuſſerat, ſua in theca recondidit, credens ſuum oculum capillis uiri Dei, quibus attactus erat, ocyus eſſe ſanandum. Neque enim eum ſua fides fefellit. Erat enim, ut referre eſt ſolitus, tunc circiter horam ſecundam diei. Sed cùm alia quæq; dies illa exigebat, cogitaret & faceret, imminente hora ipſius diei ſexta, repẽtè contingens oculum ita ſanũ cum palpebra inuenit, ac ſi nihil unquam in eo deformitatis ac tumoris apparuiſſet.

QVARTI LIBRI FINIS.

# Eccleſiaſticæ Hiſtoriæ gentis Anglorum,

## LIBER V.

*Vt Aediluualdus ſucceſſor Cudberti in anachoretica uita laborans, in mari fratribus tempeſtatẽ orando ſedauerit.* Cap. I.

SVCCESSIT autẽ uiro domini Cudberto in exercenda uita ſolitaria, quam in inſula Farne, ante epiſcopatus ſui tempora gerebat, uir uenerabilis Aediluualdus, qui multis annis in monaſterio, quod dicitur Inripum, acceptum presbyteratus officium, condignis gradu ipſo conſecrabat actibus. Cuius ut meritum uel uita qualis fuerit, clareſcat certius, unum eius narro miraculum, quod mihi unus è fratribus, propter quos & in quibus patratum eſt, ipſe narrauit: uidelicet Gudfridus uenerabilis Chriſti famulus & presbyter, qui etiam poſtea fratribus eiuſdem eccleſiæ Lindisfarnenſis, in qua educatus eſt, abbatis iure præfuit. Veni, inquit, cum duobus fratribus alijs ad inſulam Farne, loqui deſiderans cum reuerendiſsimo patre Aediluualdo: cumq; allocutione eius refecti & benedictione petita domũ rediremus, ecce ſubitò poſitis nobis in medio mari interrupta eſt ſerenitas qua uehebamur, & tanta ingruit tamq; fera tempeſtas hyemis, ut neq; uelo neq; remigio quicquã proficere, neq; aliud quàm mortem ſperare ualeremus. Cumq; diu multum cum uento pelagoq; fruſtra certantes, tandem poſt terga reſpiceremus, ſi fortè uel ipſam, de qua egreſsi eramus inſulam aliquo conamine repetere poſſemus, inuenimus nos undiq; uerſum pari tempeſtate præcluſos, nullamq; ſpem nobis in nobis reſtare ſalutis. Vbi autem longius uiſum leuauimus, uidimus in ipſa inſula Farne egreſſum de latibulis ſuis amantiſsimũ Deo patrem Aediluualdum iter noſtrum inſpicere. Audito etenim fragore procellarum, ac feruentis Oceani, exierat uidere quid nobis accideret: cumq; nos in labore ac deſperatione poſitos cerneret, flectebat genua ſua ad patrem domini noſtri Ieſu Chriſti, pro noſtra uita & ſalute deprecaturus. Et cùm orationem compleret, ſimul tumida æquora placauit, adeò ut ceſſante per omnia ſæuitia tempeſtatis, ſecundi nos uenti ad terram uſq; per plana maris terga comitarẽtur. Cumq; euadẽtes ad terram nauiculam quoq; noſtram ab undis exportaremus, mox eadẽ quæ noſtri gratia modicum ſiluerat tempeſtas, rediјt, & toto illo die multum furere nõ ceſſauit: ut palàm daretur intelligi, quòd modica illa quæ prouenerat intercapedo quietis, ad uiri Dei preces noſtræ euaſionis gratia cœlitus donata eſſet. Manſit itaq; idem uir Dei in inſula Farne duodecim annis, ibidemq; defunctus eſt: ſed in inſula Lindisfarnenſi iuxta præfatorum corpora epiſcoporum in eccleſia ſancti Petri apoſtoli ſepultus eſt. Geſta uerò ſunt hæc temporibus Alfridi regis, qui poſt fratrẽ ſuum Ecgfridũ genti Nordan Humbrorũ decẽ & octo annis prȩfuit.





*Vt epiſcopus Ioannes mutum benedicendo curauerit.* Caput II.

HVius regni principio, defuncto Eata epiſcopo, Ioannes uir ſanctus Haguſtaldenſis eccleſiæ præſulatum ſuſcepit: de quo plura uirtutum miracula, qui eum familiariter nouerũt, dicere ſolent, & maximè uir reuerendiſsimus ac ueraciſsimus Berethun, diaconus quondam eius, nunc autem abbas monaſterij quod uocatur Inderauuda, id eſt, in ſylua Deirorum: è quibus aliqua memoriæ tradere, commodum duximus. Eſt autem manſio quædam ſecretior, nemore raro, & uallo circundata, nõ longè ab Haguſtaldenſi eccleſia, id eſt, unius fermè miliarij & dimidij ſpacio, interfluente Thino amne ſeparata: habens cœmiterium ſancti Michaëlis archangeli, in qua uir Dei ſæpius, ubi opportunitas arridebat tẽporis, & maximè in Quadrageſima manere cum paucis, atq; orationibus ac lectioni quietus operã dare cõſueuerat. Cumq; tempore quodã incipiente Quadrageſima ibidẽ manſurus adueniret, iuſsit ſuis quærere pauperem aliquem, maiore infirmitate uel inopia grauatum, quem ſecum habere illis diebus ad faciendam eleemoſynam poſſet (ſic enim ſemper facere ſolebat) Erat autem in uilla non longè poſita quidam adoleſcens mutus, epiſcopo notus (nam ſæpius ante illum percipiendæ eleemoſynæ gratia uenire conſueuerat) qui ne unũ quidem ſermonem unquã profari poterat: ſed & ſcabiem tantam & furfures habebat in capite, ut nil unquam capillorũ ei in ſuperiori parte capitis naſci ualeret, tãtum in circuitu horridi crines ſtare uidebantur. Hunc ergo adduci præcipit epiſcopus, & ei in conceptis eiuſdem manſionis paruum tugurium fieri, in quo manẽs quotidianã ab eo ſtipem acciperet. Cumq; una Quadrageſimæ eſſet impleta ſeptimana, ſequẽti Dominica iuſsit ad ſe intrare pauperem. Ingreſſo linguam proferre ex ore, ac ſibi oſtendere iuſsit, & apprehendens eum de mento, ſignum ſanctæ crucis linguæ eius impreſsit, quã ſignatam reuocare in os, & loqui illum præcepit: Dicito (inquiens) aliquod uerbũ, dicito gea gea: quod eſt, lingua Anglorum uerbum affirmandi & conſentiendi, id eſt, etiam. Dixit ille ſtatim ſoluto uinculo linguæ quod iuſſus erat. Addidit epiſcopus nomina literarum. Dicito a: dixit ille a: Dicito b: dixit ille b. Cumq; ſingula literarum nomina dicente epiſcopo reſponderet, addidit & ſyllabas, ac uerba illi dicenda proponere. Et cum in omnibus conſequenter reſponderet, præcepit eum ſentẽtias longiores dicere, & fecit. Neq; ultrà ceſſauit tota die illa, & nocte ſequente, quantum uigilare potuit (ut



ferunt qui præſentes fuere) loqui aliquid, & arcana ſuæ cogitationis ac uoluntatis, quod nunquam antea potuit, alijs oſtendere: in ſimilitudinem illius diu claudi, qui curatus ab apoſtolis Petro & Ioanne, exiliens ſtetit & ambulabat, & intrauit cum illis in templum, ambulans & exiliens, & laudans Dominum: gaudens nimirum uti officio pedum, quo tanto tempore erat deſtitutus: cuius ſanitati congaudens epiſcopus, præcepit medico etiam ſanandæ ſcabredini capitis eius curam adhibere. Fecit ut iuſſerat, & iuuante benedictione ac precibus antiſtitis, nata eſt cum ſanitate cutis, uenuſta ſpecies capillorum. Factuſq; eſt iuuenis limpidus uultu & loquela promptus, capillis pulcherrimè criſpis, qui antè fuerat deformis, pauper & mutus: ſicq; de percepta lætatus ſoſpitate, offerente ei etiam epiſcopo, ut in ſua familia manendi locum acciperet, magis domum reuerſus eſt.

*Vt idem puellam languentem orando ſanauerit.* Caput III.

NArrauit idem Berechtus & aliud de prȩfato antiſtite miraculum. Quia cum reuerendiſsimus uir Vuilfridus poſt longum exilium in epiſcopatum eſſet Haguſtaldenſis eccleſię receptus, & idem Ioannes, defuncto Boſa, uiro multæ ſanctitatis & humilitatis, epiſcopus pro eo Eboraci ſubſtitutus, ueniret ipſe tẽpore quodam ad monaſterium uirginum, in loco qui uocatur Vetadũ, cui tunc Hereburg abbatiſſa prȩfuit. Vbi cũ ueniſſemus, inquit, & magno uniuerſorũ gaudio ſuſcepti eſſemus, indicauit nobis abbatiſſa, quòd quædam de numero uirginum, quæ erat filia ipſius carnalis, grauiſsimo languore teneretur (quia phlebotomata eſt nuper in brachio) & cùm adhuc eſſet in ſtudio, tacta eſt infirmitate repẽtini doloris: quo mox increſcẽte magis grauatum eſt brachium illud uulneratum, ac uerſum in tumorẽ, adeò ut uix duabus manibus circumplecti poſſet: ipſaq; iacens in lecto præ nimietate doloris iam moritura uideretur. Rogauit ergo epiſcopum abbatiſſa, ut intrare ad eam ac benedicere illam dignaretur: quia crederet eam ad benedictionẽ uel tactum illius mox melius habituram. Interrogans autem ille, quando phlebotomata eſſet puella. & ut cognouit, quia in luna quarta, dixit, Multum inſipiẽter & indoctè feciſtis, in luna quarta phlebotomando. Memini enim beatæ memorię Theodorum archiepiſcopum dicere, quia periculoſa ſit ſatis illius temporis phlebotomia, quando & lumẽ lunę, & reuma Oceani in cremento eſt. Et quid ego poſſum puellæ, ſi moritura eſt, facere? At illa inſtãtius obſecrãs pro filia, quam oppidò diligebat (nam & abbatiſſam eam pro ſe facere diſpoſuerat) tãdem obtinuit, ut ad languentem intraret. Intrauit ergo me ſecum aſſumpto ad uirginem, quæ iacebat multo, ut dixi, dolore conſtricta, & brachio in tantum groſſeſcente, ut nihil prorſus in cubitu flexionis haberet: & aſtans dixit orationem ſu-

per illã, ac benedicens egreſſus eſt. Cumq; poſt hæc hora cõpetente conſederemus ad menſam, adueniens quidam clamauit me, ducẽs foras & ait: Poſtulat Coenburg (hoc enim erat nomen uirginis) ut ocyus regrediaris ad eam. Quod dum facerem, reperi illam ingrediens uultu hilariorem, & uelut ſoſpiti ſimilem. Et dum aſsiderem illi, dixit: Vis petamus bibere? Et ego, Volo (inquã) & multũ delector, ſi potes. Cũq; oblato poculo biberemus ambo, cœpit mihi dicere, quòd ex quo epiſcopus orationẽ pro me (benedictione completa) fecit, & egreſſus eſt, ſtatim melius habere incipio: etſi necdum uires priſtinas recepi, dolor tamen omnis, & de brachio ubi ardẽtior inerat, & de toto meo corpore, uelut ipſo epiſcopo foras eũ exportãte, funditus ablatus eſt, tametſi tumor adhuc in brachio manere uideatur. Abeuntibus autem nobis inde, continuò fugatũ dolorẽ membrorum, fuga quoq; tumoris horrendi ſecuta eſt, & erepta morti ac doloribus uirgo laudes Domino ſaluatori, unà cum cæteris, qui ibi erant, ſeruis illius, referebat.

*Vt coniugem comitis infirmam aqua benedicta curauerit.* Caput IIII.

ALiud quoq;, non multum huic diſsimile miraculum, de pręfato antiſtite narrauit idem abbas dicens: Villa erat comitis cuiuſdam, qui uocabatur Puch, nõ lõgè à monaſterio noſtro, id eſt, duorũ fermè milium ſpacio ſeparata, cuius cõiunx quadraginta fermè diebus erat acerbiſsimo languore detenta, ita ut tribus ſeptimanis nõ poſſet de cubiculo in quo iacebat, foras efferri. Contigit autem eo tempore uirum Dei illò ad dedicandam eccleſiam ab eodem comite uocari: cumq; dedicata eſſet eccleſia, rogauit comes eum ad prandendum domum ſuam ingredi: renuit epiſcopus, dicens ſe ad monaſterium quod proximum erat, reuerti debere. At ille obnixius precibus inſtans, uouit etiam ſe eleemoſynas pauperibus daturũ, dummodo ille dignaretur ea die domum ſuam ingrediens, ieiuniũ ſoluere. Rogaui & ego unà cum illo, promittẽs etiam me eleemoſynas in alimoniã inopum dare, dum ille domum comitis prãſurus, ac benedictionem daturus intraret. Cumq; hoc tardè ac difficulter impetraremus, intrauimus ad reficiendum. Miſerat autem epiſcopus mulieri, quæ infirma iacebat, de aqua benedicta, quã in dedicationẽ eccleſiæ conſecrauerat, per unum de his qui mecũ uenerant fratribus, pręcipiẽs ut guſtandã illi daret, & ubicunq; maximum ei dolorẽ ineſſe didiciſſet, de ipſa eã aqua lauaret. Quod ut factum eſt, ſurrexit ſtatim mulier ſana, & nõ ſolũ ſe infirmitate longa carere, ſed & perditas dudũ uires recepiſſe ſentiẽs, obtulit poculũ epiſcopo, ac nobis: cœptumq; miniſteriũ nobis omnibus propinandi, uſq; ad prandium completũ non omiſit: imitata ſocrũ beati Petri, quę cùm febrium fuiſſet ardoribus fatigata, ad tactũ manus Dominicę ſurrexit, & ſanitate ſimul ac uirtute recepta miniſtrabat eis.

*Vt puerum comitis orando à morte reuocauerit.* Caput V.

ALio item tempore uocatus ad dedicandam eccleſiam comitis, uocabulo Addi, cùm poſtulatum compleſſet miniſterium, rogatus eſt ab eodẽ comite intrare ad unum de pueris eius, qui acerrima ægritudine premebatur, ita ut deficiente penitus omnium membrorũ officio iam iamq; moriturus eſſe uideretur. cui etiam loculus iam tunc erat præparatus, in quo defunctus condi deberet. Addidit autem uir etiam lachrymas precibus, diligenter obſecrans ut intraret oraturus pro illo, quia multum neceſſaria ſibi eſſet uita ipſius. crederet uerò, quia ſi ille ei manum imponeret, atque eum benedicere uoluiſſet, ſtatim melius haberet. Intrauit ergo illò epiſcopus, & uidit eum mœſtis omnibus iam morti proximum, poſitumq; loculum iuxta eum, in quo ſepeliendus poni deberet: dixitq; orationem, ac benedixit eum, & egrediens dixit ſolito conſolantium ſermone: Bene conualeſcas, & citò. Cumq; poſt hæc ſederent ad menſam, miſit puer ad dominum ſuum, rogans ſibi poculum uini mittere, quia ſitiret. Gauiſus ille multũ quòd bibere poſſet, miſit ei calicem uini benedictum ab epiſcopo: quem ut bibit, ſurrexit continuò, & ueterno infirmitatis diſcuſſo, induit ſe ipſe ueſtimẽtis ſuis, & egreſſus inde intrauit & ſalutauit epiſcopum & conuiuas, dicens quòd ipſe quoque delectaretur manducare & bibere cum eis. Iuſſerunt eum ſedere ſecum ad epulas, multum gaudentes de ſoſpitate illius. Reſidebat, ueſcebatur, bibebat, lętabatur, quaſi unus è conuiuis agebat, & multis poſt hæc annis uiuens, in eadem quam acceperat, ſalute permanſit. Hoc autem miraculum memoratus abbas nõ ſe præſente factũ, ſed ab his qui præſentes fuerũt, ſibi ꝓhibet eſſe relatũ.

*Vt clericum ſuum cadendo contritum, orando ac benedicendo à morte reuocauerit.* Caput VI.

NEq; hoc ſilẽtio prætereundũ arbitror, quòd famulus Chriſti Herebaldus in ſeipſo ab eo factũ ſolet narrare miraculũ: qui tunc quidẽ in clero illius cõuerſatus, nũc in monaſterio quod eſt iuxta hoſtium Vuinri fluminis, abbatis iure præeſt. Vitam, inquit, illius (quantum hominibus æſtimare fas eſt) quam præſens optimè cognoui, per omnia epiſcopo dignam eſſe comperi: ſed & cuius meriti apud internum iudicem habitus ſit, & in multis alijs & in meipſo maximè expertus ſum. quippe quem ab ipſo (ut ita dicam) mortis limite reuocãs, ad uiam uitæ ſua oratione ac benedictione reduxit. Nam cũ primæuo adoleſcẽtiæ meæ tempore in clero illius degerem, legendi quidem canendiq; ſtudijs traditus, ſed non adhuc animum perfectè à iuuenilibus cohibens illecebris, contigit die quadam nos iter agẽtes cum illo deueniſſe in uiam planam & amplam, atq; curſui equorũ aptam: cœ-

pµntq;



peruntq; iuuenes qui cum ipſo erant, maximè laici, poſtulare epiſcopum, ut curſu maiore equos ſuos inuicem probare liceret. At ille primò negauit, ocioſum dicẽs eſſe, quod deſiderabant: ſed ad ultimum multorũ unanima intentione deuictus, Facite, inquit, ſi uultis: ita tam, ut Herebaldus ab illo ſe certamine abſtineat. Porrò ipſe diligentius obſecrãs, ut & mihi certandi cum illis copia daretur (fidebam nanq; equo, quem mihi ipſe optimum donauerat) nequaquam impetrare potui. At cùm ſæpius huc atque illuc, ſpectante me & epiſcopo, cõcitatis in curſum equis reuerterentur, & ipſe laſciuo ſuperatus animo, non me potui cohibere, ſed (prohibente licet illo) ludentibus me miſcui, & ſimul curſu equi contendere cœpi. Quod dum agerem, audiui illum poſt tergum mihi cum gemitu dicentem: O quàm magnum uę facis mihi ſic equitando. Et ego audiens nihilominus cœptis inſtiti uetitis. Nec mora, dũ feruens equus quoddam itineris concauum ualentiore impetu tranſiliret, lapſus decidi: & mox uelut emoriẽs ſenſum penitus motumq; omnem perdidi. Erat namq; in loco illo lapis terræ æqualis, obtectus ceſpite tenui: neq; ullus alter in tota illa campi planicie lapis inueniri poterat. Caſuq; euenit, uel potius diuina prouiſione, ad puniendam inobedientiæ meę culpam, ut hunc capite ac manu quam capiti ruens ſuppoſueram, tangerem, atq; infracto pollice, capitis quoq; iunctura ſolueretur, & ego, ut dixi, ſimillimus mortuo fierem. Et quia moueri non poteram, teten derunt ibidem papilionem, in quo iacerem. Erat autem circiter horam diei ſeptimam, à qua ad ueſperam uſq; quietus, & quaſi mortuus permanens, tunc paululum reuiuiſco, ferorq; domũ à ſocijs, ac tacitus tota nocte perduro. Vomebam autem ſanguinẽ, eo quòd & interanea eſſent ruendo conuulſa. At epiſcopus grauiſsimè de caſu & interitu meo dolebat, eo quòd me ſpeciali diligeret affectu. Nec uoluit nocte illa iuxta morem cum clericis ſuis manere, uerùm ſolus in oratione perſiſtens noctem ducebat peruigilem, pro mea (ut reor) ſoſpitate ſupernę pietati ſupplicãs. Et mane primo ingreſſus ad me, & dicta ſuper me oratione, uocauit me nomine meo, & quaſi de graui ſomno excitatum interrogauit, ſi noſſem quis eſſet, qui loqueretur ad me. at ego aperiẽs oculos aio, Etiã: Tu es antiſtes meus amatus. Potes, inquit, uiuere? Et ego: Poſſum (inquam) per orationes ueſtras, ſi uoluerit Dominus. Qui imponens capiti meo manum cum uerbis benedictionis redijt ad orandum. Et poſt puſillum me reuiſens inuenit ſedentem, & iam loqui ualentem, cœpitq; me interrogare (diuino, ut mox patuit, admonitus inſtinctu) an me eſſe baptizatum abſq; ſcrupulo noſſem? Cui ego, abſq; ulla me hoc dubietate ſcire reſpõdi, quòd ſalutari fonte in remiſſionem peccatorum eſſem ablutus, & nomen presbyteri, à quo me baptizatum noueram, dixi. At ille, Si ab hoc, inquit, ſacerdote baptizatus es, non es rectè baptizatus. Noui namque eum, & quia cũ eſſet presbyter ordinatus, nullatenus propter ingenij tarditatem potuit catechizandi uel baptizandi miniſterium diſcere: propter quod & ipſe illum ab huius præſumptione miniſterij, quod regulariter implere nequibat, omnino ceſſare præcepi. Quibus dictis eadem hora me catechizare ipſe curauit: factumq; eſt, ut exufflante illo in faciem meam cõfeſtim me melius habere ſentirem. Vocauit autem medicum, & diſſolutam mei cranij iuncturam componere atque alligare iuſsit: tantumq; mox accepta eius benedictone conualui, ut in craſtinum aſcendẽs equum cum ipſo iter in alium locum facerem. Nec multo pòſt plenè curatus, uitali etiam unda perfuſus ſum. Mãſit autem in epiſcopatu annis triginta tribus, & ſic cœleſtia regna conſcendens, ſepultus eſt in porticu ſancti Petri, in monaſterio ſuo quod dicitur In ſylua Deirorum, anno ab incarnatione Domini ſeptingẽteſimo uiceſimo primo. Nam cùm præ maiore ſenectute minus epiſcopatui adminiſtrando ſufficeret, ordinato in epiſcopũ Eboracẽſis eccleſiæ Vuilfrido presbytero ſuo, ſeceſsit ad monaſterium præfatum, ibiq; uitam Deo digna conuerſatione compleuit.



*Vt Ceadualla rex occidentalium Saxonum baptizandus Romam uenerit: & ut ſucceſſor eius ad eadem beatorum Apoſtolorum limina deuotus adijt.* Caput VII.

ANno autem regni Aldfridi tertio, Ceadualla rex occidentalium Saxonum cùm genti ſuæ duobus annis ſtrenuiſsimè præeſſet, relicto imperio propter Dominum regnumq; perpetuum, uenit Romam: hoc ſibi gloriæ ſingularis deſiderãs adipiſci, ut ad limina beatorum apoſtolorum fonte baptiſmatis ablueretur, in quo ſolo didicerat generi humano patere uitæ cœleſtis introitum: ſimul etiam ſperans, quia mox baptizatus, carne ſolutus ad æterna gaudia iã mundus tranſiret. Quod utrumque ut mente diſpoſuerat, Domino adiuuante completum eſt. Etenim illò perueniens pontificatum agente Sergio, baptizatus eſt die ſancto ſabbati paſchalis, anno ab incarnatione Domini ſexcenteſimo octuageſimonono, & in albis adhuc poſitus, languore correptus duodecimo Kalendarum Maiarum die ſolutus eſt à carne, & beatorum eſt conſortio ſociatus in cœlis. Cui etiam tẽpore baptiſmatis papa memoratus Petri nomen impoſuerat, ut beatiſsimi apoſtolorũ principis (ad cuius ſacratiſsimum corpus per longa locorum interualla pio ductus amore uenerat) etiam ſanctiſsimum nomen referret, qui in eius quoque eccleſia ſepultus eſt. Et iubente pontifice, epitaphium in eius monumento ſcriptum eſt, ut & memoria deuotionis ipſius fixa per ſecula maneret, & legentes quoq;, uel audientes exemplũ facti ad ſtudium religionis accẽderet.

Scriptum eſt ergo hoc modo:

Culmẽ, opus, ſobolẽ, pollẽtia regna, triũphos,
Exuuias, proceres, mœnia, caſtra, lares:

 Quæq;

Quæq; patrum uirtus, & quæ congeſſerat ipſe,
Ceadual armipotens liquit amore Dei.
Vt Petrum ſedemq; Petri rex cerneret hoſpes,
Cuius fonte meras ſumeret almus aquas:
Splēdificumq; iubar radianti carperet hauſtu,
Ex quo uiuificus fulgor ubiq; fluit.
Percipienſq; alacer rediuiuæ præmia uitæ,
Barbaricam rabiem nomen & inde ſuum.
Conuerſus conuertit ouans, Petrumq; uocari
Sergius antiſtes iuſsit ut ipſe pater.
Fonte renaſcentis, quē Chriſti gratia purgans,
Protinus ablatum uexit in arce poli.
Mira fides regis, clementia maxima Chriſti,
Cuius conſilium nullus adire poteſt.
Soſpes enim ueniēs ſupremo ex orbe Britāni,
Per uarias gentes, per freta, perq; uias,
Vrbem Romuleā uidit, templumq; uerēdum,
Aſpexit Petri myſtica dona gerens.
Candidus inter oues Chriſti ſociabilis ibit,
Corpore nam tumulū mente ſuperna tenet.
Cōmutaſſe magis ſceptrorum inſignia credas,
Quem regnum Chriſti promeruiſſe uides.

Hic depoſitus eſt Ceadualla, qui & Petrus, rex Saxonum, ſub die duodecim Kalendarum Maiarum, indictione ſecunda, qui uixit annos plus minus triginta, imperante Domino Iuſtiniano pijſsimo auguſto, anno eius conſulatus quarto, pontificante Apoſtolico uiro Domino Sergio papa, anno ſecundo. Abeunte autē Romam Ceadualla ſucceſsit in regnū Huu, de ſtirpe regia, qui cùm triginta & ſeptē annis imperium tenuiſſet gētis illius, & ipſe relicto regno ac iunioribus commendato, ad limina beatorū Apoſtolorū Gregorio pontificatū tenēte profectus eſt, cupiens in uicinia locorum ſanctorū ad tēpus peregrinari in terris, quo familiarius à ſanctis recipi mereretur in cœlis: quod his temporibus plures de gente Anglorum nobiles ignobileſq;, laici & clerici, uiri ac fœminæ certatim facere conſueuerunt.

*De obitu Theodori archiepiſcopi.* Cap. VIII.

ANno autem poſt hunc, quo Ceadualla Romæ defunctus eſt proximo: id eſt, ſexcēteſimo nonageſimo incarnatiōis Dominicę, Theodorus beatæ memoriæ archiepiſcopus ſenex & plenus dierū, id eſt, annorum octoginta & octo, defunctus eſt: quem ſe numerum annorum fuiſſe habiturum, ipſe iamdudū ſomnij reuelatione edoctus, ſuis prædicere ſolebat. Māſit autem in epiſcopatu annis uiginti duobus, ſepultuſq; eſt in eccleſia ſancti Petri, in qua omnium epiſcoporum Dorouernenſiū ſunt corpora depoſita. De quo unà cum conſortibus eiuſdē ſui gradus recte & ueraciter dici poteſt, quia corpora ipſorum in pace ſepulta ſunt, & nomen eorum uiuet in generatione & generationes. Vt enim breuiter dicam, tantum profectus ſpiritalis tempore præſulatus illius Anglorum eccleſiæ, quantum nunquam antea potuere, cœperunt. Cuius perſonam, uitam, ætatem & obitū, epitaphium quoque monumenti ipſius uerſibus Heroicis triginta & quatuor palam ac lucidè cunctis illò uenientibus pandit: quorum primi ſunt hi,

Hic ſacer in tumba pauſat cum corpore præſul,
Quē Theodorū nunc lingua Pelaſga uocat.
Princeps pōtificum, felix, ſummuſq; ſacerdos,
Limpida diſcipulis dogmata diſſeruit.
Vltimi autem hi:
Namq; diē nonā decimā September habebat,
Cùm carnis clauſtra ſpiritus egreditur.
Alma nouæ ſcandens felix conſortia uitæ,
Ciuibus angelicis iunctus in arce poli.

*Vt Theodoro defuncto archiepiſcopatus gradum Berechtuualdus ſuſceperit, & inter plurimos quos ordinauit, etiam Tobiam uirum doctiſsimum Rhofenſis eccleſiæ fecerit antiſtitem.* Cap. IX.

SVcceſsit autē Theodoro in epiſcopatu Berechtuualdus, qui erat abbas in monaſterio quodam iuxta oſtiū aquilonare fluminis Genlade poſitum, quod Racuulf nuncupatur. Vir & ipſe ſcientia ſcripturarum imbutus, & eccleſiaſticis ſimul ac monaſterialib. diſciplinis ſummè inſtructus, tametſi prędeceſſori ſuo minimè cōparandus: qui electus eſt quidem in epiſcopatum anno Dominicæ incarnationis ſexcenteſimo nonageſimo ſecundo, die primo menſis Iulij, regnātibus in Cātia Vuichtredo & Suebhardo. Ordinatus autem anno ſequente, tertio die Kalendarū Iuliarum Dominica, à Goduuino Metropolitano epiſcopo Galliarū, & ſedit in ſede ſua pridie Kalendarum Septembriū Dominica: qui inter multos quos ordinauit antiſtites etiam Gebmundo Rhofenſis eccleſię pręſule defuncto, Tobiam pro illo conſecrauit, uirum Latina, Græca & Saxonica lingua, atque eruditione multiplici inſtructum.

*Vt Ecgbertus uir ſanctus ad prædicandum in Germaniam uenire uoluerit, nec ualuerit: & ut Victbertus adierit quidem, ſed quia nec ipſe aliquid profeciſſet, rurſus in Hyberniam unde uenerat, redierit.* Caput X.

EO tēpore uenerabilis, & cum omni honorificentia nominandus famulus Chriſti, & ſacerdos Ecgbertus, quem in Hybernia inſula peregrinam ducere uitā pro adipiſcenda in cœlis patria retulimus, propoſuit animo plurib. prodeſſe: id eſt, inito opere Apoſtolico uerbū Dei aliquibus earū, quę nondū audierant, gentibus euangelizando cōmittere, quarū in Germania plurimas nouerat eſſe nationes, à quibus Angli uel Saxones, qui nunc Britanniā incolunt, genus & originem duxiſſe noſcuntur: unde hactenus à uicina gente Britonum, corruptè Germani nūcupantur. Sunt autē Freſones, Rugini, Dani, Huni, antiqui Saxones, Boruchtuarij: ſunt etiam alij perplures iiſdē in partibus populi, paganis adhuc ritibus ſeruiētes, ad quos uenire præfatus Chriſti miles circūnauigata Britannia diſpoſuit, ſi quos fortè ex illis ereptos ſa





thanæ ad Chriſtum trāsferre ualeret: uel ſi hoc fieri non poſſet, Romam uenire ad uidēda atq; adoranda beatorum apoſtolorum, ac martyrū Chriſti limina cogitauit. Sed ne aliquid horū perficeret, ſuperna illi oracula, ſimul & opera reſtiterunt. Siquidem electis ſocijs ſtrenuiſsimis, & ad prædicandum uerbum idoneis, utpote actione ſimul & eruditione præclaris, præparatiſq; omnibus, quæ nauigantibus eſſe neceſſaria uidebantur, uenit die quadam mane primo ad eum unus de fratribus, diſcipulus quondam in Britannia, & miniſter Deo dilecti ſacerdotis Boiſili. Cùm eſſet idem Boiſil præpoſitus monaſterij Mailroſenſis ſub abbate Eata, ut ſuprà narrauimus, referens ei uiſionem, quæ ſibi eadē nocte apparuiſſet. Cùm expletis (inquiēs) hymnis matutinalibus in lecto membra depoſuiſſem, ac leuis mihi ſomnus obrepſiſſet, apparuit magiſter quondam meus & nutritor amantiſsimus Boiſil, interrogauitq; me an eum cognoſcere poſſem: aio, Etiam: Tu es enim Boiſil. At ille, Ad hoc, inquit, ueni, ut reſponſum Domini ſaluatoris Ecgberto afferam, quod te tamen referente oportet ad illum uenire. Dic ergo illi, quia non ualet iter quod propoſuit, implere: Dei enim uoluntas eſt, ut ad Columbæ monaſteria magis docenda pergat. Erat autem Columba primus doctor fidei Chriſtianæ Tranſmontanis Pictis ad Aquilonem, primuſq; fundator monaſterij, quod in Hu inſula multis diu Scotorum Pictorumq; populis uenerabile manſit. Qui uidelicet Columba nunc à nonnullis, compoſito à cella & Columba nomine, Columcelli uocatur. Audiens autē uerba uiſionis Ecgbertus, præcepit fratri, qui retulerat, ne cuiquā hæc alteri referret, ne fortè illuſoria eſſet uiſio. Ipſe autem tacitus rem conſiderans, ueracem eſſe timebat: nec tamen à parando itinere, quo ad gētes docēdas iret, ceſſare uolebat. At poſt paucos dies rurſum uenit ad eum præfatus frater dicens, quia & ea nocte ſibi poſt expletas matutinas Boiſil per uiſum apparuerit dicens, Quare tam negligenter ac tepidè dixiſti Ecgberto, quæ tibi dicenda præcepi. At nunc uade, & dic illi, Quia uelit nolit, debet ad monaſteria Columbæ uenire, quia aratra eorum non rectè incedunt. Oportet autem eum ad rectum hæc tramitem reuocare. Qui hæc audiens denuò præcepit fratri, ne hæc cuiquam patefaceret. Ipſe uerò tametſi certus eſt factus de uiſione nihilominus tentauit iter diſpoſitū cum fratribus memoratis incipere. Cumq; iam naui impoſuiſſent, quæ tanti itineris neceſsitas poſcebat, atque opportunos aliquot diebus uentos expectarent, facta eſt nocte quadam tam ſæua tempeſtas, quæ perditis nonnulla ex parte his quæ in naui erant rebus, ipſam in latus iacentem inter undas relinqueret. Saluata ſunt tamē omnia, quæ erant Ecgberti & ſociorum eius. Tum ille quaſi propheticum illud dicens, quia propter me eſt tempeſtas hæc, ſubtraxit ſe illi profectioni, & remanere domi paſſus eſt. At uerò unus de ſocijs eius, uocabulo Victbertus, cū eſſet & ipſe contemptu mundi, ac doctrinæ ſciētia inſignis (nam multos annos in Hybernia peregrinus anachoreticam in magna perfectione uitam egerat) aſcendit nauē, & in Freſiā perueniens, duobus annis continuis genti illi, ac regi illius Radbedo uerbum ſalutis prædicabat: neque aliquem tanti laboris fructum apud barbaros inuenit auditores. Tunc reuerſus ad dilectæ locum peregrinationis, ſolito in ſilentio Domino uacare cœpit: & quoniam externis prodeſſe ad fidem nō poterat, ſuis amplius ex uirtutum exemplis prodeſſe curabat.



*Vt Vuilbrordus in Freſia prædicans multos ad Chriſtum conuerterit, & ut ſocij eius Heuuualdi ſint martyrium paſſi.* Caput XI.

VT autē uidit uir Domini Ecgbertus, quia nec ipſe ad prædicandum gentibus uenire permittebatur, retentus ob aliam ſanctæ eccleſiæ utilitatem, de qua oraculo fuerat præmonitus, nec Vuitbertus illas deueniens in partes quicquam proficiebat, tentauit adhuc in opus uerbi mittere uiros ſanctos & induſtrios, in quibus eximius Vuilbrordus presbyterij gradu & merito præfulgebat. Qui cùm illò adueniſſent (erant autem numero duodecim) diuertentes ad Pipinum ducem Francorum, gratāter ab illo ſuſcepti ſunt: & quia nuper citeriorem Freſiam, expulſo inde Radbedo rege, ceperat, illò eos ad prædicandum miſit. Ipſe quoque imperiali auctoritate iuuans, ne quis prædicantibus quicquam moleſtiæ inferret, multiſq; eos qui fidem ſuſcipere uellent, beneficijs attollēs. Vnde factum eſt opitulante gratia diuina, ut multos in breui ab idololatria ad fidem conuerterent Chriſti. Horum ſecuti exempla duo quidā presbyteri de natione Anglorū, qui in Hybernia multo tempore pro æterna patria exulauerant, uenerunt ad prouinciam antiquorum Saxonū, ſi fortè aliquos ibidem prædicando Chriſto acquirere poſſent. Erāt autem unius ambo ſicut deuotionis, ſic etiam uocabuli. Nam uterque eorum appellabatur Heuuualdus: ea tamē diſtinctione, ut pro diuerſa capillorum ſpecie, unus niger, alter albus Heuuualdus diceretur. Quorum uterque pietate religionis imbutus, ſed niger Heuuualdus magis ſacrarum literarum erat ſcientia inſtructus. Qui uenientes in prouinciam intrauerunt hoſpitium cuiuſdam uillici, petieruntq; ab eo, ut tranſmitterētur ad ſatrapam, qui ſuper eos erat, eò quòd haberent aliquid legationis & cauſę utilitatis, quod deberent ad illum perferre. Non enim habēt regem iidem antiqui Saxones, ſed ſatrapas plurimos ſuæ genti prępoſitos, qui ingruente belli articulo mittunt æqualiter ſortes, & quemcunq; ſors oſtenderit, hunc tempore belli ducem omnes ſequuntur, & huic obtemperāt: peracto autem bello, rurſum æqualis potentiæ omnes fiunt ſatrapæ. Suſcepit ergo eos uillicus, & promittēs ſe mittere eos ad ſatrapam, qui ſuper ſe erat (ut petebant) aliquot diebus ſecum retinuit. Qui

cùm cogniti eſſent à barbaris, quòd eſſent alterius religionis (nam hymnis & pſalmis ſemper, & orationibus uacabant & quotidie ſacrificiũ Deo uictimæ ſalutaris offerebant, habentes ſecum uaſcula ſacra, & tabulam altaris uice dedicatam) ſuſpecti ſunt habiti: quia ſi peruenirent ad ſatrapam, & loquerentur cum illo, auerterent illum à dijs ſuis, & ad nouam Chriſtianæ fidei religionem transferrent: ſicq; paulatim omnis eorum prouincia ueterem cogeretur in nouam mutare culturam. Itaque rapuerũt eos ſubitò, & interemerunt album quidẽ Heuuualdum ueloci occiſione gladij: nigellum autem longo ſuppliciorum cruciatu, & horrenda mẽbrorum omnium diſcerptione. quos interemptos in Rhenum proiecerunt. Quod cùm ſatrapa ille, quem uidere uolebãt, audiſſet, iratus eſt ualde, quòd ad ſe uenire uolentes peregrini nõ permitterentur: & mittens occidit uicanos illos omnes uicumq; incendio conſumpſit. Paſsi ſunt autem præfati ſacerdotes & famuli Chriſti quinto nonarum Octobrium die. Nec martyrio eorũ cœleſtia defuere miracula. Nam cùm perempta eorum corpora, amni (ut diximus) à paganis eſſent iniecta, contigit ut hæc contra impetum fluuij decurrentis per quadraginta ferè milia paſſuum, ad ea uſq; loca ubi illorum eſſent ſocij, transferrentur. Sed & radius lucis permaximus, atque ad cœlum uſque altus, omni nocte ſupra locum fulgebat illum, ubicunq; ea perueniſſe contingeret: & hoc etiam paganis, qui eos occiderant intuẽtibus. Sed & unus ex eis in uiſione nocturna apparuit cuidam de ſocijs ſuis, cui nomen erat Tilmon, uiro illuſtri, & ad ſeculum quoque nobili, qui de milite factus fuerat monachus, indicans quòd eo loci corpora eorum poſſet inuenire, ubi lucẽ de cœlo terris radiaſſe conſpiceret. Quod ita completum eſt. Inuenta namque eorum corpora iuxta honorem martyribus condignum, recondita ſunt: & dies paſsionis uel inuentionis eorum, congrua illis in locis ueneratione celebratur. Deniq; glorioſiſsimus dux Frãcorum Pipinus ubi hæc comperit, adducta ad ſe eorum corpora condidit cum multa gloria in eccleſia Coloniæ ciuitatis iuxta Rhenum. Fertur autẽ, quia in loco in quo occiſi ſunt, fons ebullierit, qui in eodem loco uſque hodie copioſa fluenti ſui dona perfundat.

*Vt uiri uenerabiles Suidbertus in Britannia, Vuilbrordus Romæ in Freſiam ſint ordinati epiſcopi.*
*Caput XII.*

PRimis ſanè temporibus aduentus eorum in Freſiam, mox ut comperit Vuilbrordus datam ſibi à principe licentiam ibidem prædicandi, accelerauit uenire Romam, cuius ſedi Apoſtolicæ tunc Sergius papa pręerat, ut cum eius licentia & benedictione deſideratum euangelizandi gentibus opus iniret: ſimul & reliquias beatorũ apoſtolorũ ac martyrũ Chriſti ab eo ſe ſperans accipere, ut dum in gente cui prædicaret, deſtructis idolis eccleſias inſtitueret, haberet in promptu reliquias ſanctorum quas ibi introduceret, quibusq; ibidem depoſitis conſequenter in eorum honorem, quorum eſſent illa ſingula, quæq; loca dedicaret. Sed & alia perplura, quæ tanti operis negocium quærebat, uel ibi diſcere, uel inde accipere cupiebat. In quibus omnibus cùm ſui uoti compos eſſet effectus, ad prædicandũ redijt. Quo tempore fratres qui erant in Freſia uerbi miniſterio mancipati, elegerunt ex ſuo numero uirum modeſtum moribus, & manſueto corde Suidbertum, qui eis ordinaretur antiſtes: quem in Britanniam deſtinatum ad petitionem eorum ordinauit reuerendiſsimus Vuilfridus epiſcopus, qui tunc fortè patria pulſus in Merciorum regionibus exulabat. Non enim eo tempore habebat epiſcopum Cãtia. Defuncto quidẽ Theodoro, ſed necdũ Berthuualdo ſucceſſore eius, qui trans mare ordinãdus ierat, ad ſedem epiſcopatus ſui reuerſo: qui uidelicet Suidbertus accepto epiſcopatu de Britannia regreſſus, nõ multo pòſt ad gentem Boruchtuariorum ſeceſsit, ac multos eorum prædicando ad uiam ueritatis perduxit. Sed expugnatis non longo pòſt tempore Boruchtuarijs, à gente antiquorum Saxonũ, diſperſi ſunt quolibet hi, qui uerbum receperãt: ipſeq; antiſtes cum quibuſdam Pipinum petijt, qui interpellante Slichildedride coniuge ſua, dedit ei locum manſionis in inſula quadam Rheni, quæ lingua eorum uocatur In litore: in qua ipſe conſtructo monaſterio, quod hactenus hæredes eius poſsident, aliquãdiu continentiſsimam geſsit uitam, ibiq; diem clauſit ultimum. Poſtquam uerò per annos aliquot in Freſia qui aduenerant, docuerunt, miſit Pipinus, fauente omnium conſenſu, uirũ uenerabilem Vuilbrordum Romã, cuius adhuc pontificatum Sergius habebat, poſtulans ut eidem Freſonum genti archiepiſcopus ordinaretur. Quod ita ut petierat, impletũ eſt, anno ab incarnatione Domini ſexcenteſimo nonageſimo ſexto. Ordinatus eſt autem in eccleſia ſanctæ martyris Cæcilię, die natalis eius, impoſito ſibi à papa memorato nomine Clementis, ac mox remiſſus ad ſedem epiſcopatus ſui, id eſt, poſt dies quatuordecim, ex quo in urbem uenerat. Donauit autem ei Pipinus locum cathedrę epiſcopalis in caſtello ſuo illuſtri, qđ antiquo gentium illarum uocabulo Vuiltaburg, id eſt, oppidum Vuiltorũ, lingua autẽ Gallica Traiectum uocatur: in quo ædificata eccleſia, reuerẽdiſsimus pontifex longè lateq; uerbũ fidei prędicans, multosq; ab errore reuocãs, plures per illas regiones eccleſias & monaſteria nõnulla conſtruxit. Nam non multo pòſt alios quoq; illis in regionibus cõſtituit ipſe antiſtites, ex eorum numero fratrum, qui uel ſecum, uel poſt ſe illò ad prędicandũ uenerant: ex quibus aliquanti iam dormierunt in Domino: ipſe autẽ Vuilbrordus cognomẽto Clemens, adhuc ſupereſt, lõga iam uenerabilis ætate, utpote triceſimum & ſextum in epiſcopatu habens annum, & poſt





multiplices militiæ cœleſtis agones ad pręmia remunerationis ſupernæ tota mente ſuſpirans.

*Vt quidam in prouincia Nordan Humbrorum à mortuis reſurgens, multa & tremenda & deſideranda quæ uiderat, narrauerit. Cap. XIII.*

HIs temporibus miraculum memorabile, & antiquorum ſimile in Britannia factũ eſt. Namq; ad excitationem uiuentium de morte animæ, quidam aliquandiu mortuus ad uitam reſurrexit corporis, & multa memoratu digna quæ uiderat, narrauit: è quibus hic aliqua breuiter perſtringenda eſſe putaui. Erat autem paterfamiliàs in regione Nordan Humbrorũ, quę uocatur Incuningun, religioſam cũ domo ſua gerens uitam: qui infirmitate corporis tactus, & hac creſcẽte per dies, ad extrema perductus, primo tempore noctis defunctus eſt: ſed diluculo reuiuiſcens, ac repentè reſidens, omnes qui corpori flentes aſſederãt, timore immenſo perculſos in fugam conuertit: uxor tantũ quę eum amplius amabat (quamuis multum tremens & pauida) remanſit. Quam ille conſolatus, Noli, inquit, timere, quia iam uerè reſurrexi à morte, qua tenebar, & apud homines ſum iterũ uiuere permiſſus: non tamen ea mihi, qua ante conſueueram conuerſatione, ſed multum diſsimili ex hoc tempore uiuendũ eſt. Statimq; ſurgens abijt ad uillulæ oratorium, & uſq; ad diem in oratione perſiſtens, mox omnem quam poſſederat ſubſtantiam, in tres diuiſit portiones: è quibus unam cõiugi, alteram filijs tradidit, tertiam ſibijpſi retentans, ſtatim pauperibus diſtribuit. Nec multo pòſt ſeculi curis abſolutus ad monaſterium Mailros, quod Tuidi fluminis circunflexu maxima ex parte clauditur, peruenit: acceptaq; tonſura, locum ſecretæ mãſionis quã præuiderat, abbas intrauit, & ibi uſq; ad diem mortis in tanta mentis & corporis contritione durauit, ut multa illum quæ alios laterent, uel horrenda uel deſideranda uidiſſe (etiamſi lingua ſileret) uita loqueretur. Narrabat enim hoc modo quod uiderat: Lucidus, inquit, aſpectu, & clarus erat indumento, qui me ducebat. Incedebamus autem tacentes (ut uidebatur mihi) contra ortum ſolis ſolſtitialem: cumq; ambularemus, deuenimus ad uallem multæ latitudinis ac profunditatis, infinitæ autem longitudinis, quæ ad læuam nobis ſita unum latus flammis feruentibus nimium terribile, alterum furenti grandine ac frigore niuiũ omnia perflante atq; uerrente non minus intolerabile præferebat: utrumq; autem erat animabus hominum plenum, quę uiciſsim hinc inde uidebãtur quaſi tempeſtatis impetu iactari. Cùm enim uim feruoris immenſi tolerare non poſſent, proſiliebãt miſeræ in medium frigoris infeſti: & cùm neq; ibi quippiam requiei inuenire ualerent, reſiliebant rurſus urendæ in medium flammarum inextinguibilium. Cumq; hac infelici uiciſsitudine longè lateq;, prout aſpicere poteram, ſine ulla quietis intercapedine innumerabilis ſpirituum deformium multitudo torqueretur, cogitare cœpi, quòd hic fortaſſe eſſet infernus, de cuius tormentis intolerabilibus narrare ſæpius audiui. Reſpondit cogitationi meæ ductor, qui me præcedebat, Non hoc, inquiens, ſuſpiceris: non enim hic infernus eſt ille, quem putas. At cùm me hoc ſpectaculo tam horrendo perterritum paulatim in ulteriora produceret, uidi ſubitò ante nos obſcurari incipere loca, & tenebris omnia repleri. Quas cùm intraremus, in tantum pauliſper condenſatæ ſunt, ut nihil pręter ipſas aſpicerem, excepta dũtaxat ſpecie & ueſte eius qui me ducebat. Et cùm progrederemur ſola ſub nocte per umbras, ecce ſubitò apparẽt ante nos crebri flammarũ tartarearũ globi aſcendẽtes quaſi de puteo magno, rurſumq; decidentes in eundem. Quò cùm perductus eſſem, repentè ductor meus diſparuit, ac me ſolũ reliquit in medio tenebrarum & horrendæ uiſionis. At cùm eidem globi ignium ſine intermiſsione modò alta peterent, modò ima barathri repeterent, cerno omnia quæ aſcendebant faſtigia flammarum plena eſſe ſpiritibus hominum, qui inſtar fauillarum cum fumo aſcendentium, nunc ad ſublimiora proijcerentur, nunc retractis igniũ uaporibus relaberentur in profundum. Sed & fœtor incomparabilis cum eiſdem uaporibus ebulliens, omnia illa tenebrarum loca replebat. Et cùm diutius ibi pauidus conſiſterem, utpote incertus quid agerem, quò ueterem greſſum, quí'ue mihi finis maneret: audio ſubitò poſt terga ſonitum immaniſsimi fletus ac miſerrimi, ſimul & cachinnum crepitantem, quaſi uulgi indocti captis hoſtibus inſultantis. Vt autem ſonitus idem clarior redditus ad me uſq; peruenit, conſidero turbã malignorum ſpirituum, quæ animas hominum mœrentes eiulantesq;, ipſa uerò multum exultans & cachinnans, medias illas trahebat in tenebras. E quibus uidelicet hominibus, ut dignoſcere potui, quidam erat attonſus ut clericus, quidã laicus, quædam fœmina. Trahentes autem eos maligni ſpiritus, deſcenderunt in medium barathri illius ardentis. Factumq; eſt, ut cùm longius ſubeuntibus eis, fletum hominum & riſum dæmoniorum clarè diſcernere nequirem, ſonũ tamen adhuc promiſcuum in auribus haberẽ: interea aſcenderunt quidam ſpirituum obſcurorum de abyſſo illa flammiuoma, & accurrentes circundederunt me, atq; oculis flammantibus, & de ore ac naribus ignem putidum efflantes, angebant. Forcipibus quoq; igneis quos tenebant in manibus, minitabantur me comprehendere: nec tamen me ullatenus contingere, tametſi terrere præſumebant. Qui cùm undiq; uerſum hoſtibus & cæcitate tenebrarum concluſus, huc illucq; oculos circumferrem, ſi fortè alicunde quid auxilij quo ſaluarer, adueniret, apparuit retrò uiam qua ueneram, quaſi fulgor ſtellæ micãtis inter tenebras, qui paulatim creſcẽs, & ad me ocyus feſtinãs, ubi appropinquauit, diſperſi ſunt, & aufugerunt omnes qui me forcipib. rapere quærebãt ſpiritus infeſti. Il-

le autem qui adueniens eos fugauit, erat ipſe qui me ante ducebat: qui mox conuerſus ad dexterum iter, quaſi cõtra ortum ſolis brumalem me ducere cœpit. Nec mora, exemptum tenebris in auras me ſerenæ lucis eduxit. Cumq; me in luce aperta duceret, uidi ante nos murũ permaximum, cuius neq; longitudini hinc uel inde, neq; altitudini ullus eſſe terminus uideretur. Cœpi autem mirari, quare ad murum accederemus, cum in eo nullam ianuam, uel feneſtram, uel aſcenſum alicubi conſpicerem. Cùm ergo perueniſſemus ad murum, ſtatim, neſcio quo ordine, fuimus in ſummitate eius. Et ecce, ibi erat campus latiſsimus ac lætiſsimus, tantaq; fragrantia uernantium floſculorũ plenus, ut omnem mox fœtorem tenebroſæ fornacis, qui me peruaſerat, effugaret admirandi huius ſuauitas odoris. Tanta autem lux cuncta ea loca perfuderat, ut omni ſplendore diei, ſiue ſolis meridiani radijs uideretur eſſe præclarior. Erantq; in hoc campo innumera hominum albatorum conuenticula, ſedesq; plurimæ agminũ lætantium. Cumq; inter choros felicium incolarum medios me duceret, cogitare cœpi, quòd hoc fortaſſe eſſet regnum cœlorum, de quo prędicari ſæpius audiui. Reſpondit ille cogitatui meo: Non, inquiens, hoc eſt regnum cœlorum, quod autumas. Cumq; procedentes tranſiſſemus, & has beatorum manſiones ſpirituum, aſpicio ante nos multo maiorem luminis gratiã quàm prius, in qua etiam uocem cantantiũ dulciſsimam audiui, & odoris fragrantia miri tanta de loco effundebatur, ut is quem antea deguſtans quaſi maximum rebar, iam permodicus mihi odor uideretur: ſicut etiam lux illa campi florentis eximia, in comparatione eius quę nũc apparuit lucis, tenuiſsima prorſus uidebatur & parua. In cuius amœnitatem loci cùm nos intraturos ſperarem, repentè ductor ſubſtitit, nec mora greſſum retorquens, ipſa me uia qua uenimus, reduxit. Cumq; reuerſi perueniremus ad manſiones illas lætas ſpirituum candidatorum, dixit mihi: Scis quæ ſint iſta omnia, quæ uidiſti? Reſpondi ego, Non. & ait, Vallis illa quã aſpexiſti flammis feruẽtibus & frigoribus horrenda rigidis, ipſe eſt locus in quo examinandę & caſtigandæ ſunt animæ illorum, qui differentes confiteri & emendare ſcelera ſua quæ fecerunt, in ipſo tandem mortis articulo ad pœnitentiam confugiunt, & ſic de corpore exeunt, qui tamen quia confeſsionem & pœnitentiam uel in morte habuerunt, omnes in die iudicij ad regnum cœlorum peruenient. Multos autem preces uiuentium, & eleemoſynæ, & ieiunia, & maximè celebratio miſſarum, ut etiam ante diem iudicij liberentur, adiuuãt. Porrò puteus ille flammiuomus ac putidus, quẽ uidiſti, ipſum eſt os gehennæ, in quo quicunq; ſemel inciderit, nunquam inde liberabitur in æuum. Locus uerò ille florifer, in quo pulcherrimam hanc iuuentutem iocundari ac fulgere conſpicis, ipſe eſt in quo recipiuntur animæ eorum, qui in bonis quidem operibus de corpore exeunt, non tamen ſunt tantæ perfectionis, ut in regnũ cœlorum ſtatim mereantur introduci: qui tamen omnes in die iudicij ad uiſionem Chriſti, & gaudia regni cœleſtis intrabunt. Nam quicunq; in omni uerbo, & opere & cogitatione perfecti ſunt, mox de corpore egreſsi ad regnum cœleſte perueniunt. Ad cuius uicinia pertinet locus ille, ubi ſonum cantilenæ dulcis cum odore ſuauitatis ac ſplendore lucis audiſti. Tu autem quia nũc ad corpus reuerti, & rurſum inter homines uiuere debes, ſi actus tuos curioſius diſcutere, & mores ſermonesq; tuos in rectitudine ac ſimplicitate ſeruare ſtudueris, accipies & ipſe poſt mortem locum manſionis inter hæc, quæ cernis, agmina lætabunda ſpirituum beatorũ. Namq; ego cùm ad tempus abſceſsiſſem abs te, ad hoc feci, ut quid de te fieri deberet, agnoſcerem. Hęc mihi cùm dixiſſet, multum deteſtatus ſum reuerti ad corpus, delectatus nimirum ſuauitate ac decore loci illius quem intuebar, ſimul & conſortio eorum, quos in illo eſſe uidebam. Nec tamen ductorem meum aliquid rogare audebam: ſed inter hæc, neſcio quo ordine repẽtè inter homines me uiuere cerno. Hęc & alia quæ uiderat idem uir Domini non omnibus paſsim deſidioſis, ac uitæ ſuæ incurioſis referre uolebat, ſed illis ſolummodo, qui uel tormentorum metu perterriti, uel ſpe gaudiorum perennium delectati, profectum pietatis ex eius uerbis haurire uolebant. Deniq; in uicinia cellæ illius habitabat quidam monachus, nomine Henigils, presbyteratus etiam (quem bonis operibus adornabat) gradu præeminẽs, qui adhuc ſupereſt, & in Hybernia inſula ſolitarius ultimam uitæ ætatem pane cibario & frigida aqua ſuſtentat: hic ſæpius ad eundem uirum ingrediens, audiuit ab eo repetita interrogatione, quæ & qualia eſſent, quæ exutus corpore uiderat: per cuius relationem ad noſtram quoque agnitionem peruenere, quæ de his pauca perſtrinximus. Narrabat autem uiſiones ſuas etiã regi Alfrido, uiro undecunq; doctiſsimo: & tam libenter tamq; ſtudioſe ab illo auditus eſt, ut eius rogatu in monaſterio ſuprà memorato inditus, ac monachica ſit tonſura coronatus, atq; ad eum audiendum ſæpiſsimè cum illas in partes deueniſſet, accederet. Cui uidelicet monaſterio tempore illo religioſæ ac modeſtæ uitæ abbas & presbyter Ediluualdus præerat, qui nunc epiſcopalem Lindisfarnenſis eccleſiæ cathedrã condignis gradu actibus tenet. Accepit autem in eodem monaſterio locũ manſionis ſecretiorem, ubi liberius cõtinuis in orationibus famulatui ſui conditoris uacaret. Et quia locus ipſe ſuper ripam fluminis erat ſitus, ſolebat hunc crebrò ob magnum caſtigandi corporis affectũ ingredi, ac ſæpius in eo ſupermeantibus undis immergi, ſicq; ibidem quamdiu ſuſtinere poſſe uidebatur, pſalmis uel precibus inſiſtere, fixusq; manere, aſcendente aqua fluminis uſque ad lumbos, aliquando & uſque ad collum, atque inde egrediens ad terram, nunquam ipſa ueſtimenta uda uel algida deponere curabat,

donec



donec ex ſuo corpore calefierent & ſiccarẽtur. Cumq; tempore hyemali defluentibus circa eũ ſemifractarum cruſtis glacierum, quas & ipſe aliquando contriuerat, quo haberet locũ ſtandi ſiue immergendi ſe in fluuio: dicerentq; qui uidebant, Mirum frater Drithelme (hoc enim erat uiro nomen) quòd tantã frigoris aſperitatem ulla ratione tolerare præuales? Reſpondebat ille ſimpliciter (erat namq; homo ſimplicis ingenij, ac moderatæ naturę) Frigidiora ego uidi. Et cùm diceret, Mirum quòd tam auſteram tenere continentiam uelis? Reſpondebat, Auſteriora ego uidi. Sicq; uſq; ad diem ſuę uocationis infatigabili cœleſtium bonorum deſiderio corpus ſenile inter quotidiana ieiunia domabat, multisq; & uerbo & cõuerſatiõe ſaluti fuit.

*Vt econtrà alter ad mortem ueniens, in oblato ſibi à dæmonibus codice omnia ſua inuenerit peccata. Caput XIIII.*

AT contrà fuit quidam in prouincia Merciorum, cuius uiſiones ac uerba & cõuerſatio plurimis, ſed non ſibimetipſi profuit. Fuit autẽ quidam temporibus Coenredi, qui poſt Edilredum regnauit, uir in laico habitu, atq; officio militari poſitus, ſed quantum pro induſtria exteriori regi placens, tantum pro interna ſuimet negligentia diſplicens. Admonebat ergo illum ſedulò, ut confiteretur & emendaret ac relinqueret ſcelera ſua, priuſquam ſubito mortis ſuperuentu tempus omne pœnitendi & emendandi perderet. Verùm ille, licet frequẽter admonitus ſpernebat uerba ſalutis, ſeſeq; tempore ſequenti pœnitentiam acturum eſſe promittebat: inter hæc tactus infirmitate decidit in lectum, atq; acri cœpit dolore torqueri. Ad quem ingreſſus rex (diligebat enim eum) multũ hortabatur, ut uel tunc antequam moreretur, pœnitentiam ageret commiſſorum. At ille reſpondebat, non ſe tunc uelle confiteri peccata ſua, ſed cùm ab infirmitate reſurgeret, ne fortè exprobrarent ſibi ſodales, quòd timore mortis faceret ea quæ ſoſpes facere noluerat. Fortiter quidem, ut ſibi uidebatur locutus, ſed miſerabiliter, ut poſtea patuit, dæmoniaca fraude ſeductus eſt. Cumq; morbo ingraueſcẽte denuò ad eum uiſitandum ac docendum rex intraret, clamauit ſtatim miſerabili uoce: Quid uis, modò? quid huc ueniſti? Non enim mihi aliquid utilitatis aut ſalutis potes ultrà cõferre. At ille, Noli, inquit, ita loqui, uide ut ſanum ſapias. Non, inquit, inſanio, ſed peſsimam mihi conſcientiã certus præ oculis habeo. Et quid, inquit, hoc eſt? Paulo antè, inquit, intrauerunt domũ hanc duo pulcherrimi iuuenes, & reſederunt circa me, unus ad caput, & unus ad pedes: protulitq; unus libellum perpulchrũ, ſed uehementer modicum, ac mihi ad legendum dedit, in quo omnia quæ unquam bona feceram intuens ſcripta reperi: & hæc erant nimium pauca & modica. Receperunt codicẽ, neq; aliquid mihi dicebãt. Tũc ſubitò ſuperuenit exercitus malignorum & horrendorum uultu ſpirituũ, domumq; hãc & exterius obſedit, & intus maxima ex parte reſidens impleuit. Tunc ille, qui & obſcuritate tenebroſæ faciei, & primatu ſedis maior eſſe uidebatur eorum, proferens codicem horrendæ uiſionis, & magnitudinis enormis, & ponderis penè importabilis, iuſsit uni ex ſatellitibus ſuis mihi ad legendum deferri. Quẽ cùm legiſſem, inueni omnia ſcelera, non ſolùm quę opere uel uerbo, ſed etiam quæ tenuiſsima cogitatione peccaui, manifeſtiſsimè in eo tetris eſſe deſcripta literis. Dicebatq; ad illos, qui mihi aſſederãt uiros albatos & præclaros: Quid hic ſedetis, ſcientes certiſsimè, quia noſter eſt iſte? Reſponderunt, Verum dicis, accipite, & in cumulum damnationis ueſtrę ducite. Quo dicto, ſtatim diſparuerunt. Surgentesq; duo nequiſsimi ſpiritus, habentes in manibus furcas, percuſſerunt me, unus in capite, & alius in pede. Qui uidelicet modò cum magno tormento irrepunt mea uiſcera in interiora corporis mei, moxq; ut ad inuicem peruenient, moriar, & paratis ad rapiendum me dæmonibus in inferni clauſtra pertrahar. Sic loquebatur miſer deſperans, & non multo pòſt defunctus pœnitentiam, quam ad breue tempus cum fructu ueniæ facere ſuperſedit, in ęternum ſine fructu pœnis ſubditus facit. De quo conſtat, quia (ſicut beatus papa Gregorius de quibuſdã ſcribit) non pro ſe iſta, cui non profuere, ſed pro alijs uiderit, qui eius interitũ cognoſcentes, differre tempus pœnitentię dum uacat, timerent, ne improuiſo mortis articulo pręuenti, impœnitentes perirent. Quòd autem codices diuerſos per bonos ſiue malos ſpiritus ſibi uidit offerri, ob id ſuperna diſpenſatione factum eſt, ut meminerimus facta & cogitationes noſtras, non in uentum diffluere, ſed ad examẽ ſummi iudicis cuncta ſeruari, & ſiue per amicos angelos in fine nobis oſtendenda, ſiue per hoſtes. Quòd uerò prius candidum codicem protulerunt angeli, deinde atrum dęmones: illi perparuum, iſti enormem, animaduertendum eſt, quòd in prima ætate bona aliqua fecit, quæ tamen uniuerſa prauè agendo iuuenis obnubilauit. Qui ſi econtrariò errores pueritiæ corrigere in adoleſcentia, ac benefaciendo à Dei oculis abſcondere curaſſet, poſſet eorum numero ſociari, de quibus ait Pſalmus, Beati quorum remiſſæ ſunt iniquitates, & quorum tecta ſunt peccata. Hanc hiſtoriam ſicut à uenerabili antiſtite Pechtelmo didici, ſimpliciter ob ſalutẽ legentiũ ſiue audientiũ, narrandã eſſe putaui.

*Vt item alius moriturus deputatum ſibi apud inferos locum pœnarum uiderit. Caput XV.*

NOui aũt ipſe fratrem, quẽ utinam nõ noſſem, cuius etiã nomẽ, ſi hoc aliquid prodeſſet, dicere poſſem, poſitũ in monaſterio nobili, ſed ipſum ignobiliter uiuentẽ. corripiebat qdẽ ſedulò à fratribus ac maiorib. loci, atq; ad caſtigatiorẽ uitã cõuerti admonebatur. Et qũuis eos

audire

audire noluiſſet, tolerabatur tamen ab eis longanimiter, ob neceſsitatem operum ipſius exteriorum: erat enim fabrili arte ſingularis. Seruiebat autem multum ebrietati, & cæteris uitę remiſsioris illecebris: magiſq; in officina ſua die noctuq; reſidere, quàm ad pſallendum atq; orandum in eccleſia, audiendumq; cum fratribus uerbum uitæ concurrere conſuerat. Vnde accidit illi (quod ſolent dicere quidā) quia qui non uult eccleſiæ ianuam ſponte humiliatus ingredi, neceſſe habet in ianuam inferni nō ſponte damnatus introduci. Percuſſus enim languore, atq; ad extrema perductus, uocauit fratres, & multum mœrens ac damnato ſimilis cœpit narrare, quia uideret inferos apertos, & ſatanā immerſum in profundū tartari. Caiphan quoq; cum cæteris qui occiderunt Dominum iuxta eum flammis ultricibus contraditū: in quorum uicinia, inquit, heu miſero mihi, locum aſpicio æternæ perditionis eſſe præparatum. Audientes hæc fratres, cœperunt diligenter exhortari, ut uel tunc poſitus adhuc in corpore pœnitentiam ageret. Reſpondebat ille deſperans, Non eſt mihi modò tempus uitam mutādi, cùm ipſe uiderim iudicium meum iam eſſe completum. Talia dicens ſine uiatico ſalutis obijt, & corpus eius in ultimis eſt monaſterij locis humatū: neque aliquis pro eo uel miſſas facere, uel pſalmos cantare, uel ſaltem orare præſumebat. O quàm grandi diſtantia diuiſit Dominus lucē & tenebras. Beatus protomartyr Stephanus paſſurus mortē pro ueritate uidit cœlos apertos, uidit gloriam Dei, & Ieſum ſtantem à dextris Dei: & ubi erat futurus ipſe poſt mortem, ibi oculos mentis ante mortem, quo lætior occumberet, miſit. At contrà faber ille tenebroſę mentis & actionis, imminēte morte uidit aperta tartara, uidit damnationem diaboli & ſequacium eius: uidit etiam ſuum infelix inter tales carcerem, quo miſerabilius ipſe deſperata ſalute periret, ſed uiuentibus qui hæc cognouiſſent, cauſam ſalutis ſua perditione relinqueret. Factum eſt hoc nuper in prouincia Berniciorum, ac longè lateq; diffamatum, multoſq; ad agendam, & non differendam ſcelerum ſuorum pœnitudinem prouocauit. Quod utinam exhinc etiam noſtrarum fiat lectione literarum.

*Vt plurimæ Scotorum eccleſiæ inſtante Adamnano catholicum paſcha ſuſceperint: utq; idem librum de locis ſanctis ſcripſerit.* Caput XVI.

QVo tempore plurima pars Scotorū in Hybernia, & nonnulla etiam de Britonibus in Britannia, rationabile & eccleſiaſticum paſchalis obſeruantiæ tempus, Domino donante ſuſcepit. Siquidem Adamnanus, presbyter & abbas monachorum qui erāt in inſula Hu, cùm legationis gratia miſſus à ſua gente ueniſſet ad Alfridum regem Anglorum, & aliquandiu in ea prouincia moratus uideret ritus eccleſiæ canonicos, & à pluribus qui erant eruditiores, eſſet ſolerter admonitus, ne contra uniuerſalem Eccleſiæ morem, uel in obſeruantia paſchali, uel in alijs quibuſq; decretis cum ſuis paucíſsimis, & in extremo mundi angulo poſitis uiuere præſumeret, mutatus mente eſt: ita ut ea quæ uiderat & audierat in eccleſijs Anglorum, ſuæ ſuorumq; conſuetudini libentiſsimè præferret. Erat enim uir bonus & ſapiens, & ſcientia ſcripturarum nobiliſsimè inſtructus. Qui cùm domū rediſſet, curauit ſuos qui erant in Hu, quiue eidem erāt ſubditi monaſterio ad eum, quē cognouerat, quemq; ipſe ex toto corde ſuſceperat, ueritatis callem perducere, nec ualuit. Nauigauit itaque in Hyberniam, & prædicans eis ac modeſtā exhortatione declarās legitimum paſchæ tempus, plurimos eorum, & penè omnes, qui ab Hijenſium erant dominio liberi, ab errore correctos, ad unitatem reduxit catholicam, ac legitimum Paſchæ tempus obſeruare perdocuit. Qui cùm celebrato in Hybernia canonico Paſcha, ad ſuam inſulam reuertiſſet, ſuiſq; in monaſterio catholicā temporis paſchalis obſeruantiam inſtantiſsimè prædicaret, nec tamen perficere quod conabatur, poſſet, contigit eum ante expletum anni circulum migraſſe de ſeculo, diuina utique gratia diſponente, ut uir unitatis & pacis ſtudioſiſsimus ante ad uitam raperetur æternam, quàm redeunte tēpore paſchali grauiorem cum eis, qui eum ad ueritatem ſequi nolebant, cogeretur habere diſcordiam. Scripſit idem uir de locis ſanctis librum legentibus multum utiliſsimū, cuius auctor erat docendo ac dictando Galliarum epiſcopus Arcuulfus, qui locorum gratia ſanctorum uenerat Hieroſolymam: & luſtrata omni terra repromiſsionis, Damaſcum quoque, Conſtantinopolim, Alexandriam, multaſq; maris inſulas adierat, patriamq; nauigio reuertens, ui tempeſtatis in Occidentalia Britanniæ litora delatus eſt: ac poſt multa ad memoratū Chriſti famulum Adamnanum perueniens, ubi doctus in ſcripturis, ſanctorumq; locorum gnarus eſſe compertus eſt, libentiſsimè eſt ab illo ſuſceptus, libentius auditus: adeò ut quæq; ille ſe in locis ſanctis memoratu digna uidiſſe teſtabatur, cuncta mox ille literis mādare curauerit. Fecitq; opus (ut dixi) multis utile, & maximè illis qui longius ab eis locis, in quibus Patriarchæ & Apoſtoli erant, ſecreti, ea tantum de his quæ lectione didicerint, norunt. Porrexit autē librum hunc Adamnanus Alfrido regi, ac per eius eſt largitionem etiam minoribus ad legendum contraditus. Scriptor quoque ipſe multis ab eo muneribus donatus, in patriam remiſſus eſt. De cuius ſcriptis aliqua decerpere, ac noſtræ huic hiſtoriæ inſerere commodum fore legentibus reor.

*Quæ in eodem libro de loco Dominicæ natiuitatis, paſſionis, & reſurrectionis commemorauerit.* Caput XVII.

SCripſit ergo de loco Dominicæ natiuitatis in hunc modum: Bethleem ciuitas Dauid, in
dor/



dorſò ſita eſt anguſto, ex omni parte uallibus circundata, ab occidente in orientē mille paſſibus longa, humilis, ſine turribus muro per extrema plani uerticis inſtructo: in cuius orientali angulo, quaſi quoddam naturale ſemiantrum eſt, cuius exterior pars natiuitatis Dominicæ fuiſſe dicitur locus, interior præſepe Domini nominatur. Hæc ſpelunca tota interius precioſo marmore tecta, ſupra locum ubi Dominus natus, ſpecialius traditur, ſanctæ Mariæ grandem geſtat eccleſiam. Scripſit item hoc modo de loco paſſionis & reſurrectionis illius: Ingreſſus à ſeptentrionali parte urbem Hieroſolymam, primùm de locis ſanctis pro conditione plateatū diuertendum eſt ad eccleſiam Conſtantinianā, quæ Martyrium appellatur. Hanc Conſtantinus imperator, eo quòd ibi crux Domini ab Helena eius matre reperta ſit, magnifico & regio cultu conſtruxit. Dehinc ab occaſu Golgotana uidetur eccleſia, in qua etiam rupis illa apparet, quæ quondam ipſa infixo Domini corpore crucem Domini tulit argenteam, modò pergrandem ſuſtinens crucem, pendente magna deſuper ęrea rota cum lampadibus: infra ipſum uerò locum Dominicæ crucis exciſa in petra crypta eſt, in qua ſuper altare pro defunctis honoratis ſacrificium ſolet offerri, poſitis interim in platea corporibus. Huius quoque ad occaſum eccleſiæ anaſtaſis, hoc eſt, reſurrectionis Dominicæ rotunda eccleſia tribus cincta parietibus, duodecim columnis ſuſtentatur, inter parietes ſingulos latū habēs ſpaciū uiæ, quæ tria altaria, in tribus locis parietis medij cōtinet: hoc eſt, auſtrali, aquilonali & occidentali. Hæc bis quaternas portas, id eſt, introitus, per tres eregione parietes habet, è quibus quatuor ad Vulturnum, & quatuor ad Eurum ſpectant: huius in medio monumentū Domini rotundum petra exciſum eſt, cuius culmen intrinſecus ſtans homo manu contingere poteſt: ab oriente habēs introitum, cui lapis ille magnus appoſitus eſt, quod intrinſecus ferramentorum ueſtigia uſq; in præſens oſtendit. Nam extrinſecus uſque ad culminis ſummitatem totum marmore tectum eſt: ſummum uerò culmen auro ornatum, auream magnam geſtat crucem. In huius ergo monumenti aquilonari parte, ſepulchrum Domini in eadem petra exciſum eſt, longitudinis ſeptem pedum, trium menſura palmarum pauimento altius eminet: introitum habens à latere meridiano, ubi die noctuq; duodecim lāpades ardent: quatuor intra ſepulchrum, octo ſuprà in margine dextro. Lapis qui ad oſtium monumenti poſitus erat, nunc fiſſus eſt, cuius pars minor quadratum altare ante oſtium nihilominus eiuſdem monumenti ſtat: maior uerò pars, in orientali eiuſdem eccleſiæ loco, quadrangulum aliud altare ſub linteaminibus extat. Color autem eiuſdem monumenti & ſepulchri, albo & rubicundo permixtus uidetur.

*Quæ item de loco aſcenſionis Dominicæ, & ſepulchris patriarcharum ſcripſerit.* Cap. XVIII.

DE loco quoque aſcenſionis Dominicæ prefatus auctor hoc modo refert: Mons Oliuarum altitudine monti Sion par eſt, ſed latitudine & longitudine præſtat, exceptis uitibus & oliuis: raræ ferax arboris, frumēti quoq; & hordei fertilis. Neq; enim brucoſa, ſed herboſa & florida ſoli illius eſt qualitas: in cuius ſummo uertice, ubi Dominus ad cœlos aſcendit, eccleſia rotunda grandis ternas per circuitum cameratas habet porticus deſuper tectas. Interior nāq; domus propter Dominici corporis meatum camerari & tegi nō potuit: altare ad Orientem habens auguſto culmine protectum, in cuius medio ultima Domini ueſtigia cœlo deſuper patente ubi aſcendit, uiſuntur. Quæ cùm quotidie à credentibus terra tollatur, nihilominus manet, eandemq; adhuc ſpeciem ueluti impreſsis ſignatam ueſtigijs ſeruat. Hæc circa ærea rota iacet, uſque ad ceruicem alta, ab occaſu habens introitum, pendente deſuper in trochleis magna lampade, totaq; die ac nocte lucente. In occidentali eiuſdem eccleſiæ parte ſunt feneſtræ octo, totidemq; è regione lampades in funibus pendentes, uſque Hieroſolymā per uitrum fulgent: quarum lux corda intuentium cum quadam alacritate & compunctione pauefacere dicitur. In die aſcenſionis Dominicæ, per annos ſingulos miſſa peracta ualidi flaminis procella deſurſum uenire conſueuit, & omnes qui in eccleſia adfuerint, terræ proſternere. De ſitu etiam Hebron, & monumentis patrum ita ſcribit: Hebron quondam ciuitas & metropolis regni Dauid, nunc ruinis tantum, quid tunc fuerit, oſtendens: uno ad Orientem ſtadio ſpeluncam duplicem in ualle habet, ubi ſepulchra patriarcharū quadrato muro circundantur, capitibus uerſis ad Aquilonem: & hæc ſingula ſingulis tecta lapidibus, inſtar baſilicę dolatis trium patriarcharum candidis. Adam obſcurioris & uilioris operis, qui haud longè ab illis ad Borealem extremamq; muri illius partem pauſat. Trium quoque fœminarum uiliores & minores memoriæ cernuntur. Mambre etiam collis mille paſsibus eſt à monumentis, his ad Boream herboſus ualde & floridus, campeſtrem habens in uertice planiciem: in cuius Aquilonari parte quercus Abrahæ duorum hominum altitudinis truncus, eccleſia circundata eſt. Hæc de opuſculis excerpta præfati ſcriptoris ad ſenſum quidem uerborum illius, ſed breuioribus ſtrictiſq; comprehenſa ſermonibus noſtris, ad utilitatē legentium hiſtorijs indere placuit. Plura uoluminis illius, ſi quem ſcire delectat, uel in ipſo illo uolumine, uel in eo, quod de illo dudum ſtrictim excerpſimus, epitomate requirat.

Vt

*Vt Auſtrales Saxones epiſcopos acceperint Eadbertum & Eollan, Occidentales Danielem & Aldhelmum, & de ſcriptis eiuſdem Aldhelmi.* Cap. XIX.

ANno Dominicę incarnationis ſeptingenteſimo quinto, Alfridus rex Nordan Humbrorum defunctus eſt, anno regni ſui uiceſimo, necdum impleto: cui ſuccedens in imperiū filius ſuus Oſredus, puer octo circiter annorum, regnauit annis undecim. Huius regni principio antiſtes occidentalium Saxonū Heddi cœleſtem migrauit ad uitā. Bonus quippe erat uir ac iuſtus, & epiſcopalem uitam ſiue doctrinam magis inſito ſibi uirtutum amore, quàm lectionibus inſtitutus exercebat. Deniq; reuerendiſsimus antiſtes Pecthelmus, de quo in ſequētibus loco ſuo dicendum eſt, qui cum ſucceſſore eius Aldhelmo multo tempore adhuc diaconus ſiue monachus fuit, referre eſt ſolitus, quòd in loco quo defunctus eſt, ob meritum ſanctitatis eius, multa ſanitatum ſint patrata miracula: hominesq; prouinciæ illius ſolitos ablatum inde puluerem, propter languentes in aquam mittere, atq; huius guſtum ſiue aſperſionem multis ſanitatem ægrotis & hominibus & pecoribus conferre: propter quod, frequenti ablatione pulueris ſacri, foſſa ſit ibidem facta non minima. Quo defuncto epiſcopatus prouinciæ illius in duas parochias diuiſus eſt. una data eſt Danieli, quā uſque hodie regit: altera Aldhelmo, cui annis quatuor ſtrenuiſsimè pręfuit: ambo & in rebus eccleſiaſticis & in ſcientia ſcripturarū ſufficienter inſtructi. Deniq; Aldhelmus cùm eſſet adhuc presbyter & abbas monaſterij, quod Mailduí urbem nomināt, ſcripſit iubente ſynodo ſuę gentis librum egregium aduerſus errorem Britonum, quo uel paſcha non ſuo tempore celebrant, uel alia perplura eccleſiaſticę caſtitati & paci contraria gerunt: multoſq; eorum, qui occidētalibus Saxonibus ſubditi erant Britones, ad catholicam Dominici paſchæ celebrationē huius lectione perduxit. Scripſit & de uirginitate librum eximium, quem in exemplū Sedulij geminato opere, & uerſib. hexametris, & proſa compoſuit. Scripſit & alia nonnulla, utpote uir undecunq; doctiſsimus: nam & ſermone nitidus, & ſcripturarum (ut dixi) tam liberalium quàm eccleſiaſticarum erat eruditione mirandus. Quo defuncto pōtificatum pro eo ſuſcepit Forthere, qui uſque hodie ſupereſt, uir & ipſe in ſcripturis ſanctis multum eruditus. Quibus epiſcopatum adminiſtrantibus ſtatutum eſt ſynodali decreto, ut prouincia Auſtralium Saxonū, quæ eatenus ad ciuitatis Ventanę, cui tunc Daniel præerat, parochiam pertinebat, & ipſa ſedem epiſcopalem ac proprium haberet epiſcopum: conſecratuſq; eſt eis primus antiſtes Eadbertus, qui erat abbas in monaſterio beatæ memorię Vuilfridi epiſcopi, quod dicitur Seleſeu: quo defuncto Ceolla ſuſcepit officium pontificatus. Ipſo autem ante aliquot annos ex hac luce ſubtracto, epiſcopatus uſq; hodie ceſſauit.

*Vt Coenredus Merciorum, & Offa Orientalium Saxonum rex in monachico habitu Romæ uitam finierint: & de uita uel obitu Vuilfridi epiſcopi.* Caput XX.

ANno autem imperij Hoſredi quarto Coenredus, qui regno Merciorū nobiliſsimè tēpore aliquanto præfuerat, nobilius multo ſceptra regni reliquit. Nam uenit Romā, ibiq; attonſus, pontificatum habente Conſtantino, ac monachus factus, ad limina Apoſtolorū in precibus, ieiunijs & eleemoſynis uſq; ad diem permanſit ultimum: ſuccedente in regnum Coenredo filio Edilredi, qui ante ipſum Coenredum idem regnum tenebat. Venit autem cum illo & filius Sigheri regis Orientalium Saxonum, cuius ſuprà meminimus, uocabulo Offa, iuuenis amātiſsimę ætatis & uenuſtatis, totæq; ſuæ genti ad tenenda ſeruandaq; regni ſceptra exoptatiſsimus. Qui pari ductus deuotione mentis reliquit uxorem, agros, cognatos & patriam, propter Chriſtum & propter Euāgelium, ut in hac uita centuplum acciperet, & in ſeculo uenturo uitam æternam. Et ipſe ergo, ubi ad loca ſancta Romam peruenerunt, attonſus, & in monachico uitam habitu complens, ad uiſionem beatorum Apoſtolorum in cœlis diu deſideratā peruenit. Eodem ſanè anno, quo hi Britanniā reliquere, antiſtes eximius Vuilfridus poſt quadraginta & quinq; annos accepti epiſcopatus diem clauſit extremum, in prouincia quæ uocatur Inundalum, corpuſq; eius loculo inditum, perlatum eſt in monaſterium ipſius, quod dicitur Inrhypum, & iuxta honorem tanto pontifici congruum in eccleſia beati apoſtoli Petri ſepultum. De cuius ſtatu uitæ (ut ad priora repedantes, paucis quæ ſunt geſta, memoremus) cùm eſſet puer bonæ indolis, atq; uitam in probis moribus tranſigens, ità ſe modeſtè & circūſpectè in omnibus gerebat, ut meritò à maioribus quaſi unus ex ipſis amaretur, & uenerаretur. Vbi quartumdecimum ætatis contigit annum, monaſticam ſeculari uitā prætulit. Quod ubi patri ſuo narrauit (iam enim mater obierat) libenter eius uotis ac deſiderijs cœleſtibus annuit, eumq; cœptis inſiſtere ſalutaribus iuſſit. Venit ergo ad inſulā Lindisfarnenſem, ibiq; monachorum famulatui ſe contradens, diligēter ea quæ monaſticæ caſtitatis ac pietatis erāt, & diſcere curabat, & agere. Et quia acris erat ingenij, didicit citiſsimè pſalmos & aliquot codices, necdum quidem attonſus: uerùm his qui tonſura maiores ſunt uirtutibus, id eſt, humilitatis & obedientiæ nō mediocriter inſignitus: propter quod & à ſenioribus & coætaneis ſuis iuſto colebatur affectu: in quo uidelicet monaſterio cum aliquot annos Deo ſeruiret, animaduertit paulatim adoleſcens animi ſagacis, minimè perfectam eſſe uirtutis uiam quæ tradebatur à Scotis: propoſuitq; animo uenire Romā, & qui ad ſedem Apoſtolicam ritus eccleſiaſtici ſiue monaſteriales ſeruarentur, uidere. Quod cùm fratribus referret, laudauerunt eius propo ſitum,



ſitum, eumq; id quod mente diſpoſuit, perficere ſuadebant. At ille confeſtim ueniens ad reginā Eanfledam, cui notus erat, eiuſq; cōſilio & ſuffragijs pręfato fuerat monaſterio ſociatus, indicauit ei deſiderium ſibi ineſſe beatorum Apoſtolorum limina uiſitandi: quæ delectata bono adoleſcentis propoſito, miſit eum in Cantiā ad regem Erconbertū, qui erat filius auunculi ſui, poſtulans ut eum honorificè Romam tranſmitteret. Quo tēpore ibi gradū archiepiſcopatus Honorius unus ex diſcipulis beati papæ Gregorij, uir in rebus eccleſiaſticis ſublimiter inſtitutus, ſeruabat. Vbi cùm aliquandiu demoratus adoleſcens animi uiuacis, diligēter his quæ inſpiciebat, diſcēdis operam daret, ſuperuenit illò alius adoleſcens nomine Biſcop, cognomēto Benedictus, de nobilibus Anglorum, cupiēs & ipſe Romā uenire, cuius ſuprà meminimus. Huius ergo comitatui rex ſociauit Vuilfridū, atq; illum ſecum Romā perducere iuſsit. Qui cum Lugdunū perueniſſent, Vuilfridus à Dalfino ciuitatis epiſcopo ibi retentus eſt, Benedictus cœptum iter gnauiter Romam uſq; compleuit. Delectabatur enim antiſtes prudentia uerborum iuuenis, gratia uenuſti uultus, alacritate actionis, & conſtantia ac maturitate cogitationis. Vnde & omnia quæ neceſſe habebat, abundanter ipſi cum ſocijs ſuis (quandiu ſecum erāt) donabat: & inſuper offerebat, ut ſi uellet, partem Galliarum non minimam illi regendā committeret, ac filiam fratris ſui uirginem illi coniugē daret, eumq; ipſe loco adoptiui haberet. At ille gratias agēs pietati, quam erga eum (cum eſſet peregrinus) habere dignaretur, reſpondit, propoſitum ſe magis alterius conuerſationis habere, & ideo patria relicta Romam iter agere cœpiſſe. Quibus auditis antiſtes miſit eum Romam, dato duce itineris, & cunctis ſimul, quæ neceſsitas poſcebat itineris largiter ſubminiſtratis, obſecrans ſedulò, ut cùm in patriā reuerteretur, per ſe iter facere meminiſſet. Veniēs uerò Vuilfridus Romam, & orationibus ac meditationi rerum eccleſiaſticarum (ut animo propoſuerat) quotidiana mācipatus inſtātia, peruenit ad amicitiam uiri ſanctiſsimi ac doctiſsimi, Bonifacij uidelicet archidiaconi, qui etiam conſiliarius erat Apoſtolici papæ: cuius magiſterio quatuor Euāgeliorum libros ex ordine didicit, computum paſchæ rationabilē, & alia multa, quæ in patria nequiuerat, eccleſiaſticis diſciplinis accommoda, eodem magiſtro tradente percepit. Et cum mēſes aliquot ibi ſtudijs occupatus felicibus exegiſſet, redijt ad Dalfinum in Galliam, & tres annos apud ipſum cō moratus, attonſus eſt ab eo, & in tanto habitus amore, ut hæredem ſibi illum facere cogitaret. Sed ne hoc fieri poſſet, antiſtes crudeli morte præreptus eſt, & Vuilfridus ad ſuæ potius, hoc eſt, Anglorum gentis epiſcopatum reſeruatus. Nam Brunechilda regina miſsis militibus epiſcopū iuſsit interfici, quem ad locū quidē quo decollādus erat, ſecutus eſt Vuilfridus clericus illius, deſiderans cum eo (tametſi ipſo multum prohibente) pariter occumbere. Sed hunc ubi peregrinum atq; oriundum de natione Anglorum cognouere, carnifices pepercere illi, neq; eum trucidare cum ſuo uoluere pontifice. At ille in Britanniā ueniens, cōiunctus eſt amicitijs Aldfridi regis, qui catholicas Eccleſiæ regulas ſequi ſemper, & amare didicerat. Vnde & illi, quia catholicum eum eſſe comperit, mox donauit terram decem familiarum, in loco qui dicitur Stanford: & non multo pòſt monaſterium triginta familiarum, in loco qui uocatur Inrhypum. quem uidelicet locum dederat pridē, ad conſtruendum inibi monaſterium, his qui Scotos ſequebātur: uerū quia illi poſtmodū optione data maluerūt loco cedere, quàm paſcha catholicum, cæteroſq; ritus canonicos iuxta Romanæ & Apoſtolicæ eccleſiæ conſuetudinem recipere, dedit hoc illi, quem melioribus imbutum diſciplinis ac moribus uidit. Quo in tēpore ad iuſsionem præfati regis presbyter ordinatus eſt in eodem monaſterio, ab Agilberto epiſcopo Geuiſſorum, cuius ſuprà meminimus, deſiderante rege, ut uir tantæ eruditionis ac religionis ſibi ſpecialiter indiuiduo comitatu ſacerdos eſſet ac doctor. Quem non multo pòſt, detecta & eliminata (ut ſuprà docuimus) Scotorum ſecta, in Galliam mittens cum conſilio atq; conſenſu patris ſui Oſuui, epiſcopum ſibi rogauit ordinari, cum eſſet annorū circiter triginta, eodem Agilberto tunc epiſcopatū agente Pariſiacæ ciuitatis, cū quo & alij undecim epiſcopi ad dedicationem antiſtitis cōuenientes, multum honorificè miniſterium impleuerūt. Quo adhuc in Trāſmarinis partibus demorante, cōſecratus eſt in epiſcopatum Eboraci, iubēte rege Oſuui Ceadda, uir ſanctus, ut ſuprà memoratum eſt: & tribus annis eccleſiam ſublimiter regens, de hinc ad monaſterij ſui quod eſt in Læſtingari, curam ſeceſsit, accipiente Vuilfrido epiſcopatum totius Nordan Humbrorum prouinciæ: qui deinde regnāte Ecgfrido pulſus eſt epiſcopatu, & alij pro illo conſecrati antiſtites, quorū ſuprà meminimus, Romamq; iturus, & corā Apoſtolico papa cauſam dicturus, ubi nauē conſcendit, flante Fauonio pulſus eſt in Freſiam, & honorificè ſuſceptus à barbaris ac rege illorum Aldgiſlo, prædicabat eis Chriſtum, & multa eorum milia uerbo ueritatis inſtituens, à peccatorum ſuorū ſordibus fonte ſaluatoris abluit: & quod poſtmodum Vuilbrordus reuerendiſsimus Chriſti pontifex in magna deuotione compleuit, ipſe primus ibi opus Euangelicum cœpit. Ibi ergo hyemem cum noua Dei plebe feliciter exigens, ſic Romā ueniendi iter repetijt, & ubi cauſa eius uētilata eſt præſente Agathone papa, & pluribus epiſcopis, uniuerſorū iudicio abſq; crimine accuſatus fuiſſet, epiſcopatu eſſe dignus inuētus eſt. Quo in tempore idem papa Agatho cùm ſynodum congregaret Romę centum uigintiquinq; epiſcoporum, aduerſus eos qui unā in Domino ſaluatore uoluntatē atq; operationē dogmatizabāt, uocari iuſsit & Vuilfridū, atq; inter epiſcopos conſe-

dentē dicere fidē ſuā, ſimul & prouinciç ſiue inſulç de qua uenerat: cūq; catholicus fide cū ſuis eſſet inuētus, placuit hoc inter cætera eiuſdē ſynodi geſtis inſeri, ſcriptūq; eſt hoc modo: Vuilfridus Deo amabilis epiſcopus Eboracēſis ciuitatis, apoſtolicā ſedē de ſua cauſa appellans, & ab hac poteſtate de certis incertiſq; rebus abſolutus, & cū alijs 125. coēpiſcopis in ſynodo in iudicij ſede cōſtitutus, & ꝓ omni aquilonari parte Britāniæ & Hyberniæ inſulis, quç ab Anglorū & Britonū, necnō Scotorū & Pictorū gentibus incolūtur, uerā & catholicā fidem confeſſus eſt, & conſcriptione ſua corroborauit. Poſt hęc reuerſus in Britanniā, prouinciā Auſtraliū Saxonū ab idololatriæ ritibus ad Chriſti fidem cōuertit: Vectç quoq; inſulç uerbi miniſtros deſtinauit, & ſecūdo anno Aldfridi, qui poſt Egfridū regnauit, ſedem ſuā & epiſcopatū ipſo rege inuitāte recepit. Sed poſt quinq; annos denuò accuſatus ab eodē ipſo rege & plurimis epiſcopis, præſulatu pulſus eſt: ueniensq; Romā cū præſentibus accuſatorib. acciperet locum ſe defendēdi, cōſedentibus epiſcopis pluribus cū apoſtolico papa Ioāne, omniū iudicio probatū eſt, accuſatores eius nōnulla in parte falſas contra eū eſſe machinatos calūnias. Scriptūq; eſt à præfato papa regib. Anglorū Edilredo & Aldfrido, ut eum in epiſcopatū ſuū (eo quòd iniuſtè fuerit condēnatus) facerēt recipi. Iuuit autē cauſam abſolutiōis eius lectio ſynodi beatę memoriæ papæ Agathonis, quæ quondā ipſo prçſente in urbe atq; in eodem cōcilio inter epiſcopos reſidente, ut prædiximus, acta eſt. Cū ergo cauſa exigente ſynodus eadē corā nobilibus & frequētia populi iubente apoſtolico papa diebus aliquot legeretur, uentū eſt ad locū ubi ſcriptū erat: Vuilfridus Deo amabilis, epiſcopus Eboracenſis ciuitatis, apoſtolicā ſedem de ſua cauſa appellans, & ab hac poteſtate de certis incertiſq; rebus abſolutus, &c. quæ ſuprà poſuimus. Quod ubi lectū eſt, ſtupor apprehendit audiētes, & ſilēte lectore cœperūt alterutrū requirere, quis eſſet ille Vuilfridus epiſcopus. Tum Bonifacius conſiliarius apoſtolici papæ, & alij perplures, qui eum tēporibus Agathonis papç ibi uiderūt, dicebāt ipſum eſſe epiſcopū, qui nuper Romā accuſatus à ſuis, atq; ab apoſtolica ſede iudicandus, aduenerat. Qui iādudū, inquiūt, æquè accuſatus huc adueniens, mox audita ac dijudicata cauſa & cōtrouerſia utriuſq; partis, à beatæ memoriæ papa Agathone probatus eſt, cōtra fas à ſuo epiſcopatu repulſus: & tāto apud eū habitus eſt honore, ut ipſum in cōcilio quod cōgregarat epiſcoporū, quaſi uirū incorruptæ fidei, & animi probi reſidere præciperet. Quibus auditis dicebāt omnes unà cū ipſo pontifice, uirū tantæ autoritatis, qui per quadraginta propè annos epiſcopatu fungebatur, nequaq; dānari debere, ſed ad integrū culpis accuſationū abſolutū, patriā cū honore reuerti. qui cùm in Britanniā remeās in Galliarū partes deueniſſet, tactus eſt infirmitate repētina, & ea creſcēte adeò preſſus, ut neq; equo uehi poſſet, ſed manibus miniſtrorū portaretur in grabato. Sic delatus in ciuitatē Meldū Galliæ, quatuor diebus ac noctibus quaſi mortuus iacebat, halitu tantū pertenui, quia uiueret demonſtrās. Cūq; ita ſine cibo & potu, ſine uoce & auditu quatriduo perſeueraret, quinta demū illuceſcēte die, quaſi de graui experrectus ſomno, exurgens reſedit, apertiſq; oculis, uidit circa ſe choros pſallentiū ſimul & flentiū fratrū: ac modicū ſuſpirās interrogauit ubi eſſet Acca presbyter. qui ſtatim uocatus intrauit, & uidens eū melius habentē ac loqui iā ualentē, flexis genib. gratias egit Deo, cū omnibus qui aderant fratribus. Et cum parū conſediſſent, ac de ſupernis iudicijs trepidi aliquantū fabulari cœpiſſent, iuſſit pontifex cæteros ad horā egredi, & ad Accan presbyterū ita loqui exorſus eſt: Viſio mihi modò tremēda apparuit, quā te audire ac ſilentio tegere uolo, donec ſciā, quid de me fieri uelit Deus. Aſtitit enī mihi quidā candido præclarus habitu, dicēs ſe Michaëlem eſſe archangelū, & ob hoc, inquit, miſſus ſum, ut te à morte reuocē. Donauit enim tibi Dominus uitā per orationes ac lachrymas diſcipulorū & fratrū tuorū, & per interceſſionē ſuæ beatæ genitricis ſemperq; uirginis Mariæ. Quapropter dico tibi, quia modò quidē ab infirmitate hac ſanaberis: ſed paratus eſto, quia poſt quadrienniū reuertēs uiſitabo te. in patriā uerò perueniēs, maximā poſſeſsionū tuarū quç tibi ablatæ ſunt, portionē recipies, atq; in pace tranquilla uitā terminabis. Conualuit igitur epiſcopus cunctis gaudentibus, & Deo gratias agentibus, cœptoq; itinere in Britanniā uenit. Lectis autē epiſtolis, quas ab Apoſtolico Papa aduexerat, Bertuualdus archiepiſcopus, & Edilredus quondā rex, tunc aūt abbas, libentiſsimè fauerūt: qui uidelicet Edilredus accitū ad ſe Conredū, quē pro ſe regē fecerat, amicū epiſcopo fieri petijt, & impetrauit: ſed Aldfridus Nordan Humbrorū rex eum ſuſcipere contempſit, nec longo tēpore ſuperfuit. Vnde factū eſt, ut regnante Oſredo filio eius, mox ſynodo facta iuxta fluuiū Nidd, poſt aliquantū utriuſq; partis conflictū, tandē cunctis fauentibus in præſulatū ſit ſuæ receptus eccleſiæ. Sicq; quatuor annis, id eſt, uſq; ad diē obitus ſui uitā duxit in pace. Defunctus eſt aūt quarto idus Octob. in monaſterio ſuo, quod habebat in prouincia Vndalū, ſub regimine Cudbaldi abbatis, & miniſterio fratrū perlatus in primū ſuū monaſteriū, ꝙd dicitur Inrhypū, poſitusq; eſt in eccleſia beati apoſtoli Petri iuxta altare ad Auſtrū, ut & ſuprà docuimus, & hoc de illo epitaphiū eſt ſcriptū:

Vuilfridus hic magnus reqeſcit corpore p̄ſul,
Hanc Domino, qui aulā ductus pietatis amore
Fecit, & eximio ſacrauit nomine Petri:
Cui claues cœli Chriſtus dedit arbiter orbis,
Atq; auro ac Tyrio deuotus ueſtijt oſtro.
Quin etiam ſublime crucis radiante metallo,
Hic poſuit trophæum, necnon & quatuor auro
Scribi Euangelij præcepit in ordine libros:
Ac thecā è rutilo his condignā condidit auro.
Paſchalis qui etiam ſolennia tempora curſus,
Catholici ad iuſtum correxit dogma canonis,
Quem ſtatuere patres, dubioq; errore remoto
Certa ſuæ genti oſtendit moderamina ritus:
Inq; locis iſtis monachorum examina crebra
Colligit, ac monitis cauit quæ regula patrum
Sedulus inſtituit, multiſq; domiq; foriſq;
Iactatus nimium per tempora longa periclis:
Quindecies ternos poſtquā egit epiſcopus annos,)
Trāſijt, & gaudēs cœleſtia regna petiuit,
Dona Ieſu ut grex paſtoris calle ſequatur.



*Vt religioſo abbati Adriano Albinus, Vuilfrido in epiſcopatum Acca ſucceſſerit.* Caput XXI.

ANno poſt obitum præfati patris proximo, id eſt, quinto Oſredi regis, reuerēdiſsimus pater Adrianus abbas, cooperator in uerbo Dei Theodori beatæ memoriæ epiſcopi, defunctus eſt, & in monaſterio ſuo in eccleſia beatæ Dei genetricis ſepultus: qui eſt annus quadrageſimusprimus, ex quo à Vitaliano papa directus eſt cum Theodoro: ex quo autem in Britanniam uenit, triceſimusnonus. Cuius doctrinæ, ſimul & Theodori, inter alia teſtimonium perhibet, quòd Albinus diſcipulus eius, qui monaſterio ipſius in regimine ſucceſsit, in tantum ſtudijs ſcripturarum inſtitutus eſt, ut Græcam quidem linguam non parua ex parte, Latinam uerò non minus quàm Anglorum, quæ ſibi naturalis eſt, nouerit. Suſcepit uerò pro Vuilfrido epiſcopatū Haguſtaldenſis eccleſiæ Acca preſbyter eius, uir & ipſe ſtrenuiſsimus, & coram Deo & hominibus magnificus: qui & ipſius eccleſiæ ſuæ, quæ in beati Andreæ apoſtoli honorem conſecrata eſt, ædificium multifario decore, ac mirificis ampliauit operibus. Dedit nanque operam (quod & hodie facit) ut acquiſitis undecunque reliquijs beatorum Apoſtolorum & martyrum Chriſti, in uenerationem illorū poneret altaria, diſtinctis porticibus in hoc ipſum intra muros eiuſdem eccleſię. Sed & hiſtorias paſsionum eorum unà cum cæteris eccleſiaſticis uoluminibus ſumma induſtria congregans, ampliſsimam ibi ac nobiliſsimam bibliothecam fecit. Nec non & uaſa ſancta & luminaria, aliaq; huiuſmodi quæ ad ornatum domus Dei pentinent, ſtudioſiſsimè parauit. Cantorē quoq; egregium nomine Maban, qui à ſucceſſoribus diſcipulorum beati papæ Gregorij in Cātia fuerat cantandi ſonos edoctus, ad ſe ſuoſq; inſtituendos accerſijt, ac per annos duodecim tenuit, quatenus & ea quæ illi non nouerāt, carmina eccleſiaſtica doceret: & ea quę quondam cognita longo uſu uel negligentia inueterare cœperant, huius doctrina in priſcum renouarētur ſtatum. Nam & ipſe epiſcopus Acca cantator erat peritiſsimus, quomodo etiam in literis ſanctis doctiſsimus, & in catholicę fidei confeſſionè caſtiſsimus, in eccleſiaſticæ quoque inſtitutionis regulis ſolertiſsimus extiterat, & uſq; dum ſua præmia piæ deuotionis acciperet, exiſtere non deſtitit: utpote qui à pueritia in clero ſanctiſsimi ac Deo dilecti Boſa Eboracenſis epiſcopi nutritus atq; eruditus eſt. Deinde ad Vuilfridum epiſcopum ſpe melioris propoſiti adueniens, omnem in eius obſequio uſq; ad obitum illius expleuit ętatem: cum quo etiam Romam ueniens, multa illic quę in patria nequiuerat eccleſiæ ſanctæ inſtitutionis, utilia didicit.

*Vt Ceolfridus abbas regi Pictorum architectos eccleſiæ, ſimul & epiſtolam de catholico paſcha, & tonſura miſerit.* Caput XXII.

EO tempore Naitanus rex Pictorum (qui Septentrionales Britanniæ plagas inhabitāt) admonitus eccleſiaſticarum frequenti meditatione ſcripturarum, abrenunciauit errori, quo eatenus in obſeruatione paſchæ cum ſua gente tenebatur: & ſe ſuoſq; omnes ad catholicam obſeruantiam, Dominicæ reſurrectionis tempus celebrandū perduxit. Quod ut facilius & maiori autoritate perficeret, quęſiuit auxiliū de gente Anglorum, quos iamdudum ad exemplum ſanctæ Romanæ & Apoſtolicæ eccleſiæ ſuā religionem inſtituiſſe cognouit. Siquidem miſit legatarios ad uirum uenerabilem Ceolfridum, abbatem monaſterij beatorum apoſtolorū Petri & Pauli, quod eſt ad oſtium Vuyri amnis, & iuxta amnē Tinā, in loco qui uocatur Ingriuū, cui ipſe poſt Benedictū (de quo ſuprà diximus) glorioſiſsimè præfuit, poſtulans ut exhortatorias ſibi literas mitteret, quibus potentius confutare poſſet eos, qui paſcha non ſuo tēpore obſeruare præſumerent: ſimul & de tōſuræ modo uel ratione qua clericos inſigniri deceret: excepto quòd etiam ipſe in his non parua ex parte eſſet imbutus. Et architectos ſibi mitti petijt, qui iuxta morem Romanorum eccleſiam de lapide ingenti ipſius facerent, promittens hanc in honorem beati apoſtolorum principis dedicandam: ſe quoq; ipſum cum ſuis omnibus morē ſanctæ Romanæ & Apoſtolicæ eccleſiæ ſemper imitaturum, in quantum duntaxat tam longè à Romanorum loquela & natione ſegregati hunc ediſcere poſſent. Cuius religioſis uotis ac precibus fauens reuerēdiſsimus abbas Ceolfridus, miſit architectos quos petebat, & literas ſcriptas in hunc modum: Domino excellentiſſimo & glorioſiſsimo regi Naitano, Ceolfridus abbas in Domino ſalutem. Catholicam ſancti paſchæ obſeruantiā, quam à nobis rex Deo deuote religioſo ſtudio quæſiſti, promptiſsimè ac libentiſsimè tuo deſiderio, iuxta quod ab Apoſtolica ſede didicimus, patefacere ſatagimus. Scimus nanq; cœlitus ſanctæ Eccleſiæ donatū, quotiens ipſi rerū Domini diſcendæ, docendæ, cuſtodiendæ ueritati operam impendūt. Nam & uerè omnino dixit quidam ſeculariū ſcriptorum, quòd feliciſsimo mundi ſtatu ageretur, ſi uel reges philoſopharentur, uel regnarent philoſophi. Quòd ſi de philoſophia huius mundi uerè intelligere de ſtatu huius mūdi, meritò diligere potuit homo hunc mundum: quanto magis ciuibus patriæ cœleſtis in hoc mundo peregrinantibus optandum eſt, & totis animi uiri-



bus ſup-

bus ſupplicãdum, ut quo plus in mundo quiq; ualent, eo amplius eius, qui ſuper omnia eſt, iudicis mandatis auſcultare contendant, atq; ad hæc obſeruanda ſecum eos quoq; qui ſibi commiſsi ſunt, & exemplis ſimul & autoritate inſtituant. Tres ſunt ergo regulæ ſacris inditæ literis, quibus paſchæ celebrandi tẽpus nobis pręfinitum nulla prorſus humana licet autoritate mutari: è quibus duæ in lege Moyſi diuinitus ſtatutę, tertia in Euangelio per effectum Dominicæ paſsionis & reſurrectionis adiũcta eſt. Pręcepit enim lex, ut paſcha primo menſe anni, & tertia eiuſdem mẽſis ſeptimana, id eſt, à quinta decima die uſq; ad uiceſimam primam fieri deberet. Additumq; eſt per inſtitutionem Apoſtolicam ex Euangelio, ut in ipſa tertia ſeptimana diem Dominicam expectare, atq; in ea temporis paſchalis initium tenere debeamus. Quam uidelicet regulam triformem, ſi quis ritè cuſtodierit, nunquam in adnotatione feſti paſchalis errabit. Verum ſi de his ſingulis enucleatius ac latius audire deſideras, ſcriptum eſt in Exodo, ubi liberandus de Aegypto populus Iſrael primum paſcha facere iubetur: quia dixerit Dominus ad Moyſen & Aaron: Menſis iſte uobis principium menſium primus erit in menſibus anni. Loquimini ad uniuerſum cœtum filiorũ Iſrael, & dicite eis, Decima die mẽſis huius tollat unuſquiſque agnum per familias & domos ſuas. Et paulo pòſt, Et ſeruabitis eũ uſq; ad quartamdecimam diem menſis huius. Immolabitq; eum uniuerſa multitudo filiorũ Iſrael ad ueſperam. Quibus uerbis manifeſtiſsimè conſtat, ꝙ ita in obſeruatione paſchali mẽtio fit diei quartædecimæ, ut non tamen in ipſa die quartadecima paſcha fieri præcipiatur, ſed adueniente tãdem ueſpera diei quartædecimæ, id eſt, quintadecima luna, quæ initium tertiæ ſeptimanæ faciat, in cœli faciem prodeũte, agnus immolari iubeatur. Et quòd ipſa ſit nox quintædecimæ lunæ, in qua percuſsis Aegyptijs, Iſraël eſt à lõga ſeruitute redemptus, Septẽ, inquit, diebus azyma comedetis. Quibus iterũ uerbis tota tertia ſeptimana eiuſdem primi menſis decernitur ſolennis eſſe debere. Sed ne putaremus eadem ſeptem dies à quartadecima uſq; ad uiceſimã eſſe computandas, continuò ſubiecit, In die primo non erit fermentum in domibus ueſtris. Quicunq; comederit fermentũ in domibus ueſtris, peribit anima illa de Iſrael. A die primo uſq; ad diem ſeptimum, & cætera, uſq; dum ait: In eadem enim ipſa die educam exercitum ueſtrum de terra Aegypti. Primum ergo diem azymorum appellat eum, in quo exercitum eorũ eſſet educturus de Aegypto. Conſtat autẽ, quia non quartadecima die, in cuius ueſpera agnus eſt immolatus, & quę propriè paſcha ſiue Phaſe dicitur: ſed quintadecima ſunt educti ex Aegypto, ſicut in libro Numerorum apertiſsimè ſcribitur: Profecti igitur de Rameſſe quintadecima die menſis primi, altera die fecerunt Phaſe filij Iſrael in manu excelſa. Septẽ ergo dies azymorum, in quarum prima eductus eſt populus Domini ex Aegypto, ab initio (ut diximus) tertiæ ſeptimanæ, hoc eſt, à quintadecima die mẽſis primi uſq; ad uiceſimã primam eiuſdẽ menſis diem completam computari oportet. Porrò dies quartus decimus extra hunc numerum ſeparatum, ſub paſchæ titulo prænotatur, ſicut Exodi ſequentia patẽter edocent. Vbi cùm dictum eſſet, In eadem enim ipſa die educã exercitum ueſtrum de terra Aegypti, protinus additum eſt: Et cuſtodietis diem iſtum in generationes ueſtras ritu perpetuo. Primo menſe quartadecima die mẽſis comedetis azyma uſq; ad diẽ uiceſimam primam eiuſdem menſis ad ueſperam. Septem diebus fermẽtatum non inuenietur in domibus ueſtris. Quis enim non uideat, à quartadecima uſq; ad uiceſimam primam, nõ ſeptem ſolummodo, ſed octo potius eſſe dies, ſi & ipſa quartadecima annumeretur? Sin autem (ut diligentius explorata ſcripturæ ueritas docet) à ueſpera diei quartædecimæ uſq; ad ueſperam uiceſimæ primæ computauerimus, uidebimus profectò, quòd ita dies quartamdecimam ueſperam ſuam feſti paſchalis initiũ porrigat, ut non amplius tota ſacra ſolennitas, quàm ſeptem tantũmodo noctes, cum totidem diebus comprehẽdat. Vnde uera eſſe probatur noſtra diffinitio, qua tẽpus paſchale primo menſe anni, & tertia eius hebdomada celebrandum eſſe diximus. Veraciter enim tertia agitur hebdomada, quòd à ueſpera quartædecimæ diei incipit, & in ueſpera uiceſimæ primæ completur. Poſtquam uerò paſcha noſtrum immolatus eſt Chriſtus, diemq; nobis Dominicam, quæ apud antiquos una uel prima Sabbati ſiue Sabbatorũ uocatur, gaudio ſuæ reſurrectionis fecit eſſe ſolennem, ita hanc nunc Apoſtolica traditio feſtis paſchalibus inſeruit, ut nihil omnino tempore paſchæ legalis præoccupandum, nihil minuendum eſſe decerneret: quin potius ſtatuit, ut expectaretur iuxta præceptũ legis idem primus anni menſis, expectaretur quartadecima dies illius, expectaretur ueſpera eiuſdẽ. Et cùm hæc dies in ſabbatum fortè incideret, tolleret unuſquiſq; agnum per familias & domos ſuas, & immolarent eum ad ueſperam: id eſt, præpararent omnes eccleſiæ per orbem, quæ unã catholicam faciunt, panem & uinum in myſteriũ carnis & ſanguinis agni immaculati, qui abſtulit peccata mundi, & præcedente cõgrua lectionum, orationum & cęremoniarum paſchalium ſolennitate, offerrent hæc Domino in ſpem futuræ ſuæ redemptionis. Ipſa eſt enim eadẽ nox, in qua de Aegypto per ſanguinem agni Iſraelitica plebs erepta eſt: ipſa eſt, in qua per reſurrectionẽ Chriſti liberatus eſt à morte æterna omnis Dei populus. Mane autem illuceſcente die Dominica primã paſchalis feſti diem celebrarẽt. Ipſa eſt enim dies, in qua reſurrectionis ſuæ gloriam Dominus multifario piæ reuelationis gaudio diſcipulis patefecit. Ipſa prima dies azymorum, de qua multũ diſtinctè in Leuitico ſcriptum eſt, Menſe primo quartadacima die menſis huius, ad ueſperã phaſe Domini eſt, & quin-





tadecima die menſis huius ſolennitas azymorum Domini eſt. Septem diebus azyma comedetis, dies primus erit celeberrimus ſanctusq;. Si ergo fieri poſſet, ut ſemper in diem quintum decimum primi mẽſis, id eſt, in lunam quintam decimam Dominica dies incurreret, uno ſemper eodemq; tempore cum antiquo Dei populo, quanquam ſacramẽtorum genere diſcreto, ſicut una eademq; fide paſcha celebrare poſſemus. Quia uerò dies ſeptimanę nõ æquali cũ luna tramite procurrit, decreuit Apoſtolica traditio, quæ per beatum Petrum Romæ prædicata, per Marcum euangeliſtam & interpretem ipſius Alexandriæ confirmata eſt, ut adueniente primo menſe, adueniente in eo ueſpera diei quartædecimæ, expectetur etiam dies Dominica à quintadecima uſq; ad uiceſimã primam diẽ eiuſdem menſis. In quacunq; enim harũ inuenta fuerit, meritò in ea paſcha celebrabitur: quia nimirum hæc ad numerum pertinet illarum ſeptem dierũ, quibus azyma celebrari iubetur. Itaq; fit, ut nunquam paſcha noſtrũ à ſeptimana menſis primi tertia in utramuis partem declinet: ſed uel totam eam, id eſt, omnes ſeptem legalium azymorum dies, uel certè aliquos de illis teneat. Nam etſi ſaltẽ unum ex eis, hoc eſt, ipſum ſeptimum apprehenderit, quem tam excellenter ſcriptura commendat: Dies autem, inquiens, ſeptimus erit celebrior & ſanctior, nullumq; ſeruile opus fiet in eo: nullus arguere nos poterit, quòd nõ rectè Dominicum paſchæ diẽ, quem de euangelio ſuſcepimus, in ipſa quam lex ſtatuit, tertia primi menſis hebdomada celebremus. Cuius obſeruantiæ catholica ratione patefacta patet è contrario error irrationabilis eorum, qui præfixos in lege terminos nulla cogente neceſsitate uel anticipare uel tranſcẽdere præſumunt. Namq; ſine ratione neceſsitatis alicuius anticipant illi tempus in lege præſcriptum, qui Dominicum paſchæ diem à quartadecima menſis primi uſq; ad uiceſimam putant lunam eſſe ſeruandum. Cùm enim à ueſpera diei tertiædecimæ uigilias ſanctæ noctis celebrare incipiunt, claret quòd illum in exordio ſui paſchę diem ſtatuunt, cuius nullam omnino mentionem in decreto legis inueniunt. Et cùm uiceſima prima die menſis paſcha Dominicum celebrare refugiunt, patet profectò quòd illam per omnia diem à ſua ſolennitate ſecernũt, quã lex maiore præ cæteris feſtiuitate memorabilem ſæpenumerò commendat. Sicq; diem paſchæ ordine peruerſo, & aliquando in ſecunda hebdomada totam compleant, & nunquam in hebdomadæ tertiæ die ſeptimo ponant. Rurſumq; qui à ſextadecima die menſis ſæpè dicti uſque ad uiceſimamſecundam paſcha celebrandum magis autumant, non minore utique errore (tametſi altero latere) à recto ueritatis tramite diuertunt, & ueluti naufragia Scyllæ fugientes, in Charybdis uoraginem ſubmergendi decidunt. Nã cùm à luna decimaſexta primi menſis oriente, id eſt, à ueſpera diei quintædecimæ paſcha incipiendum doceant, nimirũ conſtat, quòd quartamdecimam diem menſis eiuſdem, quam lex primitus & præcipuè commendat, à ſua prorſus ſolennitate ſecludunt: ita ut quintę decimæ, in qua populus Dei ab Aegyptiaca ſeruitute redẽptus eſt, & in qua Dominus ſuo mũdum ſanguine à peccatorum tenebris liberauit, in qua etiam ſepultus ſpem nobis poſt mortem beatę quietis tribuit, uix ueſperã tangant. Idemq; pœnam erroris ſui in ſemetipſos recipientes, cùm in uiceſimaſecunda die menſis paſchæ diem ſtatuunt Dominicum, legitimos utique terminos paſchę aperta trãſgreſsione uiolant: utpote qui ab illius diei ueſpera paſcha incipiunt, in qua hoc lex conſummari & perfici debere decreuit. Illam in paſcha diem aſsignẽt primam, cuius in lege mentio nulla uſquam reperitur, id eſt, quartæ primam ſeptimanæ. Qui utrique non ſolum in diffinitione & computo lunaris ætatis, ſed & in menſis primi nonnunquam inuentione falluntur. Quę diſputatio maior eſt, quàm epiſtola hac uel ualeat comprehendi, uel debeat. Tãtum hoc dicam, quòd per æquinoctiũ uernale ſemper inerrabiliter poſſet inueniri, qui menſis iuxta computum lunæ primus anni, qui eſſe debeat ultimus. Aequinoctium autem iuxta ſententiam omnium orientalium, & maximè Aegyptiorum, qui præ cæteris doctoribus calculandi palmam tenent, duodecimo Kalendarum Aprilium die prouenire conſueuit, ut etiam ipſi horologica inſpectione probauimus. Quæcunq; ergo luna ante æquinoctium plena eſt, quartadecima uidelicet uel quintadecima exiſtens, hæc ad præcedẽtis anni nouiſsimum pertinet menſem, ideoq; paſchæ celebrando habilis non eſt. Quæ uerò poſt æquinoctium, uel in ipſo ęquinoctio ſuum plenilunium habet, in hac abſque ulla dubietate, quia primi menſis eſt, & antiquos paſcha celebrare ſolitos, & nos ubi Dominica dies aduenerit, celebrare debere, noſcẽdum eſt. Quod ita fieri oportere, illa nimirum ratio cogit: quia in Geneſi ſcriptũ eſt, quòd Deus fecit duo magna luminaria. Luminare maius, ut præeſſet diei, & luminare minus, ut præeſſet nocti. Vel ſicut alia dicit editio, Luminare maius in inchoationem diei, & luminare minus in inchoationem noctis. Sicut ergo prius ſol à medio procedens orientis æquinoctium uernale ſuo præfixit exortu, deinde luna ſole ad ueſperam occidente, & ipſa plena à medio ſecuta eſt orientis: ita omnibus annis idem primus lunæ menſis eodem neceſſe eſt ordine ſeruari, ut nõ ante æquinoctiũ, ſed uel ipſo æquinoctij die (ſicut in principio factum eſt) uel eo tranſcenſo pleniluniũ habere debeat. At ſi uno ſaltem die pleniluniũ tempus æquinoctij præceſſerit, nõ hanc primo menſe anni incipientis, ſed ultimo potius præteriti, lunam eſſe aſſcribendã, & ideo feſtis paſchalibus inhabilem, memorata ratio probat. Quòd ſi myſticam quoque uos in his rationem audire delectat, primo menſe anni, qui etiam menſis nouorum dictus eſt, paſcha facere iubemur: quia renouato ad amorem cœleſtium ſpi-

ritu mentis noſtræ, ſacramenta Dominicæ reſurrectionis, & ereptionis noſtræ celebrare debemus. Tertia eiuſdem menſis ſeptimana facere præcipimur, quia ante legem & ſub lege promiſſus tertio tempore ſeculi cum gratia uenit ipſe, qui paſcha noſtrum immolaretur Chriſtus: quia tertia poſt immolationem ſuæ paſsionis die reſurgens à mortuis, hanc Dominicam uocari, & in ea nos annuatim paſchalia eiuſdẽ reſurrectionis uoluit feſta celebrare. Quia nos quoque ita ſolùm ueraciter eius ſolennia celebramus, ſi per fidem, ſpem & charitatẽ paſcha, id eſt, tranſitum de hoc mundo ad patrem cum illo facere curamus. Poſt ęquinoctium ueris plenilunium menſis pręcipimur obſeruare paſchalis, ut uidelicet primò ſol longiorem nocte faciat diem, deinde luna plenum ſuæ lucis orbem mundo præſentet: quia primò quidem ſol iuſtitiæ, in cuius pennis eſt ſanitas, id eſt, Dominus Ieſus per reſurrectionis ſuæ triumphũ cunctas mortis tenebras ſuperauit, ac ſic aſcendens in cœlos, miſſo deſuper ſpiritu, eccleſiam ſuam, quæ ſæpe lunæ uocabulo deſignatur, internæ gratiæ luce repleuit: quem uidelicet ordinem noſtræ ſalutis propheta contẽplatus aiebat: Eleuatus eſt ſol, & luna ſtetit in ordine ſuo. Qui ergo plenitudinem lunæ paſchalis ante æquinoctium prouenire poſſe contenderit, talis in myſteriorum celebratione maximorum à ſanctarum quidem ſcripturarum doctrina diſcordat: concordat autem eis, qui ſinę præueniente gratia Chriſti, ſe ſaluari poſſe confidũt: qui etſi uera lux tenebras mundi moriendo ac reſurgendo nunquam uiciſſet, perfectam ſe habere poſſe iuſtitiam dogmatizare præſumunt. Itaq; per ęquinoctialem ſolis exortum poſt plenilunium primi menſis hunc ex ordine ſubſequens, id eſt, poſt completam diem eiuſdem mẽſis quartamdecimam, quæ cuncta ex lege obſeruanda accepimus, expectamus adhuc, monente Euangelio, in ipſa hebdomada tertia tempus diei Dominicæ, & ſic demum uotiua paſchæ noſtri feſta celebramus: ut indicemus nos non cum antiquis excuſſum Aegyptię ſeruitutis iugum uenerari, ſed redemptionem totius mundi, quę in antiqui Dei populi liberatione pręfigurata, in Chriſti autem reſurrectione completa eſt, deuota fide ac dilectione colere, ut de reſurrectionis etiam noſtrę, quam eadem die Dominica futuram credimus, ſpe nos certiſsima gaudere ſignemus. Hic autem, quem uobis ſequendum monſtramus, computus paſchę decennouenali circulo cõtinetur, qui dudum quidem, hoc eſt, ipſis Apoſtolorum temporibus iam ſeruari in Eccleſia cœpit, maximè Romæ & Aegypti, ut ſuprà iam diximus: ſed per induſtriam Euſebij, qui à beato martyre Pamphilo cognomen habet, diſtinctius in ordinem compoſitus eſt, ut quòd eatenus per Alexandriæ pontificem ſingulis annis per omnes eccleſias mandari conſueuerat, iam deinde cõgeſta in ordinem ſerie lunæ quartædecimæ, facillimè poſſet ab omnibus ſciri. Cuius computum paſchalis Theophilus Alexandriæ præſul, in centum annorũ tempus Theodoſio imperatori cõpoſuit. Item ſucceſſor eius Cyrillus ſeriem nonaginta & quinque annorum, in quinq; decennouenalibus circulis comprehendit: poſt quem Dionyſius exiguus totidẽ alios ex ordine pari ſchemate ſubnexuit, qui ad noſtra uſq; tẽpora pertingebant. Quibus termino appropinquantibus tanta hodie calculatorum exuberat copia, ut etiam in noſtris per Britanniam eccleſijs plures ſint, qui mandatis memoriæ ueteribus illis Aegyptiorum argumentis facilimè poſsint in quotlibet ſpacia temporum paſchales protendere circulos, etiamſi ad quingentos uſq; & triginta duos uoluerint annos: quibus expletis, omnia quæ ad ſolis & lunæ, menſis & ſeptimanę conſequẽtiam ſpectant, eodem quo prius ordine, recurrunt. Ideo autem circulos eoſdem temporũ inſtantium uobis mittere ſuperſedimus, quia de ratione tantum temporis paſchalis inſtrui quęrentes, ipſos uobis circulos paſchæ catholicos abundare probaſtis. Verùm his de paſcha ſuccinctè, ut petiſtis, ſtrictimq; commemoratis, tonſuram quoque (de qua pariter uobis literas fieri uoluiſtis) hortor, ut eccleſiaſticam & Chriſtianæ fidei congruam habere curetis. Et quidẽ ſcimus, quia neq; Apoſtoli omnes uno eodẽq; ſunt modo attonſi, neq; nunc eccleſia catholica ſicut una fide, ſpe & charitate in Deum conſentit: ita etiam una atq; indiſsimili totum per orbem tonſuræ ſibi forma congruit. Denique ut ſuperiora, id eſt, patriarcharum tempora reſpiciamus, Iob exemplar patientiæ ingruente tribulationum articulo caput totondit: probauit utique, quia tempore felicitatis capillos nutrire conſueuerat. At Ioſeph & ipſe caſtitatis, humilitatis, pietatis, cæterarumq; uirtutum executor ac doctor eximius, cum eſſet ſeruitio abſoluendus, attonſus eſſe legitur: patet profectò, quia tempore ſeruitutis intonſis in carcere crinibus manere ſolebat. Ecce uterque uir Dei diuerſum ab altero uultus habitum foris pręmonſtrabat, quorum tamen intus conſcientia in parili uirtutum ſibi gratia concordabat. Verùm ſi profiteri nobis liberum eſt, quia tonſuræ diſcrimen non noceat, quibus pura in Deum fides & charitas in proximũ ſyncera eſt, maximè cùm nunquam patribus catholicis, ſicut de paſchæ uel fidei diuerſitate conflictus, ita etiam de tonſuræ differentia legatur aliqua fuiſſe controuerſia. Inter omnes tamen quas uel in eccleſia, uel in uniuerſo hominum genere reperimus tonſuras, nullam magis ſequẽdam nobis amplectendamq; iure dixerim ea, quam in capite ſuo geſtabat ille, cui ſe confitenti Dominus ait: Tu es Petrus, & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam, & portæ inferi non pręualebũt aduerſus eam, & tibi dabo claues regni cœlorum. Nullam uerò magis abominandam deteſtandamq; meritò cunctis fidelibus crediderim ea, quam habebat ille, cui gratiam ſancti ſpiritus comparare uolente dicit idem Petrus, Pecunia tua tecum ſit in perditionem; quoniam donum

Dei



Dei exiſtimaſti pecunia poſsideri. Nõ enim eſt tibi pars neq; ſors in ſermone hoc. Neque uerò obid tantum in coronam attondimur, quia Petrus ita attonſus eſt: ſed quia Petrus in memoriam Dominicæ paſsionis ita attonſus eſt, idcirco & nos, qui per eandem paſsionẽ ſaluari deſideramus, ipſius paſsionis ſignũ cum illo in uertice, ſumma uidelicet corporis noſtri parte, geſtamus. Sicut enim omnis eccleſia, quę per mortem ſui uiuificatoris eccleſia facta eſt, ſignũ ſanctæ crucis eius in fronte portare conſueuit, ut crebrò uexilli huius munimine à malignorum ſpirituum defendatur incurſibus, crebra huius admonitione doceatur, ſe quoq; carnem ſuam cum uitijs & concupiſcentijs crucifigere debere: ita etiam oportet eos, qui uel monachi uotũ, uel gradum clericatus habentes, arctioribus ſe neceſſe habent, pro Domino continentiæ frænis aſtringere. Formam quoq; coronæ, quam ipſe in paſsione ſua ſpineam portauit in capite, ut ſpinas ac tribulos peccatorum noſtrorũ portaret, id eſt, exportaret & auferret à nobis, ſuo quemque in capite per tonſuram pręferre: ut ſe etiam irriſiones & opprobria pro illo libenter ac prompto animo ſufferre ipſo etiam frontiſpicio doceant: ut coronam uitæ æternę, quam repromiſit Deus diligentibus ſe, ſe ſemper expectare, proq; huius perceptione & aduerſa ſe mundi & proſpera contemnere deſignent. Cæterùm tonſuram eam, quam Magum ferunt habuiſſe Simonem, quis rogo fidelium non ſtatim cum ipſa magia primò deteſtetur, & meritò exuiſſet? Quæ aſpectu in frontis quidem ſuperficie coronæ uidetur ſpeciem pręferre, ſed ubi ad ceruicem cõſiderando perueneris, decurtatam eam quam te uidere putabas, inuenies coronã. Vt meritò talem ſimoniacis, & non Chriſtianis habitum conuenire cognoſcas, qui in præſenti quidem uita à deceptis hominibus putabantur digni perpetuæ gloria coronę: ſed in ea quæ hanc ſequitur uitam, non ſolùm omni ſpe coronæ priuati, ſed æterna inſuper ſunt pœna damnati. Neq; uerò me hæc ita proſecutum æſtimes, quaſi eos qui hanc tonſuram habent, cõdemnandos iudicem, ſi fide & operibus unitati catholicæ fauerint: imò confidenter profiteor, plurimos ex eis ſanctos ac Deo dignos extitiſſe: ex quibus eſt Adamnanis abbas, & ſacerdos Columbienſium egregius, qui cùm legatus ſuę gentis ad Aldfridum regem miſſus, noſtrũ quoque monaſterium uidere uoluiſſet, miramq; in moribus ac uerbis prudẽtiam, humilitatem, religionem oſtenderet, dixi illi inter alia colloquẽs: Obſecro ſancte frater, qui ad coronam te uitæ, quæ terminũ neſciat, tendere credis, quid contrario tuæ fidei habitu terminatã in capite coronæ imaginem portas? Etſi conſortium beati Petri quæris, cur eius quem ille anathematizauit, tonſuræ imaginem imitaris: & nõ potius eius, cum quo in æternum beatus uiuere cupis, etiam nunc habitum te, quantum potes, diligere monſtras? Reſpondit ille, Scias pro certo frater mi dilecte, quia etſi Simonis tonſurã ex conſuetudine patriæ habeam, ſimoniacam tamen perfidiam tota mente deteſtor ac reſpuo: beatiſsimi autem Apoſtolorum principis, quãtum mea paruitas ſufficit, ueſtigia ſequi deſiderò. At ego, Credo (inquam) uerè, quòd ita ſit, ſed tamẽ indicio ſit, quòd ea quæ Apoſtoli ſunt Petri, in abdito cordis amplectimini, ſi quæ eius eſſe noſtis, etiam in facie tenetis. Namq; prudentiam tuam facilimè diiudicare reor, quòd aptius multo ſit eius, quem toto corde abominaris, cuiuſq; horrendam faciem uidere refugis, habitum uultus à tuo uultu Deo iam dicato ſeparare: & econtrà eius, quem apud Deum patrem habere patronum quæris, ſicut facta uel monita cupis ſequi, ſic etiam morem habitus te imitari condeceat. Hæc tunc Adamnano dixi, qui quidem quantum cõſpectis eccleſiarum noſtrarum ſtatutis profeciſſet, probauit, cùm reuerſus ad Scotiam multas poſtea gentis eiuſdem turbas ad catholicam temporis paſchalis obſeruantiam ſua prædicatione correxit: tametſi eos qui in Hij inſula morabãtur monachos, quibuſq; ſpeciali rectoris iure præerat, necdum ad uiam ſtatuti melioris reducere ualebat. Tonſuram quoque ſi tantum ſibi autoritatis ſubeſſet, emendare meminiſſet. Sed & nunc tuam prudentiam rex admoneo, ut ea quæ unitati catholicæ & Apoſtolicæ eccleſiæ concinunt, unà cum gente, cui te Rex regum, & Dominus dominorum præfecit, in omnibus ſeruare contendas. Sic enim fit, ut poſt acceptam temporalis regni potentiam, ipſe beatiſsimus Apoſtolorum princeps cœleſtis quoque regni tibi tuiſq; cum cæteris electis libens pandat introitum. Gratia te regis æterni longiori tempore regnantem ad noſtram omnium pacem cuſtodiat incolumẽ, dilectiſsime in Chriſto fili. Hæc epiſtola cùm præſente rege Naitano, multiſq; uiris doctioribus eſſet lecta, ac diligenter ab his qui intelligere poterant, in linguam eius propriam interpretata, multum de eius exhortatione gauiſus eſſe perhibetur: ita ut ſurgens de medio optimatum ſuorum conceſſu genua flecteret in terram, Deo gratias agens, quòd tale munuſculũ de terra Anglorum mereretur accipere. Et quidem & antea noui, inquit, quia hæc erat uera paſchæ celebratio, ſed in tantum modò rationem huius temporis obſeruandam cognoſco, ut parum mihi omnino uidear de his antea intellexiſſe. Vnde palã profiteor, uobiſq; qui aſsidetis præſentibus proteſtor, quia hoc obſeruare tẽpus paſchæ cum uniuerſa mea gente perpetuò uolo, & hanc accipere debere tõſuram, quam plenam eſſe rationis audiuimus, omnes qui in meo regno ſunt clericos, decerno. Nec mora, quę dixerat, regia autoritate perfecit. Statim nanq; iuſſu publico mittebãtur ad tranſſcribẽdum, diſcẽdum, obſeruandum per uniuerſas Pictorũ prouincias circuli paſchæ decẽnouenales, obliteratis per omnia erroneis octoginta et quatuor annorũ circulis. Attondebãtur omnes in coronã miniſtri altaris ac monachi: & quaſi nouo ſe diſcipulatui beatiſsimi apoſtolorum



princi-

principis Petri ſubditam, eiuſq; tutandam patrocinio gens correcta gaudebat.

*Vt Hijenſes monachi cum ſubiectis ſibi monaſterijs canonicum, prædicante Ecgberto, celebrare Paſcha cœperint.*
*Caput* XXIII.

NEc multo pòſt illi quoq; qui inſulam Hij incolebant monachi, Scoticæ nationis, cum his quæ ſibi erant ſubdita monaſterijs, ad ritum Paſchæ, ac tonſuræ canonicum, Domino procurāte, perducti ſunt. Siquidem anno ab incarnatione Domini, ſeptingenteſimo ſexto, decimo quo Oſredo occiſo Coenredus gubernacula regni Nordan Humbrorum ſuſcepit, cùm ueniſſet ad eos de Hybernia Deo amabilis, & cũ omni honorificentia nominandus pater ac ſacerdos Ecgbertus (cuius ſuperius memoriam ſæpius fecimus) honorificè ab eis, & multo cũ gaudio ſuſceptus eſt. Qui quoniam & doctor ſuauiſsimus, & eorum quæ agenda docebat, erat executor deuotiſsimus, libenter auditus ab uniuerſis, immutauit pijs ac ſedulis exhortationibus inueteratam illam traditionem parentũ eorum, de quibus apoſtolicum illum licet proferre ſermonem, quòd æmulationem Dei habebant, ſed non ſecundum ſcientiam: catholicoq; illos atque apoſtolico more celebrationem (ut diximus) præcipuè ſolennitatis ſub figura coronæ perpetuæ agere perdocuit. Quod mira diuinæ conſtat factum diſpenſatione pietatis, ut quoniam gens illa, quæ nouerat ſcientiam diuinæ cognitionis, libenter ac ſine inuidia populis Anglorum cōmunicare curauit: ipſa quoque poſtmodum per gentem Anglorum in eis, quam minus habuerat, ad perfectam uiuendi normam perueniret. Sicut econtrà Britones, qui nolebant Anglis eam quam habebant, fidei Chriſtianæ notitiam pandere, credētibus iam populis Anglorum, & in regula fidei catholicę per omnia inſtructis, ipſi adhuc inueterati & claudicantes à ſemitis ſuis, & capita fieri ſine corona prætendunt, & ſolennia Chriſti ſine Eccleſiæ Chriſti ſocietate uenerantur. Suſceperunt autem Hijenſes monachi, docente Ecgberto, ritus uiuendi catholicos, ſub abbate Duumchado, poſt annos circiter octoginta, ex quo ad prædicationem gentis Anglorum Aidanũ miſerant antiſtitem. Manſit aũt uir Domini Ecgbertus annos tredecim in præfata inſula, quam ipſe uelut noua quadam relucente gratia eccleſiaſticæ ſocietatis & pacis Chriſto conſecrauerat: annoq; incarnationis Dominicæ ſeptingenteſimo uiceſimo octauo, quo Paſcha Dominicum octauo kalendarum Maiarum die celebrabatur, cùm miſſarum ſolennia in memoriã eiuſdem Dominicæ reſurrectionis celebraſſet, eodem die & ipſe migrauit ad Dominum, ac gaudium ſummæ feſtiuitatis quod cum fratribus, quos ad unitatis gratiam conuerterat, inchoauit, cum Domino & Apoſtolis cæteriſq; cœli ciuibus cōpleuit, imò idipſum celebrare ſine fine nō deſinit. Mira aũt diuinę diſpenſatio prouiſionis erat, quòd uenerabilis uir non ſolũ in Paſcha tranſiuit de hoc mundo ad patrẽ: uerũ etiã cùm eo die Paſcha celebraretur, quo nunquam prius in eis locis celebrari ſolebat. Gaudebant ergo fratres de cognitione certa, & catholica temporis Paſchalis: lætabantur de patrocinio pergentis ad Dominũ patris, per quẽ fuerant correcti. Gratulabatur ille quòd eatenus in carne ſeruatus eſt, donec illum in Paſcha diẽ ſuos auditores, quẽ ſemper antea uitabant, ſuſcipere ac ſecũ agere uideret. Sicq; certus de illorũ correctione reuerẽdiſsimus pater exultauit, ut uideret diẽ Domini: uidit, & gauiſus eſt.

*Quis ſit in præſenti ſtatus gentis Anglorum uel Britãniæ totius, cum recapitulatione chronica totius operis.* *Caput* XXIIII.

ANno Dominicæ incarnationis ſeptingenteſimo uiceſimoquinto (qui erat annus ſeptimus Oſrici regis Nordan Humbrorũ, qui Coenredo ſucceſſerat) Victredus filius Ecgberti, rex Cantuariorũ defunctus eſt, nono die kalendarũ Maiarum: & regni quod per triginta quatuor & ſemis annos tenebat, filios tres, Edilbertum, Eadbertũ & Aldricũ reliquit hæredes: anno poſt quẽ proximo Tobias Rhofenſis eccleſiæ præſul defunctus eſt, uir (ut ſuprà meminimus) doctiſsimus. Erat enim diſcipulus beatæ memorię magiſtrorũ Theodori archiepiſcopi, & abbatis Adriani, unde (ut dictũ eſt) cùm eruditione literarũ uel eccleſiaſticarũ uel generalium: ita Græcam quoq; cum Latina didicit linguam, ut tam notas & familiares ſibi eas, quàm natiuitatis ſuæ loquelam haberet. Sepultus uerò eſt in porticu ſancti Pauli apoſtoli, quam intro eccleſiam ſancti Andreę ſibijpſi in locum ſepulchri fecerat. Poſt quem epiſcopatus officiũ Alduulff Bertuualdo archiepiſcopo conſecrante ſuſcepit, Anno Dominicæ incarnationis ſeptingenteſimo uiceſimo nono, apparuerunt cometæ duo circa ſolem, multum intuentibus terrorem incutientes. Vnus quippe ſolem præcedebat mane orientẽ, alter ueſpere ſequebatur occidentem, quaſi orienti ſimul & occidenti diræ cladis præſagi: uel certè unus diei, alter noctis præcurrebat exortum, ut utroq; tempore mala mortalibus imminere ſignarent. Portabant autem facem ignis contra aquilonẽ, quaſi ad accendendum accliuem: apparebantq; menſe Ianuario, & duabus fermè ſeptimanis permanebant. Quo tempore grauiſsima Sarracenorum lues Gallias miſera cæde uaſtabat, & ipſi non multo pòſt in eadem prouincia dignas ſuæ perfidię pœnas luebant. Quo anno ſanctus uir Domini Ecgbertus, ut ſuprà commemorauimus, ipſo die Paſchæ migrauit ad Dominum: & mox peracto Paſcha, hoc eſt, ſeptimo iduum Maiarum die, Oſric rex Nordan Humbrorum uita deceſsit, cùm ipſe regni, quod undecim annis gubernabat, ſucceſſorem fore Ceoluulfum decreuiſſet, fratrem illius qui ante ſe regnauerat Coenredi regis; cuius regni & prin-

cipia



cipia & proceſſus tot ac tantis redundauere rerum aduerſantium motibus, ut quid de his ſcribi debeat, quem'ue habitura ſint finem, ſingula necdum ſciri ualeat. Anno Dominicæ incarnationis ſeptingẽteſimo triceſimo primo, Bertuualdus archiepiſcopus longa conſumptus ætate, defunctus eſt, die quinto iduum Ianuariarum, qui ſedit annos triginta ſeptem, menſes ſex, dies quatuordecim. Pro quo anno eodem factus eſt archiepiſcopus uocabulo Tacuine, de prouincia Merciorum, cùm fuiſſet presbyter in monaſterio quod uocatur Bruidum. Cōſecratus eſt autem in Dorouernenſi ciuitate, à uiris uenerabilibus, Daniele Ventano & Ingualdo Londonienſi, & Alduino Lucidfeldenſi, & Alduulfo Rhofenſi, antiſtibus, die decima Iunij menſis Dominica, uir religione & prudentia inſignis, ſacris quoque literis nobiliter inſtructus. Itaque in præſenti eccleſijs Cantuariorum Tacuine & Alduulfus epiſcopi præſunt. Porrò prouinciæ Orientalium Saxonum Ingualdus epiſcopus, prouinciæ Orientaliũ Anglorum Eadbertus & Hadulacus epiſcopi, prouinciæ Occidentalium Saxonũ Daniel & Forthere epiſcopi, prouinciæ Merciorum Alduinus epiſcopus: & eis populis qui ultra amnem Sabrinam ad Occidentem habitant, Vualſtodus epiſcopus: prouinciæ Huicciorum Vuilfridus epiſcopus, prouinciæ Lindisfarorũ Cymbertus epiſcopus præeſt: epiſcopatus Vectæ inſulæ ad Danielem pertinet epiſcopum Ventæ ciuitatis. Prouincia Auſtralium Saxonum iam aliquot annis abſque epiſcopo manens, miniſterium ſibi epiſcopale ab Occidentalium Saxonum antiſtite quærit. Et hæ omnes prouinciæ cæteræ'que Auſtrales, ad confinium uſque Humbre fluminis, cum ſuis quoque regibus, Merciorum regi Edilbaldo ſubiectæ ſunt. At uerò prouinciæ Nordan Humbrorum, cui rex Ceoluulf præeſt, quatuor nunc epiſcopi præſulatum tenent: Vuilfridus in Eboracenſi eccleſia, Ediluualdus in Lindisfaronenſi eccleſia, Acca in Haguſtaldenſi eccleſia, Pecthelmus in ea quæ Candida caſa uocatur, quæ nuper multiplicatis fidelium plebibus, in ſedem pontificatus addita, ipſum primum habet antiſtitem. Pictorum quoque natio tempore hoc & fœdus pacis cum gente habet Anglorum, & catholicæ pacis & ueritatis cum uniuerſali Eccleſia particeps exiſtere gaudet. Scoti qui Britanniam incolunt, ſuis contenti finibus, nihil contra gentem Anglorum inſidiarum moliuntur, aut fraudium. Britones, quamuis & maxima ex parte domeſtico ſibi odio gentem Anglorum, & totius catholicæ eccleſiæ ſtatutum Paſcha, minus rectè, moribuſq; improbis impugnent, tamen & diuina ſibi & humana prorſus reſiſtente uirtute, in neutro cupitum poſſunt obtinere propoſitum: quippe qui quamuis ex parte ſui ſint iuris, nonnulla tamen ex parte Anglorum ſunt ſeruitio mancipati. Et arridente pace ac ſerenitate temporum, plures in gente Nordan Humbrorum, tam nobiles quàm priuati, ſe ſuoſq; liberos depoſitis armis ſatagunt magis accepta tonſura monaſterialibus aſcribere uotis, quàm bellicis exercere ſtudijs. Quæ res quem ſit habitura finem, poſterior ætas uidebit. Hic eſt in præſentiarum uniuerſæ ſtatus Britanniæ: Anno aduentus Anglorum in Britanniam, circiter ducenteſimo octogeſimo quinto: Dominicæ autem incarnationis anno ſeptingenteſimo triceſimo primo: in cuius regno perpetuò exultet terra, & congratulante in fide eius Britannia, lætentur inſulæ multæ, & confiteantur memoriæ ſanctitatis eius.

ECCLESIASTICAE HISTORIAE GENTIS ANGLORVM LIBRI QVINTI FINIS.

EPITO-

# EPITOME SIVE BREVIARIVM TOTIVS PRAEcedentis *Hiſtoriæ Anglorum, per eundem uenerabilem Bedam Angloſaxonem.*

VERVM EA QVAE TEMporum diſtinctione latius digeſta ſunt, ob memoriam conſeruandam breuiter recapitulari placuit.

Anno igitur ante incarnationem Dominicam ſexageſimo, Caius Iulius Cæſar, primus Romanorum, Britanniam bello pulſauit, & uicit, nec tamen ibi potuit regnum obtinere.

Anno ab incarnatione Domini quadrageſimo ſexto, Claudius ſecundus Romanorum, Britannias adiens, plurimam inſulæ partem in deditionem recepit, & Orchadas quoq; inſulas Romano adiecit imperio.

Anno ab incarnatione Domini centeſimo ſexageſimo ſeptimo, Eleutherius Romæ præſul factus, quindecim annos eccleſiam glorioſiſsimè rexit, cui literas rex Britanniæ Lucius mittens, ut Chriſtianus efficeretur, petijt & impetrauit.

Anno ab incarnatione Domini centeſimo octogeſimo nono, Seuerus imperator factus, decem & ſeptem annis regnauit, qui Britanniam uallo à mari uſq; ad mare præcinxit.

Anno trecenteſimo octogeſimo primo, Maximus in Britannia creatus imperator, in Galliam tranſijt, & Gratianum interfecit.

Anno quadringẽteſimo nono, Roma à Gothis fracta eſt, ex quo tempore Romani in Britãnia regnare ceſſarunt.

Anno quadringenteſimo triceſimo, Palladius ad Scotos in Chriſtum credentes à Cæleſtino papa primus mittitur epiſcopus.

Anno quadringenteſimo quadrageſimo nono, Martianus cum Valentiniano imperiũ ſuſcipiens, ſeptem annis tenuit. Quorum tempore Angli à Britonibus accerſiti, Britanniam adierunt.

Anno quingenteſimo uiceſimo octauo, eclipſis ſolis facta eſt decimoquarto calendarũ Martiarum, ab hora prima uſq; ad tertiam.

Anno quingenteſimo quadrageſimo, eclipſis ſolis facta eſt duodecimo calendas Iulij, & apparuerunt ſtellę, penè hora dimidia ab hora diei tertia.

Anno quingenteſimo quadrageſimo ſeptimo, Ida regnare cœpit, à quo regalis Nordan Humbrorũ proſapia originem tenet, & duodecim annis in regno permanſit.

Anno quingenteſimo ſexageſimo quinto, Columba presbyter de Scotia uenit in Britanniam ad docẽdos Pictos, & in inſula Hij monaſterium fecit.

Anno quingenteſimo nonageſimo ſexto, Gregorius papa miſit in Britanniam Auguſtinũ cum monachis, qui uerbum Dei genti Anglorum euangelizarent.

Anno quingenteſimo nonageſimo ſeptimo, uenere in Britanniam pręfati doctores, qui fuit annus plus minus centeſimus quinquageſimus, aduentus Anglorum in Britanniam.

Anno ſexcenteſimo primo, miſit papa Gregorius pallium in Britanniam Auguſtino epiſcopo iam facto, & plures uerbi miniſtros, cum quibus & Paulinum.

Anno ſexcenteſimo tertio, pugnatum eſt Addeglaſtane.

Anno ſexcenteſimo quarto, Orientales Saxones fidem Chriſti perceperunt, ſub rege Geberto & antiſtite Mellito.

Anno ſexcenteſimo quinto, Gregorius papa obijt.

Anno ſexcenteſimo decimo ſexto, Edilbertus rex Cantuariorum defunctus eſt.

Anno ſexcenteſimo uiceſimo ſecundo, Paulinus à Iuſto archiepiſcopo, ordinatur genti Nordan Humbrorum antiſtes.

Anno ſexcenteſimo uiceſimo ſexto, Eanfleda filia Eduini regis baptizata eſt, cum duodecim in ſabbato Pentecoſtes.

Anno ſexcẽteſimo uiceſimo ſeptimo, Eduinus rex baptizatus eſt cum ſua gente in Paſcha.

Anno ſexcẽteſimo triceſimo tertio, Eduino rege perempto, Paulinus in Cantiam redijt.

Anno ſexcenteſimo quadrageſimo, Eadbaldus rex Cantuariorum obijt.

Anno ſexcenteſimo quadrageſimo ſecundo, Oſuualdus rex occiſus eſt.

Anno ſexcẽteſimo quadrageſimo quarto, Paulinus quondam Eboraci, ſed nunc Rhofenſis ciuitatis epiſcopus, migrauit ad Dominũ.

Anno ſexcẽteſimo quinquageſimo primo, Oſuuine rex occiſus, & Aidan epiſcopus defunctus eſt.

Anno ſexcẽteſimo quinquageſimo tertio, Middilangli ſub principe Penda, fidei myſterijs ſunt imbuti.

Anno ſexcenteſimo quinquageſimo quinto, perijt Penda, & Mercij facti ſunt Chriſtiani.

Anno ſexcenteſimo ſexageſimo quarto, eclipſis ſolis facta, Earcombertus rex Cantuariorum defunctus, & Colmanus cum ſuis ad Scotos reuerſus eſt, & peſtilentia uenit. Et Ceadda ac Vuilfridus Nordan Humbrorũ ordinantur epiſcopi.

Anno ſexcenteſimo ſexageſimo octauo, Theodorus ordinatur epiſcopus.

Anno ſexcenteſimo ſeptuageſimo, Oſuui rex Nordan Humbrorum obijt.

Anno ſexcenteſimo ſeptuageſimo tertio, Ecgbertus rex Cantuariorum obijt. Et ſynodus facta eſt ad Herudforda præſente Ecgfrido rege, præſidente uerò Theodoro archiepiſcopo, utiliſsima decem capitulorum.

Anno ſexcẽteſimo ſeptuageſimo quinto Vulfhere rex Merciorum, poſtquam ſeptendecim annis regnauerat defunctus, Edilredo fratri reliquit imperium.

Anno



Anno ſexcenteſimo ſeptuageſimo ſexto, Edilredus uaſtauit Cantiam.

Anno ſexcenteſimo ſeptuageſimo octauo, cometa apparuit: Vuilfridus epiſcopus à ſede ſua pulſus eſt ab Ecgfrido rege, & pro eo Boſa, Eata & Eadhedus conſecrati antiſtites.

Anno ſexcẽteſimo ſeptuageſimo nono, Elfuuini occiſus eſt.

Anno ſexcenteſimo octogeſimo, facta eſt ſynodus in campo Hedfelda, de fide catholica, præſidente archiepiſcopo Theodoro, in qua adfuit & Ioannes abbas Romanus, quo anno Hilda abbatiſſa in Streaneshale obijt.

Anno ſexcenteſimo octogeſimoquinto, Ecgfridus rex Nordan Humbrorum occiſus eſt.

Anno eodem Lotheri rex Cantuariorũ obijt.

Anno ſexcenteſimo octogeſimo octauo, Ceaduualla rex Occidentalium Saxonum Romã de Britannia pergit.

Anno ſexcenteſimo nonageſimo, Theodorus archiepiſcopus obijt.

Anno ſexcẽteſimo nonageſimo ſeptimo, Oſtrida regina à ſuis, id eſt, Merciorũ primatibus interempta eſt.

Anno ſexcenteſimo nonageſimo octauo, Berthredus dux regius Nordan Humbrorum à Pictis interfectus eſt.

Anno ſeptingẽteſimo quarto, Edilredus poſtquam triginta & unum annos genti Merciorum præfuit, monachus factus, Conredo regnum dedit.

Anno ſeptingenteſimo quinto, Aldfridus rex Nordan Humbrorum defunctus eſt.

Anno ſeptingẽteſimo nono, Cõredus rex Merciorum poſtquam ſex annos regnauit, Romam pergit.

Anno ſeptingenteſimo undecimo, Berthfridus præfectus cum Pictis pugnauit.

Anno ſeptingenteſimo decimo ſexto, Oſredus rex Nordan Humbrorum interfectus eſt. Et rex Merciorum Ceolredus defunctus eſt. Et uir Domini Ecgbertus, Hijenſes monachos ad catholicum Paſcha, & eccleſiaſticam correxit tonſuram.

Anno ſeptingẽteſimo uiceſimo quinto, Vuichtredus rex Cantuariorum obijt.

Anno ſeptingenteſimo uiceſimo nono, cometę apparuerunt, ſanctus Ecgbertus tranſijt, Oſrichus mortuus eſt.

Anno ſeptingẽteſimo triceſimo primo, Berthuualdus archiepiſcopus obijt.

Anno eodem, Taruuini conſecratus eſt archiepiſcopus.

Anno ab incarnatione Domini, ſeptingenteſimo triceſimo ſecundo, Ecgbertus pro Vuilfrido Eboraci epiſcopus factus. Cymbertus epiſcopus Lindisfarorum obijt.

Anno ſeptingẽteſimo triceſimo tertio, eclipſis facta eſt ſolis, decimo octauo kalend. Septẽbris, circa horam diei tertiam, ita ut penè totus orbis ſolis quaſi nigerrimo & horrendo ſcuto uideretur eſſe coopertus.

Anno ab incarnatione Domini, ſeptingenteſimo triceſimo tertio, Taruuini archiepiſcopus, accepto ab Apoſtolica authoritate pallio, ordinauit Aluuich, & Sigfridum epiſcopos.

Anno ſeptingenteſimo triceſimo quarto, luna ſanguineo rubore perfuſa, quaſi hora integra ſecunda, kalendarum Februariarum, circa galli cantum, dehinc nigredine ſubſequẽte, ad lucem propriam reuerſa.

Anno ab incarnatione Chriſti, ſeptingenteſimo triceſimo quarto, Taruuini epiſcopus obijt.

Anno ab incarnatione Domini, ſeptingenteſimo triceſimo quinto, Nothelmus archiepiſcopus ordinatur: & Ecgbertus epiſcopus, accepto ab Apoſtolica ſede pallio, primus poſt Paulinum in archiepiſcopatum confirmatus eſt, ordinauitq; Fruidbertũ & Fruiduualdum epiſcopos.

Anno ſeptingenteſimo triceſimo ſeptimo, nimia ſiccitas terrã fecit infœcundam, & Ceoluulfus ſua uoluntate attonſus, regnum Eadberto reliquit.

Anno ab incarnatione Chriſti, ſeptingenteſimo triceſimo nono, Edilhartus Occidentalium Saxonum rex obijt, & Nothelmus archiepiſcopus.

Anno ab incarnatione Domini, ſeptingenteſimo quadrageſimo, Cudbertus pro Nothelmo conſecratus eſt. Ediluualdus rex Merciorum per impiam fraudem uaſtabat partem Nordan Humbrorum, eratq; rex eorũ Eadbertus occupatus cum ſuo exercitu contra Pictos. Ediluualdus quoq; epiſcopus obijt, & pro eo Conuulfus ordinatur antiſtes. Aruuuini & Eadbertus interempti.

Anno ſeptingẽteſimo quadrageſimo primo, ſiccitas magna terram occupauit. Carolus rex Francorum obijt, & pro eo filij Caroloman & Pippin regnum acceperunt.

Anno ſeptingenteſimo quadrageſimo quinto, Vuilfridus epiſcopus & Ingualdus Lundoniæ epiſcopus migrauerunt ad Dominum.

Anno ſeptingẽteſimo quadrageſimo ſeptimo, Herefridus uir Dei obijt.

Anno ſeptingenteſimo quinquageſimo, Cudretus rex Occidentalium Saxonum, ſurrexit contra Ediluualdum regem & Oenguſum. Theneorus atque Eanredus obijt. Eadbertus campum Cyil cum alijs regionibus ſuo regno addidit.

Anno ſeptingenteſimo quinquageſimo ſexto, anno regis Eadberti, quinto idus Ianuarias, eclipſis ſolis facta eſt: poſtea eodem anno & menſe, hoc eſt, nono kalendarum Februariũ luna eclipſim pertulit horrendo & nigerrimo ſcuto.

Anno ſeptingenteſimo quinquageſimo quarto, Bonifacius qui & Vuinfridus Francorũ epiſcopus cum quinquaginta tribus martyrio coronatus eſt, & pro eo Redgerus conſecratur archiepiſcopus à Stephano papa.

Anno ſeptingenteſimo quinquageſimo ſeptimo,

mo, Edilbaldus rex Merciorum, à ſuis tutoribus noctu morte fraudulenta miſerabiliter perẽptus occubuit. Beonredus regnare cœpit, Cymuuulſus rex Occidentalium Saxonum obijt. Eodem etiam anno, Offa fugato Beonredo Merciorum regnũ ſanguinolento quæſiuit gladio.

Anno ſeptingenteſimo quinquageſimo octauo, Eadbertus rex Nordan Humbrorũ, Dei amoris cauſa & cœleſtis patriæ, uiolentia accepta ſancti Petri tonſura, filio ſuo Oſuuulſo regnum reliquit.

Anno ſeptingenteſimo quinquageſimo nono, Oſuuulſus à ſuis miniſtris facinoroſe occiſus eſt. Et Ediluualdus anno eodem à ſua plebe electus, intrauit in regnum: cuius ſecundo anno magna tribulatio mortalitatis uenit, & duobus fermè annis permanſit, populantibus duris ac diuerſis ægritudinibus, maximè tamen dyſenteriæ languore.

Anno ſeptingẽteſimo ſexageſimo primo, Oengus Pictorum rex obijt: qui regni ſui principium uſque ad finem facinore cruento tyrannus perduxit carnifex, & Oſuuini occiſus eſt.

Anno ſeptingenteſimo ſexageſimo quinto, Aluchredus rex ſuſceptus eſt in regnum.

Anno ſeptingeſimo ſexageſimo ſexto Ecgbertus archiepiſcopus proſapia regali ditatus, ac diuina ſcientia imbutus, & Erithubertus uerè fideles epiſcopi ad Dominum migrauerunt.

*Haec de Hiſtoria Eccleſiaſtica Britannorum, & maximè gentis Anglorum, prout uel ex literis antiquorum, uel ex traditione maiorum, uel ex mea ipſe cognitione ſcire potui, Domino adiuuante, digeſsi Beda Dei famulus & presbyter monaſterij beatorum apoſtolorum Petri & Pauli, quod eſt ad Vuirimudam & Ingiruum. Qui natus in territorio eiuſdem monaſterij, cùm eſſem annorũ ſeptem, cura propinquorum datus ſum educandus reuerendiſsimo abbati Benedicto, ac deinde Ceolfrido, cunctumq; ex eo tempus uitæ in eiuſdem monaſterij habitatione peragens, omnem meditandis ſcripturis operam dedi, atque inter obſeruantiam diſciplina regularis & quotidianam cantandi in eccleſia curam ſemper aut diſcere, aut docere, aut ſcribere dulce habui. Decimonono autem uitæ meæ anno diaconatum, triceſimo gradum preſbyteratus, utrumque per miniſterium reuerendiſsimi Epiſcopi Ioannis, iubente Ceolfrido abbate, ſuſcepi. Ex quo tempore accepti preſbyteratus, uſque ad annũ ætatis meæ quinquageſimum nonum, hæc in ſcripturam ſanctam meæ meorumq; neceſsitati ex opuſculis uenerabilium patrum breuiter annotare, ſiue etiam ad formam ſenſus & interpretationis eorum ſuperadijcere curaui.*

## ORATIO BEDAE
### AD CHRISTVM.

*Te deprecor bone* IESV, *ut cui propitius donaſti uerba tuæ ſapientiæ uel ſcientiæ dulciter haurire: dones etiam benignus aliquando ad te omnis ſapientiæ fontem peruenire, & apparere ſemper ante faciem tuã, qui uiuis & regnas Deus per omnia ſecula ſeculorum, Amen.*

DOMINO SANCTO
AC BEATISSIMO PATRI EDfrido Epiſcopo, *ſed & omni congregationi fratrum, qui in Lindiſfarnenſi inſula Chriſto deſeruiunt,*
*Beda fidelis ueſter conſeruus,*
*Salutem.*

QVIA iuſsiſtis dilectiſsimi, ut libro quem de uita beatæ memoriæ patris noſtri Cuthberti, ueſtro rogatu cõpoſui, præfationẽ aliquam in fronte iuxta morem præfigerem, per quam legentibus uniuerſis & ueſtrę uoluntatis deſiderium, & obeditionis noſtræ pariter aſſenſio fraterna clareſceret: placuit in capite præfationis & uobis qui noſtis ad memoriam reuocare, & eis qui ignorant hæc, fortè legentibus notum facere: quia nec ſine certiſsima exquiſitione rerum geſtarũ aliquid de tanto uiro ſcribere, nec tandem ea quæ ſcripſeram, ſine ſubtili examinatione teſtium indubiorum, paſsim tranſcribenda quibuſdam dare prẹſumpſi: quin potius primò diligenter exordiũ, progreſſum & terminum glorioſiſsimæ cõuerſationis ac uitæ illius ab his qui nouerant, inueſtigans. Quorum etiam nomina in ipſo libro aliquotiens ob certum cognitę ueritatis indicium apponenda iudicaui, & ſic demum ad ſchedulas manũ mittere incipio. At digeſto opuſculo, ſed adhuc in ſchedulis retento, frequenter & reuerendiſsimo fratri noſtro Herefrido presbytero huc aduentanti, & alijs qui diutius cum uiro Dei conuerſati, uitam illius optimè nouerant, quæ ſcripſi legenda, atq; ex tempore præſtiti retractanda, ac nonnulla ad arbitrium eorum, prout uidebantur, ſedulus emendaui, ſicq; ablatis omnibus ſcrupulorum ambagibus ad purum, certã ueritatis indaginem ſimplicibus explicitã ſermonibus commendare membranulis, atque ad ueſtræ quoq; fraternitatis præſentiam aſportare curaui, quatenus ueſtræ authoritatis iudicio uel emendarentur falſa, uel probarentur uera eſſe quæ ſcripta ſunt. Quod cùm Domino adiuuante patrarem, & coram ſenioribus ac doctoribus ueſtræ congregationis libellus biduo legeretur, ac ſolertiſsimè per ſingula ad ueſtrum penſaretur examen: nullus omnimodis inuentus eſt ſermo, qui mutari debuiſſet, ſed cuncta quę ſcripta erant, communi conſilio decernebãtur abſq; ulla ambiguitate legenda, & his qui religionis ſtudio uellent ad tranſcribendũ eſſe tradenda. Sed & alia multa nec minora his quę ſcripſimus, præſentibus nobis adinuicem conferentes, de uita & uirtutibus beati uiri ſuperintuliſtis, quæ prorſus memoria digna uidebantur, ſi non deliberato ac perfecto operi noua interſerere uel ſupradicere minus congruum atq; indecorum eſſe conſtaret. Dehinc admonendã ueſtræ almitatis coronã ratus ſum, ut ſicut ipſe munus obedientiæ meæ, quod iubere eſtis dignati, promptus ſoluere nõ diſtuli: ita uos quoque ad reddendum mihi ueſtræ interceſsionis præmium pigri non ſitis, ſed cum eundem librũ relegentes pia ſanctiſsimi patris memoria ueſtros animos ad deſideria regni cœleſtis ardentius attollitis: pro mea quoq; paruitate memineritis diuinam exorare clementiam, quatenus & nũc pura mente deſiderare, & in futuro perfecta beatitudine merear uidere bona Domini in terra uiuentium: ſed & me defuncto pro redemptione animæ meæ quaſi pro familiaris & uernaculi ueſtri orare, & miſſas facere, & nomen meũ inter ueſtra ſcribere dignemini. Nam & cum ſanctiſsime antiſtes, hoc te mihi promiſiſſe iam retines, in cuius etiam teſtimonium futuræ conſcriptionis religioſo fratri ueſtro Gudfrido Manſionario præcepiſti, ut in albo ueſtrę ſanctæ congregationis meum nunc quoq; nomen apponeret. Sciat aũt ſanctitas ueſtra, quia uitam eiuſdem Deo dilecti patris noſtri, quam uobis proſa editam dedi, aliquãto quidem breuius, ſed eodem tamen ordine, rogantibus quibuſdam è noſtris fratribus heroicis dudum uerſibus edidi. Quos ſi uos habere delectat, à nobis exemplar accipere poteſtis: in cuius operis prẹfatione promiſi me aliàs de uita & miraculis eius latius eſſe ſcripturum: quam uidelicet promiſsionem in præſenti opuſculo, prout Deus dederit, adimplere ſatago. Orantem pro nobis beatitudinem ueſtram Dominus omnipotens cuſtodire dignetur incolumem dilectiſsimi fratres, & domini mei, Amen.

# Cuthberti Epiſcopi & confeſſoris uita.

*Quomodo puer Dei Cuthbertus per infantem ſit prædicto epiſcopatu admonitus.* Caput I.

PRINCIPIVM nobis ſcribẽdi de uita beati Cuthberti, Hieremias propheta conſecrat, qui anachoreticæ perfectionis ſtatum glorificans ait, Bonum eſt uiro cum portauerit iugum ab adoleſcentia ſua: ſedebit ſolitarius & tacebit, quia leuabit ſe ſuper ſe. Huius nanq; boni dulcedine accenſus uir Domini Cuthbertus, ab ineunte adoleſcentia iugo monachicæ inſtitutionis collum ſubdidit: & ubi opportunitas iuuit, arrepta etiã conuerſatione anachoretica, nõ pauco tempore ſolitarius ſedere, atq; ob ſuauitatem diuinæ contemplationis ab humanis tacere delectabatur alloquijs. Sed ut hęc in maiore ætate poſſet, ſuperna illũ gratia ad uiam ueritatis paulatim à primis iam pueritiæ incitauerat annis: ſiquidem uſq; ad octauum ætatis annum, qui poſt infantiam pueritiæ primus eſt, ſolis paruulorum ludis & laſciuiæ mentem dare nouerat, ita ut illud beati Samuelis tunc de ipſo poſſet teſtimo-

nium dici. Porrò Cuthbertus necdum ſciebat Dominum, neq; reuelatus fuerat ei ſermo Domini: quod in præconium laudis dictum eſt pueritiæ illius, qui ætate maior perfectè iam cogniturus erat Dominum, ac ſermonem Domini reuelata cordis aure percepturus. Oblectabatur ergo ut diximus, iocis & uagitib. & iuxta qđ ætatis ordo poſcebat, paruulorum conuenticulis intereſſe cupiebat, ludentibus colludere deſiderabat: & quia agilis natura atq; acutus erat ingenio, contendentibus ludo ſæpius præualere conſueuerat, adeò ut feſsis nonnunquam cæteris ille indefeſſus adhuc, ſiquis ultra ſecũ uellet certare quaſi uictor lætabundus inquireret. Siue enim ſaltu, ſiue curſu, ſiue luctatu, ſeu quolibet alio membrorum ſinuamine ſe exercerẽt, ille omnes æquæuos, & nonnullos etiam maiores à ſe gloriabatur eſſe ſuperatos. Cum enim eſſet paruulus, ut paruulus ſapiebat, ut paruulus cogitabat: qui poſtmodũ factus uir, pleniſsimè ea quæ paruuli erant, depoſuit: & quidem diuina diſpenſatio primitus elationem animi puerilis digno ſe pędagogo compeſcere dignata eſt. Nam ſicut beatæ memoriæ Trumuuine epiſcopus ab ipſo Cuthberto ſibi dictum perhibebat, dum quadã die ſolito luctamini in campo quodam non modica puerorum turba inſiſteret, intereſſet & ipſe, & ſicut ludentium leuitas ſolet contra congruum naturę ſtatum uarijs flexibus mẽbra pleriq; ſinuarent, repentè unus de paruulis triennis fermè, ut uidebatur, accurrit ad eum, & quaſi ſenili conſtantia cœpit hortari, ne iocis & ocio indulgeret, ſed habilitati potius mẽtem ſimul & mẽbra ſubiugaret. Quo monita ſpernente, luget ille corruẽs in terram, & faciem lachrymis rigans. Accurrunt conſolaturi cæteri, ſed ille perſtat in fletibus. Interrogant quid haberet repentinum, unde tantis affliceretur lamẽtis. At ille tandem exclamãs, conſolanti ſe Cuthberto, Quid inquit, ſanctiſsime antiſtes & presbyter Cuthberte hæc & naturæ & gradui tuo contraria geris? Ludere te inter paruulos non decet, quem Dominus etiam maioribus natu magiſtrum uirtutis cõſecrauit. Audiens hæc bonę indolis puer, fixa intentione ſuſcepit, illo nimirum ſpiritu interius eius præcordia docente, qui per os infantis extrinſecus eius auribus inſonuit. Nec mirãdum cuiquam paruuli laſciuiam per paruulũ potuiſſe Domino agente cohiberi, qui ad prohibendam prophetæ inſipientiam ore ſubiugalis muti, rationabilia uerba, cum uoluit edidit, in cuius laude ueraciter dictum eſt, Quia ex ore infantium & lactentium perfeciſti laudem.

*Quomodo genu dolente claudus ſit effectus, & angelo medicante ſine mora ſanatus.* Caput II.

VErùm quia omni habenti dabitur & abundabit, id eſt, habẽti propoſitum amoremq; uirtutum harum copia ſuperno munere donabitur: quoniam puer Domini Cuthbertus, qui per hominẽ accepit hortamenta, ſedulò corde retinebat, etiam angelico uiſu & affatu confortari promeruit. Nam ſubitò dolore genu correptũ illius acri cœpit tumore groſſeſcere, ita ut neruis in poplite contractis, pedem primò à terra ſuſpenſum claudicãs portaret, dehinc ingraueſcẽte moleſtia, omni penè priuaretur inceſſu. Qui die quadam deportatus foras à miniſtris, atq; ſub diuo recumbens, uidit repentè uenientem delongè equitem albis indutum ueſtimẽtis & honorabilem uultu: ſed & equum cui inſidebat incõparandi decoris. Qui cũ adueniens manſueto illum ſalutaret alloquio, addidit quaſi per iocum inquirere, ſi aliquod tali hoſpiti præbere uellet obſequium. At ille, Iam, inquit, promptiſsimè tuis cuperem aſtare deuotus obſequijs, ſi non exigẽtibus culpis huius cõpede languoris retinerer. Diu nanque eſt quod moleſtia genu tumentis oppreſſus, nulla cuiuſlibet medicorum induſtria poſſum ſanari. Qui deſiliens equo, ac genu languidum diligentius conſiderãs: Coque, inquit, triticeam in lacte farinam, & hac confectione calida tumorẽ ſuperunge, & ſanaberis. Et his dictis, aſcendẽs equũ, abijt. Ille iuſsis obtemperans, poſt dies paucos ſanatus eſt, agnouitq; angelum fuiſſe, qui hæc ſibi monita dediſſet, mittente illo qui quondam Raphaelem archangelum ad ſanandos Tobiæ uiſus deſtinare dignatus eſt. Quod ſi cui uidetur incredibile, angelum in equo apparuiſſe, legat hiſtoriam Machabeorum, in qua angeli in equis & ad Iudæ Machabei, & ad ipſius templi defenſionem aduenisse memorantur.

*Quomodo uentis oratione mutatis rates Oceano delapſas reuocarit ad litus.* Caput III.

AB hoc autẽ tẽpore deuotus Domino puer, ſicut ipſe poſtea familiaribus ſuis atteſtari ſolebat, ſæpè in anguſtijs ſe uallantibus orans Dominũ, angelica meruit opitulatione defendi: nec non etiã pro alijs in periculo conſtitutis, quia benigna pietate ſupplicabat, exaudiebatur ab illo qui clamantem pauperem exaudire, & ex omnibus tribulationibus eius conſtituit eripere. Eſt deniq; monaſterium non longè ab hoſtio fluminis Tini ad meridiẽ ſitum, tunc quidem uirorum, nunc autem mutato, ut ſolet, per tempora rerum ſtatu, uirginum Chriſto ſeruiẽtium nobili examine pollens: qui uidelicet famuli Chriſti dum ligna monaſterij uſibus apta per memorati alueum fluminis delongè ratibus ueherent, iamq; eregionè eiuſdem monaſterij uehendo deuenirent, ac rates ad terrã educere conarentur: ecce uentus ſubitò ab occaſu intẽpeſtiuus aſſurgẽs abripuit rates, atq; ad oſtium fluminis trahere cœpit. Quod uidentes è monaſterio fratres, emiſsis in fluuio nauiculis, eos qui in ratibus laborabãt adiuuare nitebantur: ſed ui fluminis ac uentorum uiolentia ſuperati, nequaquam ualebant: unde facta deſperatione humani adiutorij, confugerũt ad diuinũ. Egreſsi namq; de monaſterio, & labentibus in oceanum ratibus, collecti in proxima obice flectebant



genua, ſupplicantes Domino pro his quos in tantum mortis diſcrimen iam iamq; irruere cernebant. Sed prouiſione diuina, quamuis diu precãtium uota ſunt dilata, ut uidelicet quanta eſſet in Cuthberto uirtus precandi, pateſceret. Stabat enim in altera amnis ripa uulgaris turba non modica, in qua ſtabat & ipſe: quæ cum aſpectantibus cum triſtitia monachis raptas porrò per mare cerneret rates, adeò ut quaſi quinque aues paruulæ (quinque enim erant rates) undis inſidentes apparerent, cœpit irridere uitam conuerſationis eorum, quaſi meritò talia paterẽtur, qui communia mortalium iura ſpernentes, noua & ignota darent ſtatuta uiuendi. Prohibuit probra deridentium Cuthberthus, Quid agitis inquiens, fratres, maledicentes his quos in lethum iam trahi uidetis? Non'ne melius eſſet & humanius, Dominum pro eorum deprecari ſalute, quàm de illorum gaudere periculis? At illi ruſtico & animo & ore ſtomachãtes aduerſus eũ, Nullus, inquiũt, hominũ pro eis roget, nullius eorum miſereatur Deus, qui & ueteres culturas hominibus tulere, & nouas qualiter obſeruare debeant, nemo nouit. Quo accepto reſpõſo, ipſe oraturus Dominum genua flexit, caput in terram declinauit, ſtatimq; retorta uis uentorum rates cum his qui ducebant gaudentibus integras ad terrã eiecit, & iuxta ipſum monaſteriũ in loco opportuno depoſuit. Vidẽtes autẽ ruſtici erubuerunt de ſua infidelitate: fidem uerò uenerabilis Cuthberti extunc laude digna prędicabant, & deinceps prædicare nullatenus ceſſabant, adeò ut frater quidam noſtri monaſterij probatiſsimus, cuius ipſe hęc relatione didici, ſeſe hęc ab uno ipſorum ruſticæ ſimplicitatis uiro, & ſimulandi prorſus ignaro, coram multis ſæpè aſsidẽtibus audiſſe narrauerit.

*Quomodo cum paſtoribus poſitus, animam ſancti Aidani Lindisfarnenſis epiſcopi ad cœlum ferri ab angelis aſpexerit.* Cap. IIII.

AT ubi gubernatrix uitę fideliũ gratia Chriſti uoluit famulũ ſuum arctioris propoſiti ſubire uirtutẽ, altioris præmij gloriam promereri, contigit eum remotis in montibus cõmiſſorum ſibi pecorum agere cuſtodiam: qui dum nocte quadã dormientibus ſocijs ipſe iuxta morem peruigil in oratione duraret, uidit ſubitò fuſum de cœlo lumen, medias longæ noctis interrupiſſe tenebras, in quo cœleſtiũ choros agminum terras petiſſe, nec mora rapta ſecum anima claritatis eximię ſupernam rediſſe ad patriam. Compunctus eſt multũ hoc uiſu Deo dilectus adoleſcens ad ſubeundum gratiam ſpiritualis exercitij, ac promerendæ inter magnificos uiros uitæ felicitatisq; perennis, cõfeſtimq; Deo laudes gratiarumq; referens actiones, ſed & ſocios ad laudandũ Dominũ fraterna exhortatione prouocans: Heu miſeri, inquit, qui ſomno & inertiæ dediti, non meremur ſemper uigilantium miniſtrorũ Chriſti cernere lucem. En ipſe cum modico noctis tẽpore peruigil orarẽ, tanta Dei magnalia conſpexi: aperta eſt ianua cœli, & inductus illuc angelico comitatu ſpiritus cuiuſdã ſancti, qui nunc nobis in infima caligine uerſantibus ſupernæ manſionis gloriã, ac regem illius Chriſtum perpetuò beatus intuetur: & quidem hunc uel epiſcopum quemlibet ſanctum, uel eximium de fidelium numero uirum fuiſſe exiſtimo, quem tantę ſplendore lucis, tot ducentium choris angelorum cœlos allatum uidi. Hæc dicẽs uir Domini Cuthbertus, non parum corda paſtorum ad reuerentiam diuinæ laudationis accendit, agnouitq; mane facto antiſtitem Lindisfarnenſis eccleſiæ Aidanum magnę utiq; uirtutis uirum, per id temporis quo uiderat raptum de corpore cœleſtia regna petiſſe, ac ſtatim cõmendãs ſuis pecora quę paſcebat dominis, monaſteriũ petere decreuit.

*Quomodo iter faciens cibos Domino procurante perceperit.* Caput V.

CVmq; nouũ uitæ continentioris ingreſſum ſedulò iam corde meditaretur, affuit gratia ſuperna, quæ animum eius arctius in propoſito firmaret, ac manifeſtis edoceret indicijs: quia quærẽtibus regnum Dei & iuſtitiã eius, ea quæ ad uictum corporis pertinent, beneficio diuinę prouiſionis adijciuntur. Quadã nanq; die dum iter ſolus ageret, diuertit hora tertia in uillam, quam eminus poſitam fortè reperit, intrauitq; domum cuiuſdã religioſæ matrisfamiliàs, paululum ibidem quieſcere deſiderãs, & iumento potius cui inſedebat, quã ſibi alimentũ poſcere curans. erat enim tempus incipiẽtis brumę. Suſcepit ergo eum mulier benignè, rogauitq; ſollicitè, ut prandium parare, atq; illum reficere liceret. Negauit uir Domini, Non poſſum, inquiẽs, adhuc mãducare, quia dies ieiunij eſt. Erat nanque ſexta ſabbati, qua pleriq; fidelium ob reuerentiam Dominicę paſsionis uſq; ad nonam horam ſolent protelare ieiuniũ. Perſtitit in rogando mulier hoſpitalitatis ſtudio deuota, Ecce inquiens, itinere quo uadis, nullum uiculum, nulla hominum habitacula reperies, & quidem lõgum reſtat iter, neq; ante ſolis occubitum ualet conſummari: unde precor antequã egrediaris, accipias cibos, ne tota die ieiunium ſuſtinere, uel etiam procraſtinare cogaris. At ille, quamuis multum rogante fœmina, rogãtis inſtantiã religionis amore deuincens, ieiunus uiam repetijt, ieiunus diem duxit ad ueſperam: cumq; inſtante iam ueſpera cerneret ſe iter, quod propoſuerat, eodem die non poſſe finire, neq; ulla in proximo hominũ hoſpitia ubi manere poſſet, adeſſe: ecce ſubitò iter faciẽs uidit iuxta paſtorũ tuguria, quæ æſtate infirmiter poſita tũc, iam deſerta patebant. Huc propter manẽdum ingrediens, equum in quo uenerat, alligauit ad parietem, collectumq; fœni faſciculũ, quem tecto uentus abſtulerat, edendũ illi appoſuit, ipſe orando horã ducere cœpit. At ſubitò inter pſallendum uidit equum elato ſurſum capite tecta

caſæ carpentem ore uiſumq́; trahentem, atq́; inter cadentia fœna tecti inuolutum pariter decidere lintheum: uolẽsq́; dinoſcere certius quid eſſet, finita oratione acceſsit, & inuenit inuolutum lintheo dimidium panis calidi & carnem, quę ad unam ſibi refectionem ſufficere poſſent: laudemq́; decantãs beneficijs cœleſtibus, Deo, inquit, gratias, qui & mihi pro eius amore ieiunanti, & meo comiti cœnam prouidere dignatus eſt. Diuiſit ergo fragmen panis quod inuenit, partemq́; eius dimidiam equo dedit, reliquum ſuo eſui reſeruauit, atque ex illo iam die promptior factus eſt ad ieiunandum: qui nimirum intellexit eius dono ſibi refectionem procuratam in ſolitudine, qui quondam Heliam ſolitarium, quia nullus hominũ aderat qui miniſtraret, eiuſmodi cibo per uolucres non pauco tempore pauit, cuius oculi ſuper timentes eum, ſperantes autem in miſericordia eius, ut eripiat à morte animas eorum, & alat eos in fame. Hęc mihi religioſus noſtri monaſterij, quod eſt ad oſtium Vuiri fluminis, presbyter nomine Inguuald, qui nunc longę gratia ſenectutis magis corde mũdo cœleſtia, quàm terrena carnalibus contẽplatur aſpectibus, ab ipſo Cuthberto iam tunc epiſcopo ſe audiſſe perhibuit.

*Quale ei teſtimonium uenienti ad monaſterium Boiſilus, uir ſanctus in ſpiritu perhibuerit.*
*Caput* VI.

INterea uenerabilis Domini ſeruus relictis ſeculi rebus monaſterialem properat ſubire diſciplinam, utpote cœleſti uiſione ad appetẽda perpetuę gaudia beatitudinis incitatus, ad tolerandam pro Domino eſuriem ſitimq́; temporalem epulis inuitatus cœleſtibus: & quidẽ Lindisfarnienſem eccleſiam multos habere ſanctos uiros, quorũ doctrina & exemplis inſtrui poſſet, nouerat, ſed fama præuẽtus Boiſili ſublimiũ uirtutum monachi & ſacerdotis, Mailros petere maluit: caſuq́; cõtigit, ut cum illò perueniẽs equo deſiliſſet, ingreſſurusq́; ad orandum eccleſiam, ipſum pariter equum & haſtam, quam tenuerat manu, miniſtro dediſſet (nec dum enim habitum depoſuerat ſecularẽ) Boiſilus ipſe præ foribus monaſterij conſiſtens, prior illum uideret: preuidensq́; in ſpiritu, quantus conuerſatione eſſet futurus quem cernebat, hoc unum dixit aſtantibus, Ecce ſeruus Dei imitatus illum, qui uenientem ad ſe Nathanael intuitus, Ecce, inquit, uerè Iſraelita, in quo dolus non eſt, ſicut religioſus ac ueteranus Dei famulus, & presbyter Sigfridus ſolet atteſtari, qui eidem Boiſilo hæc dicẽti inter alios aſtabat, tunc in ipſo monaſterio adoleſcens primis adhuc monachicæ uitæ rudimẽtis inſtitutus, nunc in noſtro, id eſt, Gyruenſi monaſterio perfectum in Chriſto agens uirum, & inter ægra ſpiritus extremi ſuſpiria lætum uitæ alterius ſitiens introitũ. Nec plura loquens Boiſilus, peruenientem mox ad ſe Cuthbertum benignè ſuſcepit, cauſamq́; itineris exponentem, quia uidelicet monaſteriũ ſeculo prætulerit, benignius ſecum retinuit. erat enim præpoſitus eiuſdẽ monaſterij. Et poſt dies paucos adueniente uiro beatæ recordationis Eata tunc presbytero & abbate monaſterij ipſius, poſtea Lindisfarnenſis eccleſiæ ſimul & eiuſdem loci antiſtite indicauit ei de Cuthberto: & quia boni propoſiti animum gereret, expoſuit, obtinuitq́; apud eum, ut accepta tõſura, fratrum iungeretur conſortio. Et ingreſſus monaſterium, confeſtim æqualem cæteris fratribus uitæ regularis obſeruantiam tenere, uel etiam arctioris diſciplinæ ſtudijs ſupergredi curabat, legendi uidelicet, operandi, uigilandi, atq́; orandi ſolertior: ſed & iuxta exemplum Samſonis fortiſſimi quondã Nazarei ab omni quod inebriare poteſt, ſedulus abſtinebat: nõ autem tantam eſcarum ualebat ſubire continentiam, ne neceſſarijs minus idoneus efficeretur operibus. Erat enim robuſtus corpore, & integer uiribus, atq́; ad quæcunque uolebat, aptus exercitia laboris.

*Quomodo angelum hoſpitio ſuſcipiens, dum panem quærit miniſtrare terrenum, cœleſti ab eo remunerari meruerit.* *Caput* VII.

CVmq́; poſt aliquot annos regi Alchfrido placeret pro redemptione animæ ſuæ locũ quendam regni ſui, qui uocatur Inrhypum, ad conſtruendum ibidem monaſterium Eatæ abbati donare, tollens idem abbas quoſdam è fratribus ſecum, in quibus & Cuthbertum, condidit ibi, quod petebatur, monaſterium, atque eiſdẽ quibus antea Mailros inſtitutis diſciplinę regularis imbuit: ubi famulus Domini Cuthbertus ſuſcipiendorum officio prępoſitus hoſpitum probandæ ſuæ gratia deuotionis, angelũ Domini ſuo ſuſcepiſſe fertur hoſpitio. Exiens enim primo mane de interioribus monaſterij ædibus ad hoſpitum cellulã, inuenit inibi quendam ſedentem iuuenem, quem hominem æſtimans, ſolito mox humanitatis more ſuſcepit. Nam lauandis manibus aquam dedit, pedes ipſe abluit, lintheo extersit, fouendos humiliter manibus ſuo in ſinu compoſuit, atq́; ut horam diei tertiam etiam cibo reficiẽdus expectaret, rogauit, ne ſi ieiunus iret, fame pariter & frigore laſſaretur hyberno. Putabat nanque hominem nocturno itinere ſimul & flatibus defeſſum niueis, illò requieſcendi gratia diluculo diuertiſſe. Negauit ille, & ſe citò iturum, quia longius eſſet manſio, ad quam properaret, reſpondit. At Cuthbertus diu multumq́; rogans, tandem adiuratione addita diuini nominis, ad manendum coëgit: ſtatimq́; ut expletis horæ tertiæ precibus ueſcendi tempus aderat, appoſuit menſam, ſumendas obtulit eſcas, & obſecro te, inquit, frater reficias, dum rediens panẽ calidum affero. Spero enim, quia iam cocti ſint. At ubi redijt, non inuenit hoſpitẽ, quem edentem reliquerat. Explorat ueſtigia quà iret, ſed nulla uſpiam inuenit. Recẽs autem nix terram texerat, quæ facillimè uiantis iter proderet, & quò



quò declinaret mõſtraret. Stupefactus ergo uir Dei, & ſecum quærens de facto, repoſuit menſam in conclaui. Quod ingreſſus, continuò obuiam habuit miri odoris fragrantiam: circumſpiciens autẽ unde eſſet orta tanta nidoris ſuauitas, uidit iuxtà poſitos tres panes calidos inſoliti candoris & gratiæ, pauensq́; talia ſecum loquitur, Cerno quòd angelus Dei erat quem ſuſcepi, paſcere, non paſci ueniens. En panes attulit, quales terra gignere nequit. Nam & lilia candore, & roſas odore, & mella præcellunt ſapore: unde conſtat, quia non de noſtra tellure orti, ſed de paradiſo uoluptatis ſunt allati. Nec mirum quòd epulas in terris ſumere reſpuerit humanas, qui æternæ uitæ pane fruitur in cœlis. Itaq́; uir Domini de oſtenſa miraculi uirtute compunctus, maiorem ex eo uirtutum operibus curam impendebat: creſcẽtibus autem uirtutibus, creuit & gratia cœleſtis. Deniq́; ſæpius ex eo tempore angelos uidere & alloqui, ſed & eſuriens cibis ſpeciali munere à Domino præparatis meruit refici. Nam quia affabilis & iocundus erat moribus, plerunque dum ad exemplum uiuendi præſentibus patrum præcedentium geſta referret, etiã quid ſibi doni ſpiritualis ſuperna pietas contulerit, humiliter interſerere ſolebat. Et aliquando quidem palam, aliquãdo autem uelatè quaſi ſub perſona alterius id facere curabat. Quod tamẽ qui audiere, quia de ſeipſo dixerit, intelligebant, iuxta exemplũ magiſtri Gentium, qui modò ſub prætextu alterius perſonę loquitur dicens, Scio hominem in Chriſto ante annos quatuordecim raptum uſque ad tertium cœlum, & cætera illius loci.

*Quomodo ſanato à languore Cuthberto Boiſilus moriturus omnia, quæ ei erant uentura prædixerit.*
*Caput* VIII.

INterea quia fragilis eſt, & more freti uolubilis omnis ſeculi ſtatus, inſtante ſubito turbine præfatus abbas Eata cum Cuthberto & cæteris, quos ſecum adduxerat, fratribus domum repulſus eſt, & locus monaſterij, quod condiderat, alijs ad incolendum monachis datus. Nec memoratus athleta Chriſti, mutatione loci mutauit mentem ab arrepto ſemel propoſito militiæ cœleſtis, uerùm diligentiſsimè iuxta quòd & ante facere conſueuerat, beati Boiſili dictis pariter auſcultabat, & actis. Quo tempore ſicut Herefridus familiaris eius presbyter & abbas quondam monaſterij Lindisfarnẽſis ipſum referre ſolitum teſtatur, morbo peſtilentiæ, quo tunc plurimi per Britanniam longè lateq́; deficiebant, correptus eſt. At fratres monaſterij illius totam pro eius uita & ſalute præcantes, duxere noctem peruigilẽ. Omnes enim quaſi hominis ſancti neceſſariam ſibi eius adhuc in carne præſentiam rebantur. Quod dum ipſi manè quidã de illis indicaret (nam neſcio eo fecerãt) reſpondens ſtatim, Et quid iaceo, inquit. Neq́; enim dubitandum eſt, quia tot taliumq́; uirorũ preces Deus non deſpexerit. Date baculum & caligas. Statimq́; exurgens cœpit tẽtare inceſſum, baculo innitens, & creſcente per dies uirtute, ſanitatẽ quidem recepit: ſed quia tumor, qui in femore apparebat, paulatim à ſuperficie detumeſcens corporis ad uiſcerũ interiora perlapſus eſt, toto penè uitæ ſuæ tempore aliquantulum interaneorum non ceſſabat ſentire dolorem, uidelicet ut iuxta Apoſtolum uirtus in infirmitate perficeretur. Quem cum famulus Domini Boiſilus à ualetudine ſanatũ cerneret, ait, Vides frater, quia liberatus es à moleſtia, qua laborabas, & dico tibi, quòd ea iam ultra tangendus nõ es, neq́; hoc moriturus in tempore: ſimulq́; moneo, ut quia me mors uicina præſtolatur, diſcere à me aliquid quandiu docere ualeam, nõ omittas. Non enim pluſquam ſeptem dies ſunt, quibus mihi ad docendũ ſanitas corporis, & linguę ſuppetat uirtus. Reſpõdit Cuthbertus, nihil hæſitãs de ueritate dictorum illius, Et quid rogo optimũ mihi eſt legere, qd' tamen una ualeam conſummare ſeptimana? At ille, Iohannem, inquit, euangeliſtam. Eſt autem mihi codex, habens quaterniones ſeptem, quos ſingulis diebus ſingulos poſſumus Domino adiuuante legendo, & quantum opus eſt, inter nos conferẽdo percurrere. factumq́; eſt, ut dixerat. Quam ideo lectionem tam citiſsimè complere ualebãt, quia ſolam in ea fidei, quę per dilectionem operatur, ſimplicitatem, non autem quæſtionum profunda tractabant. Completa ergo poſt dies ſeptem lectione, memorato morbo arreptus uir Domini Boiſilus diem peruenit ad ultimũ, & hoc magna cum exultatione tranſcẽſo ad gaudium perpetuæ lucis intrauit. Ferunt illum his ſeptẽ diebus omnia Cuthberto, quæ ei futura reſtabant, expoſuiſſe. Propheticus nãque, ut dixi, & miræ ſanctitatis erat homo. Deniq́; præfatæ acerbitatem peſtilentiæ, triennio priuſquam ueniret, Eatano abbati ſuo prędixit fuiſſe futuram, nec ſe illa tollendum celauit: ipſum uerò abbatem ſuum, non ea moriturum, ſed illo potius morbo, quem dyſenteriam medici appellant, ueridico, ut rerũ exitus docuit, ſermone prẹmonuit. Sed & Cuthberto inter alia, quia epiſcopus eſſet ordinãdus, inſinuauit, unde idem Cuthbertus poſtmodum in receſſu anachoreſeos poſitus, dicere quidem nulli uolebat, quia epiſcopum eum prædixerat futurũ: ſed tamen uiſitantibus ſe aliquotiens fratribus ſolebat multo cum dolore proteſtari, quia etiã ſi fieri poſsit, ut incautè permodicã domunculam habens deliteam, ubi circũferentes me undiq́; fluctus oceani tumeſcentis à cunctorũ mortalium uiſu pariter & cognitione ſecludãt, nec ſic quidem liberum me ab inſidijs mundi fallentis æſtimo, ſed ibi quoq́;, quia qualibet ex cauſa philargyria me tẽtans, abripere poſsit, uereor.

*Quàm ſedulus erga miniſterium uerbi Cuthbertus extiterit.* *Caput* IX.

POſt obitum uerò dilecti Deo ſacerdotis Boiſili, memoratum præpoſiti officiũ Cuthbertus ſuſcepit, & per aliquot annos ſpirituali, ut ſanctum

ſanctum decebat, exercens induſtria: nõ ſolum ipſi monaſterio regularis uitæ monita, ſimul & exemplum præferebat, ſed & uulgus circũpoſitum longè lateq; à uita ſtultæ cõſuetudinis ad cœleſtium gaudiorũ conuertere curabat amorem. Nam & multi fidem quam habebant, iniquis profanabãt operibus, & aliqui etiam tempore mortalitatis neglecto fidei, quo imbuti erant ſacramento, ad erratica idolatriæ medicamina concurrebant, quaſi miſſam à Deo conditore plagam per incãtationes uel alligaturas, uel alia quælibet demoniacæ artis arcana cohibere ualerent. Ad utrorumq; ergo corrigẽdum errorẽ crebrò ipſe de monaſterio egreſſus, aliquotiens equo ſedens, ſed ſæpius pedes incedens circumpoſitas ueniebat ad uillas: & uiam ueritatis prędicabat errantibus, quod ipſum etiam Boiſilus ſuo tempore facere conſueuerat. Erat quippe moris eo tempore populis Anglorum, ut ueniente in uillam clerico uel presbytero cuncti ad eius imperium uerbum audituri confluerent, libenter ea quæ dicerentur, audirent, libentiusq; quæ audire & intelligere poterant, operando ſequerentur. Porrò Cuthberto tanta erat docendi peritia, tantus amor perſuadendi quæ cœperat, tale uultus angelici lumen, ut nullus præſentium latebras ei ſui cordis celare præſumeret, omnes palàm quæ geſſerant, cõfitendo proferrent, quia nimirum hæc eadem illum latere nullo modo putabant, & confeſſa dignis, ut imperabat, pœnitentię fructibus abſtergerent. Solebat autẽ ea maximè loca peragrare, illis prædicare in uiculis, qui in arduis aſperisq; montibus procul poſiti alijs horrori erant ad uiſendum, & paupertate pariter ac ruſticitate ſua doctorum prohibebant acceſſum: quos tamen ille pio libenter mancipatus labori, tanta doctrinæ excolebat induſtria, ut de monaſterio egrediens, ſępè hebdomada integra, aliquã do duabus uel tribus, nonnunquam etiam menſe pleno domum non rediret, ſed demoratus in montanis plebem ruſticã uerbo prædicationis ſimul & exemplo uirtutis ad cœleſtia uocaret.

*Quomodo animalia maris, in quo pernox orauerat, illi egreſſo præbuerint obſequium: & frater qui hæc uidebat, præ timore langueſcens, eius ſit oratione recreatus.* Caput X.

CVm uerò ſanctus uir in eodem monaſterio uirtutibus ſignisq; succreſceret, famaq; operum eius circunquaq; crebreſceret, erat ſanctimonialis fœmina & mater ancillarum Chriſti nomine Ebbe, regẽs monaſterium, quod eſt in loco quem Coludi urbem nuncupant, religione pariter, & nobilitate cunctis honorabilis: namq; erat ſoror uterina regis Oſuuini. Hęc ad uirum Dei mittens, rogauit ut ſe ſuumq; monaſterium gratia exhortationis inuiſere dignaretur: nec negare potuit, quod ab eo caritas ex ancillæ Dei corde popoſcit. Venit igitur ad locum, dieſq; aliquot ibi permanẽs, uiam iuſtitiæ quam precabatur omnibus, actu pariter & ſermone pandebat: qui cum more ſibi ſolito quieſcentibus noctu cæteris ad orationem ſolus exiret, & poſt longas intempeſtæ noctis, uigilias tandem inſtante hora communis ſynaxeos domum rediret: quadam nocte unus è fratribus eiuſdem monaſterij cum egredientem illum ſilentio cerneret, clanculo ſecutus eius ueſtigia, quò ire, quid'ue agere uellet, dinoſcere quærebat. At ille egreſſus monaſterio, ſequente exploratore deſcendit ad mare, cuius ripæ monaſterium idem ſuperpoſitum erat: ingreſſusq; altitudinem maris, donec ad collum uſq; & brachia unda tumẽs aſſurgeret, peruigiles undiſonis in laudibus tenebras noctis exegit: appropinquante autem diluculo, aſcendẽs in terram, denuò cœpit in litore flexis genib. orare. Quod dum ageret, uenere continuo duo de profundo maris quadrupedia, quę uulgò lutrę uocantur. Hæc ante illum ſtrata in arena, anhelitu ſuo pedes eius fouere cœperunt, ac uillo ſatagebant extergere: completoq; miniſterio, percepta ab eo benedictione, patrias ſunt relapſa ſub undas. Ipſe quoq; mox domum reuerſus, canonicos cum fratribus hymnos hora competente compleuit. At frater qui eum de ſpeculis præſtolabatur, perculſus pauore ingenti uix præ anguſtia premente, domũ nutante greſſu peruenit: primoq; mane accedens ad eum, ſeſe in terram ſtrauit, ueniam de reatu ſtulti auſus cũ lachrymis flagitauit, nil dubitans illum noſſe, quid ipſe noctu egerit, quid'ue pateretur. Cui ille, Quid, inquit, habes frater? Quid feciſti? Nũ noſtrum iter nocturnum luſtrando explorare tentaſti? Sed ea ſolum conditione tibi hoc indulgeo commiſſum, ſi promiſeris te, quæ uidiſti, nulli ante meum obitum eſſe dicturum: in quo nimirum præcepto eius ſecutus eſt exemplum, qui diſcipulis in monte gloriam ſuę maieſtatis oſtendẽs, ait, Nemini dixeritis uiſionem, donec filius hominis à mortuis reſurgat. Promittentem ergo quæ iuſſerat, fratrem benedixit, pariterq; culpam & moleſtiam, quam temerarius incurrerat, abſterſit: qui uirtutem quam uiderat, ipſo uiuente ſilentio tegens, poſt obitum eius plurimis indicare curabat.

*Quomodo nautis tempeſtate preclusis ſerenum mare ad certum prædixerit, & orando cibos impetrauerit.* Caput XI.

Cœpit interea uir Dei etiam prophetiæ ſpiritu pollere, uentura prædicere, præſentibus abſentia nunciare. Quodam etenim tempore pergẽs de ſuo monaſterio pro neceſsitate cauſæ accidentis, ad terram Pictorum, qui Niduari uocantur, nauigando peruenit, comitantibus eum duobus è fratribus, quorum unus poſtea presbyterij functus officio, uirtutem miraculi, quam ibidem uir Domini monſtrauit, multorum notitiæ patefecit. Venerunt autem illò poſt natalis Dominici diem, ſperantes ſe, quia undarum ſimul & aurarum arridebat temperies, citius eſſe redituros, ideoq; nec cibaria ſe-





cum tulere, tanquam ocyus reuerſuri: ſed longe aliter quàm putabant, euenit. Nam mox ut terram tetigere, tempeſtas fera ſuborta eſt, quę iter eis omne remeandi pręcluderet: cumq; per dies aliquot ibidem inter famis & frigoris pericula laterent, quo tamen tempore uir Dei non marcida luxu ocia gerere, nec ſomnis uacare uolebat inertibus, ſed pernox in oratione perſtare ſatagebat, aderat ſacratiſsima Dominicæ apparitionis dies. Tum ille ſocios blando, ut iucundus atq; affabilis erat, ſermone alloquitur, Quid rogo tanta ignauia torpemus, & nõ quacunque iter ſalutis inquirimus? En tellus niuibus, nebulis cœlũ horreſcit, aẽr flatibus, aduerſis furit fluctibus æquor, ipſi inopia deficimus, nec adeſt homo qui reficiat: pulſemus ergo Dominum precibus, qui ſuo quondam populo maris rubri uiam aperuit, eumq; in deſerto mirabiliter pauit, orantes ut noſtri quoque miſereatur in periculis: credo ſi nõ noſtra fides titubat, nõ uult nos hodierna die ieiunos permanere, quã ipſe per tot ac tanta ſuæ miracula maieſtatis illuſtrare curauit: precorq; eamus alicubi, quærentes quid nobis epularum in gaudium ſuæ feſtiuitatis præſtare dignetur. Hæc dicens, eduxit eos ſub ripam, quo ipſe noctu peruigil orare conſueuerat. Vbi aduenientes inuenerunt tria fruſta delphininæ carnis, quaſi humano miniſterio ſecta & prępárata ad cocturam, flexisq; genibus gratias egerunt Domino. Dixit autẽ Cuthbertus, Videtis dilectiſsimi, quæ ſit gratia confidendi & ſperandi in Domino: ecce & cibaria famulis ſuis præparauit, & ternario quoque numero quot diebus hic reſidendum ſit, nobis oſtendit. Sumite ergo munera, quæ miſit nobis Chriſtus, & abeuntes reficiamus nos, maneamusq; intrepidi, certiſsima enim nobis poſt triduum ſerenitas cœli & maris adueniet. Factum eſt ut dixerat, manente triduo tempeſtate perualida: quarto demum die tranquillitas promiſſa ſecuta eſt, quæ illos ſecundis flatibus in patriam referret.

*Quomodo iter faciens aquila miniſtra uiaticum & percepturum ſe eſſe prædixerit, & perceperit.* Caput XII.

QVadam quoq; die, cum prædicaturus iuxta conſuetudinem ſuam populis, de monaſterio exiret uno comite puero, iamq; diu gradiendo fatigatis non parum adhuc reſtaret itineris, quo uſq; ad uicum, quò tendebant, peruenirent: ait ad puerum tentans eum, Dic age ſodalis, ubi hodie refici diſponas, an habeas aliquem in uia, ad quem diuertere ualeas hoſpitem? At ille reſpondẽs, Et hęc ipſa, inquit, mecum tacito in corde tractaui: quia nec uiaticũ ituri tulimus nobiſcum, neq; aliquem in itinere notum habemus, qui nos ſuo recipere uelit hoſpitio, & non parum adhuc itineris ſupereſt, quod ieiuni ſine moleſtia cõplere nequimus. Cui uir Domini, Diſce, inquit, filiole fidem ſemper & ſpem habere in Domino; quia nunquã fame perit, qui Deo fideliter ſeruit. Et ſurſum aſpectans, uidensq; aquilam in alto uolantem, Cernis, inquit, aquilam illam porrò uolantem? etiam per huius miniſterium poſsibile eſt Domino nos hodie reficere. Talia confabulantes, agebant iter iuxta fluuium quendam, & ecce ſubitò uident aquilam in ripa reſidentẽ: dixitq; uir Dei, Vides ubi noſtra quam prædixi, miniſtra reſidet? Curre rogo, & quid nobis epularũ Domino mittente attulerit inſpice, & citius affer. Qui accurrens attulit piſcem non modicũ, quem illa nuper de fluuio prehenderat. At uir Dei, Quid, inquit, feciſti fili? quare miniſtræ ſuã partem non dediſti? Seca citius medium, & illi partem, quam nobis miniſtrando meretur, remitte. Fecit ut iuſſerat, ſumptaq; ſecũ parte reliqua, ubi tempus reficiendi aderat, diuerterunt ad proximum uicum: & dato ad aſſandum piſciculo, ſe pariter & eos ad quos intrabant, gratiſſimo refecere conuiuio, prædicante Cuthberto uerbũ Dei, atq; eius beneficia collaudante: & quia beatus uir, cuius eſt nomen Domini ſpes eius, & non reſpexit in uanitates & in inſanias falſas. Ac ſic reſumpto itinere, ad docendũ eos quos propoſuere, profecti ſunt.

*Quomodo prædicans populis fantaſticum ſubitò ignem diaboli, & præuiderit uenturum, & uenientem extinxerit.* Cap. XIII.

EOdem tempore dum congregatis in quadã uillula perplurimis uerbũ uitæ prædicaret, præuidit ſubitò in ſpiritu antiquum hoſtem ad retardandũ opus ſalutis adeſſe: moxq; eius inſidias quas futuras intellexit, docendo præoccupare curauit. Namq; inter ea quę diſputauerat, repente huiuſmodi monita inſeruit, Oportet chariſsimi, ut quotiẽs uobis myſteria regni cœleſtis prædicantur, intento hæc corde & ſenſu ſemper uigilantiſsimo audiatis, ne fortè diabolus, qui mille nocendi habet artes, ſuperuacuis uos curis ab æternæ ſalutis auditione præpediat. Et hæc dicens, denuò ſermonis, quẽ intermiſerat, ordinem repetijt: ſtatimq; hoſtis ille nequiſsimus fantaſticum deferens ignem, domũ iuxta poſitam incendit, ita ut uiderentur faces igniũ totam uolitare per uillam, ac iuuãte uento fragor aẽra cõcutere. Tum exiliens quaſi ad extinguendum ignem turba penè tota, quãdo cebat (nam paucos ipſe manu miſſa retinuit) certatim aquas iactabat: nec tamen unda uera falſas potuit reſtinguere flammas, donec orante uiro Dei Cuthberto, fugatus author fallaciarum ficta ſecum incendia uacuas reportaret in auras. Quod uidens turba multum ſalubriter erubuit, rurſusq; ad uirum Dei ingreſſa, flexis genibus inſtabilis animi ueniam precabatur, confitens ſe intellexiſſe, quia diabolus ab impedienda ſalute humana, ne ad horam uacaret. At ipſe confirmans inconſtantiam fragilium, rurſus quę ceperat uitæ monita, exequitur.

*Quomodo flammas domus cuiuſdam uero igne ardentis orando reſtinxerit.* Cap. XIIII.

NEc tantum ignem fantaſticum, ſed etiam uerum, quem multi frigidis fontium undis minimè ualebant extinguere, ipſe ſolis feruentibus lachrymarum riuulis compreſsit: ſiquidem dum more apoſtolorum gratia ſalutiferæ inſtructionis uniuerſa pertranſiret, deuenit die quadam in domum cuiuſdam deuotæ Deo fœminæ, quam crebrius inuiſere curabat, quia & bonis operibus intentam nouerat, & ipſa eum primis pueritiæ nutriebat ab annis, unde & mater ab eo cognominari ſolebat. Habebat autem domum in occidentali parte uiculi: quam cum uir Domini Cuthbertus uerbum ſeminaturus intraret, repentè in orientali plaga eiuſdem uici per culpam incuriæ domus incenſa, uehementer cœpit ardere. Nam & uentus ab eodem climate aſſurgens non modicus, abripiebat ignitos fœni tecti faſciculos, & totam latè iactabat per uillam: iactantes aquam qui aderant, fortior flamma repulit, longiusq; fugauit. Tum præfata Dei famula cucurrit concita ad domum, in qua uirum Dei receperat, obſecrãs ut orando ſuccurreret, priuſquam domus ipſius & tota ſimul uilla periret. At ille, Ne timeas, inquit, mater, animæquior eſto. nõ enim tibi tuis'ue hæc quamlibet ferox flamma nocebit: ſtatimq; egreſſus, ante oſtium ſternitur in terram. Quo adhuc orante, mutatur flatus uentorum, ſpiransq; ab occaſu totum tanti incendij periculum ab inuaſione uillulæ, quam uir Domini intrauerat, reiecit. Sicq; in duobus miraculis, duorum patrum eſt uirtutes imitatus, in fantaſticis quidem præuiſis & euacuatis incendijs uirtutem reuerendiſsimi & ſanctiſsimi patris Benedicti, qui ſimulatum ab antiquo hoſte quaſi ardentis coquinæ incendium ab oculis diſcipulorum orando pepulit: in ueris uerò æquè uictis ac retortis ignium globis uirtutem uiri uenerabilis Marcellini Anchonitani antiſtitis, qui ardente eadem ciuitate ipſe contra ignem poſitus, orando flammas compeſcuit, quas tanta ciuium manus aquam proijciendo nequiuerat. Nec mirandum perfectos & fideliter Deo ſeruientes uiros tantam contra uim flammarum accipere poteſtatem, qui quotidiana uirtutum induſtria, & incentiua ſuæ carnis edomare, & omnia tela nequiſsimi ignea norunt extinguere. Quibus aptiſsimè congruit illud propheticum, Cum tranſieris per ignem, non combureris, & flamma non ardebit in te. At ego & mei ſimiles propriæ fragilitatis & inertiæ conſcij, certi quidem ſumus, quia contra ignem materialem nil tale audemus: incerti autem, an ignem illum inextinguibilem futuræ caſtigationis immunes euadere queamus. Sed potens eſt & larga pietas Saluatoris noſtri, quæ indignis nobis & nũc ad extinguenda uitiorum incendia, & ad euadendas in futuro pœnarum flammas gratiam ſuæ protectionis impendat.

*Qualiter dæmonium ab uxore præfecti, necdum adueniens eiecerit.* Cap. XV.

VErùm quia paulò ſuperius, quantum idem uenerabilis Cuthbertus aduerſum ſimulatitias diaboli fraudes ualuerit expoſuimus: nũc etiam quid aduerſus uerum apertumq; eius furorem ualeat, explicemus. Erat præfectus Egfridi regis Hildmer nomine, uir religioſis cum omni domo ſua deditus operibus: ideoq; à beato Cuthberto ſpecialiter dilectus, & cum itineris propinquitas congrueret, crebrò ab eo uiſitatus. Cuius uxor cum eleemoſynis & cæteris uirtutum fructibus eſſet intenta, ſubitò correpta à dæmone acerrimè cepit uexari, ita ut ſtridendo dentibus uoces miſerabiles emittendo, brachia uel cætera ſui corporis membra in diuerſa raptando, non minimum cunctis intuentibus uel audiẽtibus incuteret horrorẽ. Cumq; iaceret exploſa, & iam iamq; uideretur eſſe moritura, aſcendit uir eius equum, & concitus uenit ad hominem Dei, precatusq; eſt eum dicẽs, Obſecro: quia uxor mea malè habet, & uidetur iam proxima morti, ut mittas presbyterũ, qui illam priuſquam moriatur, uiſitet, eiq; Dominici corporis & ſanguinis ſacramenta miniſtret: ſed & corpus illius hic in locis ſanctis ſepeliri permittat. Erubeſcebat enim eam confiteri inſanam, quã uir Domini ſobriam ſemper uidere conſueuerat: qui cum parumper ab eo diuerteret uiſurus, quẽ mitteret presbyterum cum illo, cognouit repentè in ſpiritu, quia non communi infirmitate, ſed dæmonis infeſtatione premeretur cõiunx, pro qua ſupplicabat. Reuerſusq; ad eum, Non, inquit, aliũ mittere, ſed ipſe ad uiſitandam eam tecũ pergere debeo. Cumq; agerent iter, cœpit flere homo, & dolorem cordis profluentibus in maxillam prodere lachrymis. Timebat enim, ne cum eam dæmonioſam inueniret, arbitrari inciperet, quia non integra Domino, ſed ficta fide ſeruiſſet: quem uir Domini blandè cõſolatus, Noli, inquit, plorare, quaſi inuenturus ſim coniugem tuam, qualem nõ uelim. Scio enim ipſe, quamuis te dicere pudeat, quia dæmonio uexatur: ſcio etiã, quia priuſquã illò peruenerimus, fugato dæmonio liberabitur, ac nobis aduenientibus cum gaudio occurrẽs, has ipſa habenas ſaniſsima mente excipiet, noſq; intrare citius obſecrans, miniſteriũ quod conſueuerat, nobis ſedula impendet. Neque enim tali tormento ſoli ſubijciuntur mali, ſed occulto Dei iudicio aliquotiens etiam innocentes in hoc ſeculo non tantum corpore, ſed & mente captiuantur à diabolo: dumq; hæc & huiuſmodi uerba in conſolationem & eruditionem illius perorante Cuthberto appropinquarent domui, fugit repentè ſpiritus nequam aduentum ſpiritus ſancti, quo plenus erat uir Dei ferre non ualens. Cuius ſoluta uinculis mulier quaſi graui expergefacta de ſomno ſurrexit cõtinuò, ac uiro Dei gratulabunda occurrens, iumentum quo ſedebat, per frenũ tenuit. Moxq; ad integrum recepto uigore mentis & corporis,



eum citò deſcendere, atq; ad benedicẽdam domũ ſuam precabatur ingredi, deuotumq; illi miniſteriũ præbens, teſtabatur palàm, quomodo ad primũ freni eius tactum omni ſe moleſtia priſcæ uexationis abſolutam ſenſiſſet.

*Qualiter in Lindisfarnenſi monaſterio uixerit uel docuerit.* Caput XVI.

CVm ergo uenerabilis domini famulus multos in Mailroſẽſi monaſterio degẽs annos, multis uirtutum ſpiritualiũ clareſceret ſignis, tranſtulit eum reuerẽdiſsimus abbas ipſius Eata, in monaſterium quod in Lindisfarnenſiũ inſula ſitũ eſt, ut ibi quoq; regulã monachicæ perfectionis & præpoſiti authoritate doceret, & exemplo uirtutis oſtenderet. Nam & ipſum locum tunc idem reuerendiſsimus pater abbatis iure regebat: neq; aliquis miretur, quod in eadẽ inſula Lindisfarnea cũ permodica ſit, & ſupra epiſcopi, & nunc abbatis & monachorum eſſe locum dixerimus, reuera enim ita eſt. Nanq; una eademq; ſeruorum Dei habitatio utroſq; ſimul tenet, imò omnes monachos tenet. Aidanus quippe, qui primus eiuſdem loci epiſcopus fuit, monachus erat, & monachicam cum ſuis omnibus uitam ſemper agere ſolebat: unde ab illo omnes loci ipſius antiſtites uſq; hodie ſic epiſcopale exercẽt officium, ut regente monaſterium abbate, quẽ ipſi cum conſilio fratrũ elegerint, omnes presbyteri, diaconi, cantores, lectores, cæteriq; gradus eccleſiaſtici monachicam per omnia cum ipſo epiſcopo regulam ſeruent. Quam uiuendi normam multum ſe diligere probauit beatus papa Gregorius, cum ſciſcitanti per literas Auguſtino, quem primũ genti Anglorum epiſcopum miſerat, qualiter epiſcopi cum ſuis clericis conuerſari debeant: reſpondit inter alia: Sed quia tua fraternitas monaſterij regulis erudita ſeorſum fieri non debet à clericis ſuis in eccleſia Anglorum, quæ Deo authore nuper adhuc ad fidem perducta eſt, hanc debet conuerſationem inſtituere, quę in initio naſcentis eccleſiæ fuit patribus noſtris, in quibus nullus eorum ex his quæ poſsidebant, aliquid ſuum eſſe dicebat: ſed erant illis omnia cõmunia. Igitur ad Lindisfarnenſem eccleſiã ſiue monaſterium uir Domini adueniens, mox inſtituta monachica fratribus uiuendo pariter & docendo tradebat: ſed & circumquaq; morantem uulgi multitudinem, more ſuo crebra uiſitatione ad cœleſtia quærenda ac promerenda ſuccendebat. Necnon etiam ſignis clarior effectus, plurimos uarijs languoribus & tormentis comprehenſos orationũ inſtantia priſcę ſanitati reſtituit: nõnullos ab immundorum ſpirituũ uexatione non ſolùm præſens orando, uel certè eorum ſanationẽ prædicendo curauit, in quibus erat & illa præfecti uxor, de qua ſuprà retulimus. Erant autem quidam in monaſterio fratres, qui priſcæ ſuæ conſuetudini, quàm regulari mallent, obtẽperare cuſtodiæ: quos tamẽ ille modeſta patiẽtiæ ſuæ uirtute ſuperabat, & quotidiano exercitio paulatim ad melioris propoſiti ſtatũ cõuertebat. Deniq; ſæpius in cœtu fratrum de regula diſputans, cum acerrimis cõtradicentiũ fatigaretur iniurijs, exurgebat repentè, & placido uultu atq; animo egrediens dimittebat cõuentum: ac ſequente nihilominus die, quaſi nil obiectionis pridie ſuſtinuiſſet, eadem quæ prius monita eiſdẽ dabat auditoribus, donec illos paulatim, ut diximus, ad ea quę uellet, cõuerteret. Erat nanq; uir patientiæ uirtute pręcipuus, atq; ad perferenda fortiter omnia quæ uel animo uel corpori aduerſa ingerebantur, inuictiſsimus: nec minus inter triſtia, quæ cõtigiſſent, faciem prætendens hilarem, ita ut palàm daretur intelligi, quia interna ſpiritus ſancti conſolatione preſſuras cõtemneret extrinſecas. Sed & uigiliarũ atq; orationis ita ſtudioſus exiſtebat, ut aliquotiens tres ſiue quatuor noctes cõtinuas peruigil trãſegiſſe credebatur, cũ per tantũ temporis nec ad lectũ proprium, nec extra dormitoriũ fratrum locum aliquẽ, in quo pauſare poſſet, haberet. Siue enim locis ſecretioribus ſolus orationi uacabat, ſiue inter pſallendum operabatur manibus, torporemq; dormiendi laborando propellebat, ſeu certè circuibat inſulam, quomodo ſe ſingula quæq; haberent pius explorator inquirens, pariter & longitudinẽ ſibi pſalmodię ac uigiliarũ incedendo alleuians. Deniq; arguere ſolebat puſillanimitatem fratrũ, qui grauiter ferrẽt, ſi qui ſe nocturnæ uel meridianæ quietis tempore importuna fortè inquietudine ſuſcitarent, Nemo, inquiẽs, mihi moleſtiam facit me excitando de ſomno, ſed potius lætificat me qui excitat. Facit enim me, diſcuſſo torpore ſomni utilitatis aliquid agere uel cogitare. Tantum autem cõpunctioni erat deditus, tantum cœleſtibus ardebat deſiderijs, ut miſſarum ſolennia celebrans nequaquã ſine profuſione lachrymarũ implere poſſet officium. Sed congruo ſatis ordine dum paſsionis Dominicæ myſteria celebraret, imitaretur ipſe quod ageret, ſe ipſum uidelicet Deo in cordis contritione mactando, ſed & aſtantes populos ſurſum corda habere, & gratias agere domino Deo noſtro, magis ipſe cor quàm uocẽ exaltando, potius gemendo quàm canendo admoneret. Erat zelo iuſtitię feruidus ad arguendũ peccantes, erat ſpiritu manſuetudinis modeſtus ad ignoſcendũ pœnitentibus, ut nonnunquã confitentibus ſibi peccata ſua his qui deliquerant, prior ipſe miſerans infirmos lachrymas funderet, & quid peccatori agendum eſſet, ipſe iuſtus ſuo præmonſtraret exẽplo. Veſtimentis utebatur cõmunibus: ita tẽperanter agens, ut horum neq; munditijs neq; ſordibus eſſet notabilis: unde uſq; hodie in eodem monaſterio exẽplo eius obſeruatur, ne quis uarij aut precioſi coloris habeat indumentũ: ſed ea maximè ueſtiũ ſpecie ſint contenti, quã naturalis ouiũ lana miniſtrat. His & huiuſmodi ſpiritualib. exercitijs uir uenerabilis, & bonorũ quorũq; ad ſe imitandũ prouocabat affectũ, & improbos quoſq; ac rebelles uitæ regulari à pertinacia ſui reuocabat erroris.

*Qualiter ſibi in inſula Farne pulſis dæmonibus habitationem fecerit.* Cap. XVII.

At poſtquã in eodem monaſterio multa annorum curricula expleuit, tandem diu concupita, quæſita ac petita ſolitudinis ſecreta, comitãte præſati abbatis ſui ſimul & fratrum gratia multum lætabundus adijt. Gaudebat nanq; quia de longa perfectione conuerſationis actiuæ, ad ocium diuinæ ſpeculationis iam mereretur aſcendere. Lętabatur ad eorum ſortẽ ſe pertingere, de quibus canitur in Pſalmo, Ambulabunt de uirtute in uirtutẽ, uidebitur Deus deorum in Syon. Et quidem in primis uitæ ſolitarię rudimentis ſeceſsit ad locum quendam, qui in exterioribus eius cellę partibus ſecretior apparet. At cum ibidẽ aliquandiu ſolitarius cum hoſte inuiſibili orando ac ieiunando certaret, tandem maiora pręſumens, longinquiorẽ ac remotiorẽ ab hominibus locũ certaminis petijt. Farne dicitur inſula medio in mari poſita, quæ non ſicut Lindisfarnenſium incolarũ regio, bis quotidie accedente æſtu Oceani, quẽ reuma uocãt Græci, fit inſula, bis renudatis abeunte reumate litoribus contigua terrę redditur: ſed aliquot milibus paſſuũ ab hac ſemiinſula ad Eurũ ſecreta, & hinc altiſsimo, & inde infinito clauditur Oceano. Nullus hãc facilè ante famulũ Domini Cuthbertum ſolus ualebat inhabitare colonus, propter uidelicet demorantiũ ibi phantaſias dæmonũ: uerũ intrante eam milite Chriſti armato galea ſalutis, ſcuto fidei, & gladio ſpiritus, quod eſt uerbũ Dei, omnia tela nequiſsimi ignea extincta, & ipſe nequiſsimus cũ omni ſatellitũ ſuorũ turba porrò fugatus eſt hoſtis: qui uidelicet miles Chriſti, ut deuicta tyrannorum acie, monarcha terræ quã adierat, factus eſt: cõdidit ciuitatẽ ſuo aptã imperio, & domos in hac æquè ciuitati cõgruas erexit. Eſt aũt ædificium ſitu penè rotundũ, à muro uſq; ad murũ mẽſura quatuor fermè ſiue quinq; perticarũ diſtentũ, murus ipſe deforis altior lõgitudine ſtantis hominis. Nã intrinſecus uiuã cedendo rupẽ multo illũ fecit altiorẽ, quatenus ad cohibendã oculorũ ſiue cogitationũ laſciuiam, ad erigendã in ſuperna deſideria totã mentis intentionẽ, pius incola nil de ſua mãſione pręter cœlũ poſſet intueri: quẽ uidelicet murũ nõ de ſecto lapide uel latere & cæmẽto, ſed impolitis prorſus lapidibus & ceſpite, quẽ de medio loci fodiendo tulerat, cõpoſuit. E quibus quidã tantæ erãt granditatis, ut uix à quatuor uiris uiderentur potuiſſe leuari: quos tamẽ ipſe angelico adiutus auxilio illuc attuliſſe aliũde, & muro impoſuiſſe repertus eſt. Duas in manſione habebat domos, oratoriũ ſcilicet & aliud ad cõmunes uſus aptũ habitaculũ: quorũ parietes quidẽ de naturali terra multũ intus foriſq; circũfodiendo ſiue cedendo confecit, culmina uerò de lignis informibus & fœno ſuperpoſuit. Porrò ad portam inſulæ maior erat domus, in qua uiſitãtes eum fratres ſuſcipi & quieſcere poſſent, nec lõgè ab ea fons eorundem uſibus accommodus.

*Quomodo precibus aquã de arida produxerit, uel qualiter ipſe in anachoreſi uixerit.* Cap. XVIII.

At uerò ipſa eius manſio aquæ erat indiga, utpote in duriſsima & propè ſaxea rupe cõdita: accitis ergo uir Domini fratribus, necdum enim ſe ab adueniẽtium ſecluſerat aſpectibus, Cernitis, inquit, quia fontis inops ſit manſio, quam adij: ſed rogemus obſecro illum qui conuertit ſolidam petram in ſtagnũ aquæ, & rupes in fontes aquarum, ut nõ nobis, ſed nomini ſuo dans gloriã, de hac quoq; rupe ſaxoſa nobis uenam fontis aperire dignetur: fodiamus in medio tuguriunculi mei, credo torrente uoluptatis ſuæ potabit nos. Fecerunt ergo foueam, quã in craſtinũ emanante ab internis unda repletã inuenerunt: unde dubium non erat, hanc orationibus uiri Dei de aridiſsima prius terra elicitã fuiſſe aquam, quæ uidelicet aqua mirum in modum primis contenta ripis, nec foras ebulliendo pauimẽtum inuadere, nec hauriendo nouit deficere, ita moderata gratia largitoris, ut nec neceſsitati accipientis ſuperflueret, nec ſuſtentandæ neceſsitati copia deeſſet. Facta ergo iuuantibus ſe fratribus manſione ac domibus pręfatis, incipit habitare ſolus uir Domini Cuthbertus, & primò quidem uenientibus ad ſe fratribus de ſua cella egredi, eiſq; miniſtrare ſolebat: quorum dum pedes aqua calida deuotus lauaret, coactus eſt aliquotiens ab eis etiam ſe diſcalciare, ſuoſq; pedes illis ad abluendum præbere. Namq; in tantum à cultu ſui corporis animum ſuſtulerat, atq; ad animæ ſolius cultũ contulerat, ut ſemel calciatus tibracis, quas pelliceas habere ſolebat, ſic menſes perduraret integros. Aliquando etiam calciatus in paſcha, non niſi poſt annum redeunte paſchę tempore propter lauationem pedum, quæ in cœna Domini fieri ſolet, ſe diſcalciaſſe dicatur: unde ob crebras preces incuruationeſq; genuum, quas calciatus exercebat, callum oblongum, nec exilẽ in confinio pedum & tibiarum habuiſſe deprehenſus eſt. Deinde increſcente ſtudio perfectionis includitur in ſuo monaſterio, atq; ab hominum remotus aſpectibus, ſolitariam in ieiunijs, orationibus & uigilijs diſcit agere uitam, rarũ cum aduenientibus deintus habens colloquiũ, & hoc per feneſtram: qua primitus aperta & uideri à fratribus, & fratres quos alloquebatur, ipſe uidere gaudebat: exinde procedente tẽpore & ipſam occluſit, nec niſi dandæ benedictionis uel alterius cuiuslibet certę neceſsitatis gratia reſerabat.

*Qualiter à meſſe quam ſua manu ſeruerat, uerbo uolucres abegerit.* Caput XIX.

Et primum quidem permodicum ab eis panem, quo ueſceretur accipiebat, ac ſuo bibebat è fonte: poſtmodum uerò proprio manuum labore iuxta exempla patrum uiuere magis aptum ducebat. Rogauit ergo afferri ſibi inſtrumenta, quibus terram exerceret, & triticum quod ſereret. Sed ſeminata uerno tempore terra, nullos uſq; ad medium æſtatis reddidit fructus: unde uiſitantibus ſe iuxta morem fratribus aiebat uir Dei, Forſitan aut telluris huiuſce natura, aut uoluntas Dei nõ eſt, ut hoc in loco mihi triticum naſcatur: afferte rogo hordeum, ſi fortè uel illud fructum facere poſsit. Quod ſi nec illi Deus incrementum dare uoluerit, ſatius eſt me ad cœnobium reuerti, quàm alieno hic labore ſuſtẽtari: allatumq; hordeum, dum ultra omne tempus ſerendi, ultra omnem ſpem fructificandi terræ cõmendaret, mox abundanter exortum fecit fructum copioſum: qui dum matureſcere cœpiſſet, uenere uolucres, & huic depaſcendo certatim inſiſtebãt. Ad quos pijſsimus Chriſti ſeruus appropians, ſicut pòſt ipſe referebat: ſolebat enim ſæpe, quia læti uultus & affabilis erat, ad confirmandam fidem audientium, aliqua etiam de eis quæ ipſe credendo obtinuerit, in medium proferre: Quid tãngitis, inquit, ſata, quæ non ſeruiſtis? An fortè uos plus me his opus habetis? Si tamen à Deo licentiam accepiſtis, facite quod ipſe permiſit: ſin autem, recedite, neque ulterius aliena lædatis. Dixerat, & ad primam iubentis uocem, uniuerſa uolucrum multitudo receſsit, ſeq; per omnia deinceps ab eiuſdem meſsis inuaſione continuit. Et hic quoq; uenerabilis Chriſti famulus in duobus miraculis duorum patrum eſt facta ſecutus: in aqua uidelicet elicita de rupe factum beati patris Benedicti, qui idem penè & eodem modo legitur feciſſe miraculum: ſed idcirco uberius, quia plures erant, qui aquæ inopia laborarent. Porrò in arceſsitis à meſſe uolatilibus, reuerendiſsimi & ſanctiſsimi patris Antonij ſequebatur exemplum, qui à læſione hortuli quem ipſe plantauerat, uno onagros ſermone compeſcuit.



*Quomodo corui iniuriam quam uiro Dei intulerant, precibus & munere purgauerint.* Cap. XX.

Libet etiam quoddã beati Cuthberti, in exẽplum præfati patris benedicti factum narrate miraculum, in quo auium obedientia & humilitate palàm contumacia & ſuperbia condẽnatur humana. Erant ſiquidem corui multo èx tempore eiuſdem inſulæ ſedibus aſſueti: quos cùm die quadam uir Dei nidificantes hoſpitiolum fratrum, de quo præfatus ſum, roſtro lacerare, ablatoſq; culmos quibus tectũ fuerat ad fabricã nidi ore ferre conſpiceret, coërcuit eos leui protenſione dexteræ, atq; à læſura fratrum iam ceſſare præcepit: ſed illis imperiũ ſpernentibus, In nomine, inquit, Ieſu Chriſti abite quãtocius, neq; in loco quem læditis, ultra manere præſumatis. Vix uerba cõpleuerat, & cõfeſtim triſtes abiere: peracto autẽ triduo, unus è duobus redijt, & fodientẽ reperiẽs famulũ Chriſti, ſparſis lamentabiliter pennis, & ſummiſſo ad pedes eius capite, atq; humiliata uoce quibus ualebat indicijs, ueniam precabatur. Quod intelligens uenerabilis pater, dedit facultatẽ remeandi: at ille impetrata redeundi licẽtia, mox ſodalẽ adducturus abijt. Nec mora, redeunt ambo, & ſecũ digna munera ferunt, dimidiã uidelicet axungiã porcinam: quã uir Domini aduentãtibus poſtea fratribus ſæpius oſtendere, atq; ad ungendas caligas pręberè ſolebat, conteſtãs eis quanta hominibus obedientię, quanta ſit cura humilitatis habenda, cum auis ſuperbiſsima iniuriam, quam uiro Dei intulerat precibus, lamentis & muneribus feſtinauit abluere. Deniq; ad dandum hominibus exemplũ correctionis, multos deinceps annos in ipſa inſula manebãt & nidificabant, neq; aliquid moleſtiæ cuiquam irrogare audebãt. Nulli autem uideatur abſurdum à uolatilibus formam diſcere uirtutis, cum Salomon dicat, Vade ad formicam ò piger, & conſidera uias eius, & diſce ſapientiam.

*Qualiter eius neceſsitatibus etiam mare ſeruierit.* Caput XXI.

Non ſola autẽ aẽris, ſed & maris animalia, imò & ipſum mare ſicut & aẽr & ignis, iuxta quod in ſuperioribus expoſuimus, uiro uenerabili prębuere obſequium. Qui enim authori omnium creaturarũ fideliter & integro corde famulatur, non eſt mirandũ, ſi eius imperijs ac uotis omnis creatura deſeruiat. At nos plerunq; iccirco ſubiectæ nobis creaturæ dominiũ perdimus, quia Domino & creatori omniũ ipſi ſeruire negligimus. Et ipſum, inquã, mare prõptum famulo Chriſti, ubi opus habuit, impendebat officium. Diſponebat nanq; paruulam ſibi in ſuo monaſterio, ſed cotidianis neceſsitatibus aptam condere caſulam, cui à parte maris, qua alluuione frequentium gurgitum excauata rupis altiſsimum, nec breuem fecerat hiatũ, baſis ſupponenda erat, & hæc iuxta latitudinẽ hiatus duodecim pedes longa. Rogauit ergo fratres, qui ſe uiſitaturi aduenerant, ut cum redire uellẽt, lignum ſibi longitudinis duodecim pedum ad faciendam domunculæ baſim deferrent: qui promiſerunt ſe libentiſsimè facturos, quod petijt: ſed accepta ab eo benedictione, ubi domũ ſunt reuerſi, fugit mentem petitio patris, reuerſiq; die debito ad eum, non attulere quod rogabantur: quibus ille benigniſsimè receptis, & oratione ſolita Deo cõmendatis, Vbi eſt, inquit, lignum quod uos afferre rogabam? Tum illi reminiſcẽtes petitionem eius, ſuamq; confitentes obliuionẽ, ueniam de admiſſo precabantur. At uir mitiſsimus blando illos ſermone conſolatus, uſq; ad mane in inſula manere & quieſcere præcepit, dicens, Credo quia Deus non obliuiſcatur meæ uoluntatis & neceſsitatis. Fecerunt ut dixerat, & exurgentes mane uiderũt, quia nocturnus Oceani ęſtus lignum memoratæ longitudinis attulit, & in ipſo inſuper loco depoſuit, ubi in ędificium deſuper erat imponendum. Videntes autem, mox & uiri uenerabilis ſanctitatem mirabantur, cui etiam elementa ſeruirent, & ſuæ mentis tarditatem debito

bito cum pudore culpabant,quos etiam inſenſibile elementum,quàm ſit ſanctis obtemperandum doceret.

*Quomodo multis ad ſe uenientibus,monita dans ſalutis fragiles expoſuerit antiqui hoſtis inſidias.*
*Caput* XXII.

VEniebant autem multi ad uirum Dei, non ſolùm de proximis Lindisfarnenſium finibus, ſed etiam de remotioribus Britanniæ partibus, fama nimirũ uirtutum eius acciti,qui uel ſua quæ commiſiſſent errata,uel dæmonũ, quæ paterentur, tentamenta profitentes, uel certè communia mortalium quibus affligerentur, aduerſa patefaciẽtes, à tantę ſanctitatis uiro ſe cõſolandos ſperabãt. Nec eos fefellit ſpes. Nanqꝫ nullus ab eo ſine gaudio conſolationis abibat, nullum dolor animi,quem illò attulerat,redeũtẽ comitatus eſt. Nouerat quippe mœſtos pia exhortatione refouere, ſciebat anguſtiatis gaudia uitę cœleſtis ad memoriã reuocare,fragilia ſeculi huius & proſpera ſimul & aduerſa monſtrare,didicerat tentatis multifarias antiqui hoſtis pandere uerſutias, quibus facile caperetur animus, qui uel fraterno uel diuino amore nudatus exiſteret:at qui integra fide roboratus incederet, inſidias aduerſarij Domino auxiliante,quaſi caſſes tranſiret araneę. Quotiens,inquit,meipſum de alta rupe per pręceps miſere, quotiens quaſi ad interficiẽdum me lapides iactabãt:ſed & alijs alijſqꝫ fantaſiarum tentamentis me appetentes deterrere, ac de loco huius certaminis conabantur eliminare, nec tamen ullatenus uel corpus meum læſura aliqua uel mentẽ timore cõtaminare ualebant. Hoc quoque fratribus ſolebat crebrius intimare, ne conuerſationem eius quaſi ſingulariter celſam mirarentur,quia contemptis ſecularibus curis ſecretus uiuere mallet:ſed iure,inquit,eſt cœnobitarum uita miranda, qui abbatis per omnia ſubijciuntur imperijs, ad eius arbitrium cuncta uigilandi,orandi, ieiunandi atqꝫ operandi tempora moderantur,quorum plurimos noui paruitatẽ meam longè & munditia mentis,& culmine gratiæ prophetalis anteire: è quibus eſt uenerabilis & cum omni honorificentia nominandus ſeruus Chriſti Boiſilus, qui me in Mailroſenſi monaſterio quondam ſenex adoleſcentem nutriebat, & inter enutriendũ cuncta quæ mihi erant uentura,prophetica ueritate prędixit. & unum tãtummodo reſtat ex omnibus ab eo mihi prædictis, quod utinam nunquam impleatur:hoc autem dicebat,quia prefatus Chriſti famulus epiſcopatus eum gradu ſignificabat eſſe functurum, cuius perceptionẽ ipſe nõ parum deſiderio uitæ ſecretioris horrebat.

*Quomodo Elfled abbatiſſa & puella eius per zonam ipſius ſint ſanatæ.* *Caput* XXIII.

NEqꝫ uerò ſanitatum miracula per hominẽ Dei, tametſi longè ab hominibus poſitum fieri ceſſabant:ſiquidẽ uenerabilis ancilla Chriſti Elfled, quæ inter gaudia uirginitatis nõ paucis famularum Chriſti agminibus maternę pietatis curã adhibebat, ac regalis ſtemmata nobilitatis potiori nobilitate ſummę uirtutis accumulabat, multo uirum Dei ſemper excolebat amore. Hæc eo tempore,ſicut ipſa poſtea reuerẽdiſsimo Lindisfarnenſis eccleſiæ presbytero Herefrido,& ille mihi referebat, graui percuſſa lãguore,ac diu uexata,penè uiſa eſt perueniſſe ad mortem. Cui cum nil curationis poſſent adhibere medici, ſubitò diuina intrinſecus gratia curante paulatim morti ſubtracta eſt,nec tamẽ plenè ſanata. Nam dolor quidem interaneorũ abſceſsit,membrorum uigor redijt,ſed facultas ſtandi uel ambulandi prorſus defuit: quia nec ad ſtãdum erigi,nec niſi quadrupes ualebat ingredi. Cœpit ergo triſtis æternã timere debilitatem:nam & de medicorum auxilio iam pridẽ fuerat facta deſperatio:cui cum die quadam inter anguſtias triſtium cogitationum ueniret in mentem beata & quieta conuerſatio reuerendiſsimi patris Cuthberti, Vtinam, inquit,haberem aliquid de rebus Cuthberti mei,ſcio certè, & credo & confido in Domino,quia citò ſanarer. Et non multo pòſt aduenit,qui ei zonam lineam ab eo miſſam deferret:quæ multum gauiſa de munere,& deſideriũ ſuum uiro ſancto iam cœlitus patefactum intelligens,ſuccinxit ſe illa, & mane mox erecta ad ſtandum, tertia uerò die plenè eſt reddita ſanitati. Poſt dies autem paucos cœpit ægrotare quædam de uirginibus monaſterij ipſius, dolore capitis intolerabili: quæ cum ingraueſcente morbo per dies uideretur eſſe moritura, intrauit ad uiſitãdam eam uenerabilis abbatiſſa:cumqꝫ eam grauiter afflictam cõſpiceret,tulit memoratam uiri Dei zonam,& hac illi caput circumligare curauit:quę eodem mox die abeunte dolore curata eſt, tollenſqꝫ zonam, ſua cõdidit in capſa. Quam cum poſt dies aliquot abbatiſſa requireret, neqꝫ in capſa eadem, neqꝫ uſpiam prorſus potuit inueniri. Quod diuina diſpenſatione factum intelligitur,uidelicet ut & per duo ſanitatis miracula Deo dilecti patris ſanctitas appareret credentibus,& deinceps dubitandi de ſanctitate illius occaſio tolleretur incredulis. Si enim eadẽ zona ſemper adeſſet, ſemper ad hanc concurrere uoluiſſent ægroti:& dũ fortè aliquis ex his non mereretur à ſua infirmitate curari, derogaret impotentiæ nõ ſaluantis, cum ipſe potius eſſet ſalutis indignus. Vnde prouida, ut dictum eſt, diſpenſatione ſupernę pietatis, poſtquam fides credentium confirmata eſt, mox inuidiæ perfidorum materia detrahendi eſt prorſus ablata.

*Quid ſciſcitandi eidem Elſledæ de uita Egfridi regis & epiſcopatu ſuo prædixerit.* *Caput* XXIIII.

ALio item tempore miſit eadem reuerendiſsima uirgo & mater uirginũ Chriſti Elfled, rogauitqꝫ uirum Dei,adiurans in nomine Domini mi ut eum uidere, & de neceſſarijs mereretur

tur



tur alloqui:qui aſcenſa cum fratribus naui, uenit ad inſulam, quæ Coquedi fluminis oſtio prę iacens ab eodem nomen accepit, & ipſa monachorum cœtibus inſignis. Nam præfata abbatiſſa illò eum ſibi occurrere rogauerat:cuius potita colloquijs cum multa ab eo quæ ſciſcitabatur, audiret, ecce repentè in medio ſermone ad uóluta pedibus eius,adiurauit eũ per nomen illud terribile ac uenerabile ſuperni regis & angelorum eius, ut diceret illi quàm longo tempore uicturus eſſet Egfridus frater illius, & regnum gubernaturus Anglorum. Scio enim inquit, quia prophetiæ ſpiritu quo polles, etiam hoc dicere potes,ſi uis. At ille expauẽs ad iuramentum,nec tamen uolens apertè quod petebatur,reuelare ſecretum: Mirum inquit, quare ſapiens fœmina & in ſanctis erudita ſcripturis, longa uocare uelis humanæ tempora uitæ,dicẽte pſalmiſta, Quia anni noſtri ſicut aranea meditabuntur: & cum moneat Salomon, ſi annis multis uixerit homo, & in his omnibus lætus fuerit, meminiſſe debet tenebroſi temporis & dierum multorum, qui cum uenerint, uanitatis arguuntur præterita: quanto magis is cui unius ſolũ anni uita ſupereſt, breui uidetur tẽpore uixiſſe, ubi mors aſtiterit in ianuis? Hæc audiens illa,fuſis lachrymis præſagia dira deflebat,exterſaqꝫ facie,rurſus audacia fœminea adiurauit per maieſtatem ſummę diuinitatis,ut diceret, quem habiturus eſſet hęredẽ regni,cum filijs careret & fratribus, qui parum ſilens, Ne dicas,inquit,quia cares, habebis enim ſucceſſorem, quem germana, ut ipſum Egfridum, dilectione complectaris. At illa, Obſecro,inquit,dicas quibus in locis ſit ille. Qui ait, Cernis hoc mare magnum & ſpacioſum,quot abundet inſulis? Facile eſt Deo de aliqua harum ſibi prouidere,quem regno præficiat Anglorum. Intellexit ergo,quia de Aldfrido diceret, qui ferebatur filius fuiſſe patris illius, & tũc in inſulis Scotorum ob ſtudium literarum exulabat. Sciebat autem,quia Egfridus proponeret eum conſtituere epiſcopum, uolenſqꝫ dinoſcere ſi propoſitum ſequeretur effectus,ita quęrẽdo exorſa eſt, O quàm uaria intẽtione diuiduntur corda mortalium. Quidam adeptis gaudens diuitijs, alij amantes diuitias,ſemper egent,tu gloriã mundi, quamuis offeratur, reſpuis, etiãſi ad epiſcopatum pertingere poſsis, quo ſublimius apud mortales nihil eſt,cui clauſtra deſerti huic gradui præferes? At ille, Scio me,inquit,tanto gradu dignum non eſſe,nec tamen iudicium ſuperni gubernatoris uſpiam effugere queo:qui ſi tãto oneri me ſubijciendum diſpoſuit,credo quia poſt modicum liberum reddet, & fortaſſe non amplius quàm duobus annis exactis ſolitam me meæ ſolitudinis remittet ad requiem. Pręcipio autem tibi in nomine Domini & ſaluatoris noſtri,ne cui ante meum obitum,quæ à me audiuiſti,referas. Cumqꝫ illi hæc & multa alia quę quærebat, exponeret, atqꝫ eam de quibus opus habebat,inſtrueret,reuerſus ad inſulam & monaſterium ſuum,ſolitariam,ut cœperat,agebat ſedulus uitam. Nec multo pòſt congregata ſynodo non parua ſub præſentia pijſsimi ac Deo dilecti regis Egfridi, cui beatæ memoriæ Theodorus archiepiſcopus pręſidebat,unanimo omnium cõſenſu ad epiſcopatum eccleſiæ Lindiſfarnenſis electus eſt: qui cum multis legatarijs ac literis ad ſe præmiſsis nequaquam ſuo loco poſſet erui, tandem rex ipſe præfatus unà cum ſanctiſsimo antiſtite Trumuuine,nec non & alijs quamplurimis religioſis ac potẽtibus uiris ad inſulam nauigauit, genu flectunt omnes, adiurant per Dominum,lachrymas fundunt, obſecrant donec ipſum quoqꝫ lachrymis plenum dulcibus extrahunt latebris, atqꝫ ad ſynodum pertrahunt. Quò dum perueniret, quãuis multum renitens unanima omnium uoluntate ſuperatur, atque ad ſuſcipiendum epiſcopatus officium collum ſubmittere compellitur. Nec tamẽ ſtatim ordinatio, ſed peracta hyeme,quæ imminebat expleta eſt:atqꝫ ut uerbis eius propheticis per omnia ſatis fieret,Egfridus poſt annum Pictorum gladio trucidatur, & Aldfridus in regnum frater eius nothus ſubſtituitur, qui nõ paucis antè temporibus in regionibus Scotorum lectioni operam dabat,ibi ob amorẽ ſapientiæ ſpontaneum paſſus exilium.

*Quomodo electus ad epiſcopatum ſeruum comitis languentem aqua per ſe benedicta curauerit.* *Caput*
XXV.

CVm ergo electus ad epiſcopatũ uir Domini Cuthbertus ſuam remeaſſet ad inſulam, atque aliquantulum temporis ſecretus Domino ſolita deuotione militaret:euocauit eum uenerabilis epiſcopus eius Eata, atque ad ſuum colloquium Mailros uenire præcepit. Quò expleto colloquio, dum domum redire cœpiſſet, occurrit illi comes quidam Egfridi regis,rogauitqꝫ obnixè, ut ad benedictionem dandam in uillulam ſuam domumqꝫ diuerteret. Quò cum perueniſſet, & gratifico omnium ſuſceptus eſſet officio,indicauit ei uir de infirmitate famuli ſui, Deo, inquiens, gratias ſanctiſsime pater, quòd nos uidere, noſtramqꝫ domum intrarę dignatus es: & uerè credimus,quia maximũ nobis lucrum & mentis & corporis præſtet aduẽtus tuus. Eſt autem nobis famulus peſsima diutius infirmitate cruciatus, & in tantum doloris hodie perductus,ut morienti ſimilior, quàm lãguenti appareat. Extrema nanqꝫ corporis parte præmortua,per modicum ore & naribus flatum trahere uidetur: qui confeſtim benedixit aquã, & dedit miniſtro comitis nomine Baldhelmo, qui nunc uſque ſupereſt, & in eccleſiã Lindisfarnenſi presbyterij gradum officio tenens, moribus implet,uirtuteſqꝫ uiri Dei cunctis ſcire uolentibus referre melle dulcius habet. qui & mihi hoc ipſum quod refero, miraculum narrauit. Huic ergo dans aquam benedictam uir Dei, Vade,inquit, & guſtandam præbe languenti. Qui dictis parens,attulit aquam



 ægro

ægrotanti: quam dum tertiò ori eius infunderet, continuò contra morem ſe quietum dimiſit in ſoporem. Erat enim iam ueſpera: qui etiã ſilentio tranſegit noctem, & uiſitanti ſe Domino ſuo ſaluus mane apparuit.

*Qualiter in epiſcopatu uixerit.*
*Caput* XXVI.

SVſceptum autem epiſcopatus ordinem uenerabilis uir Domini Cuthbertus, iuxta pręcepta & exempla Apoſtolica uirtutũ ornabat operibus. Commiſſam namque ſibi plebem & orationibus protegebat aſsiduis, & admonitionibus ſaluberrimis ad cœleſtia uocabat, & quod maximè doctores iuuat, ea quæ agenda docebat, ipſe prius agendo pręmonſtrabat. Eripiebat inopem de manu fortioris eius, egenũ & pauperem à rapientibus eum: triſtes ac puſillanimes conſolari, malè autem gaudentes ad triſtitiam, quæ ſecundum Deum eſt, reuocare curabat: ſolitam ſibi parſimoniam ſedulus exercere, & inter frequentiam turbarum monachicæ uitæ rigorem ſolicitus obſeruare gaudebat: eſurientibus alimenta, indumenta præbebat algentibus, cæteriſq; uitę pontificalis inſignibus ritè decoratus incedebat. Cuius internis, id eſt animi uirtutibus, ea quoque quibus foris effulgebat, miraculorum ſigna teſtimonium dabãt, ex quibus aliqua breuiter memoriæ commendare curauimus.

*Quomodo interitum Egfridi regis & militiæ eius, quem prædixerat, abſens uiderit in ſpiritu.*
*Caput* XXVII.

IGitur dum Egfridus rex auſu temerario exercitum in Pictos duceret, eorumq; regna atroci ac feroci ſęuitia deuaſtaret, ſciens uir Domini Cuthbertus adeſſe tempus, de quo anno præterito interroganti eius ſorori prædixerat, non eum amplius quàm uno anno eſſe uicturum: uenit ad Lugubaliã ciuitatem, quæ à populis Anglorum corruptè Luel uocatur, ut alloqueretur reginam, quæ ibidem in monaſterio ſuæ ſororis euentum belli expectaret, diſpoſuit. Poſtera autem die deducentibus eum ciuibus, ut uideret mœnia ciuitatis, fontemq; in ea miro quodam Romanorum opere extructum, repentè turbatus ſpiritu, ut ſtabat ſuper baculum mœſtam faciem deflexit ad terram, rurſumq; ſe erigens, atq; ad cœlum oculos attollens, ingemuit grauiter, & nõ grandi uoce ait, Fortè modò diſcrimen factum eſt certaminis. At presbyter, qui aſtabat, intelligens de quo diceret, incauta uelocitate ductus, reſpondit & dixit, Vnde ſcis? Nolens autem ille amplius de his, quæ ſibi erant reuelata, pateſacere, Non'ne uidetis inquit, quã mirè mutatus ac turbatus ſit aer? Et quis mortalium ſufficit inueſtigare iudicia Dei? Attamen confeſtim intrauit ad reginam, & ſecretò eam alloquẽs (erat autem dies ſabbati) Vide inquit, maturè illuceſcente ſecũda ſabbati aſcendas currum, quia die Dominico curru ire non licet, uadaſq; & regiam ciuitatem citiſsimè introeas, ne fortè occiſus ſit rex. Ego autem, quia craſtina die ad uicinum monaſterium ob dedicandam ibi eccleſiam uenire rogatus ſum, expleta dedicatione te cõtinuò ſubſequor. Veniente autem die Dominico prædicans uerbum Dei fratribus eiuſdem monaſterij, finito ſermone, & fauentibus cunctis qui aderant, rurſus ita cœpit, Obſecro dilectiſsimi iuxta Apoſtoli monita uigiletis, ſtetis in fide, uiriliter agatis, & conſortemini, ne fortè ſuperueniens aliqua tentatio uos imparatos inueniat: ſed memores potius ſemper illius Dominici præcepti, Vigilate & orate, ne intretis in tentationem. Putabant autem, quia non multo antè peſtilentiæ clades & eos & multos circunquaque lata cæde ſtrauerat, eum de huiuſmodi plaga iam reditura fuiſſe locutum. At ille rurſus aſſumpto ſermone, Quondam inquit, cum adhuc in mea demorarer inſula ſolitarius, uenerunt ad me quidam de fratribus die ſancto Dominicæ natiuitatis, rogabantq; ut de mea caſula & manſione egrediens, ſolennem cum eis & lætum diem tantæ uenerationis tranſigerem: quorum ego precibus deuotis acquieſcens egrediebar, & conſedimus ad epulas. At in media fortè refectione dixi ad eos, Obſecro fratres cautè agamus, & uigilãter, ne per incuriam fortè & ſecuritatem inducamur in tentationem. At illi reſponderunt, Obſecramus hodie lætum agamus diem, quia natale eſt Domini noſtri Ieſu Chriſti. Et ego, Sic inquam faciamus. Cumq; poſt hæc aliquandiu epulis, exultationi, ac fabulis indulgeremus, rurſus admonere cœpi, ut ſoliciti exiſteremus in orationibus & uigilijs, atque ad omnes tentationum incurſus parati. Et illi bene, inquiunt, & optimè doces: ſed tamen quia abundant dies ieiuniorum, orationis, & uigiliarũ, hodie gaudeamus in Domino. nam & angelus naſcente Domino euangelizabat paſtoribus gaudium magnum, quod eſſet omni populo celebrandum. Et ego, Bene inquã, faciamus ſic. Sed cum epulantibus nobis & diem lætũ ducentibus, tertiò eiuſdem admonitionis uerba repeterem, intellexere illi, quia nõ fruſtra hæc tam ſtudioſe ſuggererem, & expaueſcentes dicebãt, Faciamus ut doces: quia neceſsitas magna nobis incumbit, ut contra inſidias diaboli, & omnia tentamenta ſemper accincti ſpiritualiter uigilemus. Hęc dicens ego, neſciebam ſicut nec illi aliquid nobis occurſurum nouæ tentationis: ſed tantũ inſtinctu mentis admonitus ſum aduerſus ſubitas tentationum procellas ſtatum cordis ſemper eſſe muniendum. Sed ubi reuerſi à me manè ad ſuum, id eſt Lindisfarnenſe monaſterium redierunt, ecce quendam de ſuis morbo peſtilentiæ obiſſe reperierunt. Et creſcente ac ſæuiente per dies, immò etiam per menſes, & annũ penè totum eadem clade, nobiliſsimus ille patrum fratrumq; cœtus ſpiritualium penè uniuerſus migrauit ad Dominũ. Et nunc ergo fra-





tres uigilate & uos in orationibus, ut ſiquid uobis tribulationis ingruerit, uos iam paratos inueniat. Hæc dicente uenerabili antiſtite Cuthberto, rebantur ut præfatus ſum, quia de reditu peſtilentiæ diceret. Sed poſt unum diem adueniens, qui fugerat è bello, occulta uiri Dei uaticinia miſeris exponebat eloquijs: probatumq; eſt ipſa die eademq; hora qua uiro Dei iuxta puteum ſtanti reuelatum eſt, cæſis circumtutoribus regem hoſtili gladio fuiſſe proſtratum.

*Quomodo Hereberto anachoretæ obitum ſuum prædixerit, comitatumq; illius à Domino precibus obtinuerit ſine mora.* *Caput* XXVIII.

NOn multo pòſt tempore idem famulus Domini Cuthbertus ad eandem Lugubaliam ciuitatem rogatus aduenit, quatenus ibidem ſacerdotes conſecrare, ſed & ipſam reginam dato habitu ſanctæ conuerſationis benedicere deberet. Erat autem presbyter uitæ uenerabilis, nomine Herebertus iam dudum uiro Dei Cuthberto ſpiritualis amicitiæ fœdere copulatus, qui in inſula ſtagni illius pergrãdis, de quo de Oruuentionis fluuij primordia erumpunt, uitam ſolitariam ducẽs, annis ſingulis ad eum uenire, & monita ab eo perpetuæ ſalutis accipere conſueuerat. Hic cum audiſſet eum illa in ciuitate demoratum, uenit ex more cupiens ſalutaribus eius exhortationibus ad ſuperna deſideria magis magiſq; inflammari: qui dum ſeſe alterutrum cœleſtis ſapientiæ poculis debriarent, dixit inter alia Cuthbertus, Memento frater Hereberte, ut modò quicquid opus habes, me interroges, mecumq; loquaris: quia poſtquam ab inuicem digreſsi fuerimus, non ultrà nos inuicem in hoc ſeculo carneis oculis uidebimus. Certus ſum enim, quia tempus meæ reſolutionis inſtat, & uelox eſt depoſitio tabernaculi mei. Qui hæc audiens prouolutus eius pedibus, fuſiſq; cum gemitu lachrymis, Obſecro inquit, per Dominũ, ne me derelinquas, ſed tui ſodalis memineris, rogeſq; ſupernam pietatẽ, ut cui pariter in terris ſeruiuimus, ad eius uidẽdam claritatem pariter tranſeamus ad cœlos. Noſti enim, quia ad tui oris imperium ſemper uiuere ſtudui, & quicquid ignorãtia uel fragilitate deliqui, æquè ad tuæ uoluntatis arbitrium caſtigare curaui. Incubuit precibus epiſcopus, ſtatimq; edoctus in ſpiritu impetraſſe ſe quod petierat à Domino: Surge inquit, frater mi, & noli plorare, ſed gaudio gaude: quia donauit nobis ſuperna clementia, quod rogauimus eam. Cuius promiſsi & prophetiæ ueritatem ſequẽs rerum finis aſtruxit, quia & digredientes ab inuicem, non amplius ſe corporaliter uiderunt: & unius eiuſdemq; momento temporis egredientes è corpore ſpiritus eorum, mox beata inuicem uiſione coniuncti ſunt, atque angelico miniſterio pariter ad regnum cœleſte tranſlati. Sed Herebertus diutina prius infirmitate decoquitur, illa fortaſsis diſpenſatione Dominicę pietatis, ut ſi quid minus haberet meriti beato Cuthberto, ſuppleret dolor continuus longę ægritudinis, quatenus ęquatus gratia ſuo interceſſori, ſicut uno eodemq; tempore cum eo de corpore egredi, ita etiã una atq; indiſsimili ſede perpetuæ beatitudinis mereretur recipi.

*Quomodo uxorem comitis per presbyterum ſuum aqua benedicta ſanauerit.* *Caput* XXIX.

QVadam autem die dum parochiam ſuam circumiens monita ſalutis omnibus ruri caſis & uiculis largiretur, nec non etiam nuper baptizatis ad accipiendam ſpiritus ſancti gratiam manum imponeret: deuenit ad uillulã cuiuſdam comitis, cuius uxor malè habẽs, quaſi proxima morti iacebat. Cui iam uenienti occurrens ipſe comes flexis genibus, gratias egit Domino de aduentu illius, & introducens illũ benigno recepit hoſpitio: cumq; lotis more hoſpitalitatis manibus & pedibus reſediſſet antiſtes, cœpit referre illi uir de languore coniugis deſperatæ, obſecrans ut ad ſpargendam eam aquã benediceret, Credo inquit, quia mox aut ſanitati Deo donante reſtituatur, aut ſi moritura eſt, perpetuam de morte tranſeat ad uitam, citiuſq; moriendo compendium tam miſerabilis ac diutinæ uexationis accipiat. Annuit deprecanti uir Dei, & allatam benedicẽs aquam dedit presbytero, præcipiens ut ſuper languidam aſpergeret. Qui introgreſſus cubiculum, in quo illa exanimi ſimillima iacebat, aſperſit illam & lectulum eius: ſed & os illius aperiens, guſtũ ſalutiferi hauſtus immiſit. Res mira & uehementer ſtupenda. Mox ut eam aqua benedicta tetigit languentem, & quid erga eam ageretur prorſus ignorantem, ita plenam & mentis & corporis ſanitatem recepit, ut confeſtim reſipiſcens benediceret Dominum, gratiaſq; referret ei qui tales tantoſq; hoſpites ad ſe uiſitãdam curãdamq; deſtinare dignatus ſit. Nec mora exurgens, ipſis ſuæ ſanitatis miniſtris miniſterium ſana prębuit, pulchroq; ſpectaculo ipſa prima de tota tanti uiri familia epiſcopo potũ refectionis obtulit, quæ per ipſius benedictionem poculum mortis euaſit, ſecuta exemplum ſocrus apoſtoli Petri, quæ curata à febribus per Dominum, continuò ſurgens miniſtrabat illi ac diſcipulis eius.

*Quomodo puellam oleo perunctam à dolore capitis lateriſq; curauerit.* *Caput* XXX.

NEq; huic diſsimile ſanitatis miraculum à uenerabili antiſtite Cuthberto factum, multi qui præſentes fuere, teſtati ſunt: è quibus eſt religioſus presbyter Ediluualdus, tunc miniſter uiri Dei, nunc autẽ abbas cœnobij Mailroſenſis. Dum enim more ſuo pertranſiret uniuerſa docendo, deuenit in uicum quendam, in quo erant fœminæ ſanctimoniales nõ multæ, quibus timore barbarici exercitus à monaſterio ſuo profugis, ibidẽ manendi ſedẽ uir Domini pau

lo antè donauerat: quarum una quæ erat cognata præfati ſacerdotis Ediluualdi, grauiſsimo tenebatur languore depreſſa: per integrum namque annum intolerabilis capitis & totius lateris alterius dolore uexata, funditus à medicis erat deſperata. Indicantibus autem de illa uiro Dei, & pro ſanatione eius obſecrantibus his qui uenerāt cum eo, miſeratus ille miſeram unxit oleo benedicto: quæ ab illa mox hora meliorari incipiens, poſt dies paucos plena ſoſpitate conualuit.

*Quomodo per panem ab eo benedictum infirmus ſit ſanatus.* Caput XXXI.

NEc ſilentio prætereundum arbitramur miraculum, quod eiuſdē uiri uenerabilis uirtute, quamuis ipſo abſente patratum cognouimus. Meminimus ſuprà Hildmeri præfecti, cuius uxorem uir Dei ab immundo ſpiritu liberauerit. Idem ergo præfectus poſtea decidit in lectum grauiſsima preſſus infirmitate, adeò ut creſcente moleſtia per dies, iam iamq; uideretur eſſe moriturus. Aderant multi amicorū, qui ad conſolandum uenerāt languentem: cumq; lecto iacentis aſsiderent, repentè unus eorum intulit, quia ſecum haberet panem, quem ſibi nuper uir Domini Cuthbertus benedictionis gratia dediſſet: & Credo inquit, quia huius guſtu poſsit, ſi tamen fidei noſtræ tarditas non obſiſtit, medelam recipere ſalutis. Erant autē laici omnes, ſed religioſi. Conuerſi igitur ad inuicem, confitebantur ſinguli, quia abſque ulla dubietate crederent per eiuſdem benedicti panis communionem eum poſſe ſanari: implentesq; calicem aqua, immiſerunt pauxillulum panis illius, & dederunt ei bibere. Cuius ſtatim ut uiſcera guſtus ille aquæ per panem ſanctificatus attigit, fugit dolor interaneorum omnis, fugit exteriorum tabitudo membrorum. Nec mora expeditū à languore uirum ſalus ſubſecuta cōfirmauit, atque ad laudandam famuli Chriſti ſanctitatem & ad mirandam fidei non fictæ uirtutem, meritò & ipſum & omnes qui celeritatē tā inopinatæ ſalutis uidere uel audiere, ſuſtulit.

*Qualiter oblatum ſibi in itinere iuuenem moriturum orando reuocarit ad uitam ſine omni mora.* Caput XXXII.

QVodam quoque tempore dum ſanctiſsimus gregis Dominici paſtor ſua luſtrando circuiret ouilia, deuenit in mōtana & agreſtia loca, ubi multi erant de circumpoſitis latè uillulis, quibus manus erat imponenda. Nec tamen in montibus eccleſia uel locus inueniri potuit aptus, qui pontificē cum ſuo comitatu ſuſciperet. Tetenderunt ergo ei tentoria in uia, & cæſis de uicina ſylua ramuſculis, ſibi quique tabernacula ad manendum, qualia potuere, fixerunt: ubi dum confluentibus ad ſe turbis uir Dei uerbum biduo prædicaret, ac ſpiritus ſancti gratiam nuper regeneratis in Chriſto per manus impoſitionem miniſtraret, ecce ſubitò apparuerunt mulieres ferentes in grabbato iuuenem lōgæ ęgritudinis acerbitate tabefactū, ponentesq; in exitu ſyluæ, miſerunt ad epiſcopum, rogantes, ut ad accipiendam benedictionem ad ſe hunc afferri permitteret. Quem cum ad ſe perductum acerrimè uexatum conſpiceret, iuſsit omnes ſecedere lōgius: & ad ſolita orationis arma cōfugiens, data benedictione pepulit peſtem, quam ſolicita medicorum manus Pigmentorū compoſitione nequiuerat. Deniq; eadem hora ſurgens, & accepto cibo confortatus, reddita Deo gratiarū actione regreſſus eſt ad eas, quæ ſe portauerant fœminas: ſicq; factū eſt, ut quæ eum illò triſtes languidum aduexerant, cum eis inde gaudentibus, & ipſe ſoſpes ac lætabundus domum rediret.

*Quomodo tempore mortalitatis morientem puerum matri ſanum reſtituerit.* Caput XXXIII.

EOdem tempore peſtilentia ſubitò exorta illis in partibus grauiſsima nece incubuit, ita ut in magnis quōdam, refertisq; habitatoribus uillis ac poſſeſsionibus uix paruæ raræq; reliquiæ, & interdum nullæ, reſiderent. Vnde ſanctiſsimus pater Cuthbertus diligētiſsimè ſuam luſtrans parochiam, eiſdem minimis, quæ ſuperfuere reliquijs miniſterium uerbi, & neceſſariæ conſolationis opem ferre non deſijt. Adueniens autem in uiculum quēdam, ibidemq; omnibus quos inuenerat auxilio exhortationis adhibito, dixit ad presbyterū ſuū, Putas'ne, ſupereſt quiſpiam his in locis, cui noſtra uiſitatione & allocutione opus ſit, an cunctis qui male habebāt uiſis, iam ad alios tranſire licet? Qui circumſpiciens omnia, uidit mulierem eminus ſtantem, quę extincto paulo antè filio, fratrem eius, iam morti proximū, tenebat in manibus, lachrymisq; faciem rigantibus pręteritam pariter & præſentem teſtabatur ærumnam: quam cum uiro Dei oſtenderet, nil moratus acceſsit ad eam, & benedicens dedit oſculum puero, dixitq; ad matrem, Ne metuas nec mœſta ſis, ſaluabitur enim, & uiuet infans, neque ullus ultra de domo tua hac mortalitatis peſte deficiet: cuius prophetiæ ueritati, ipſa cū filio mater multo exinde tempore uiuēs teſtimonium dabat.

*Qualiter animam cuiuſdam qui de arbore cadendo mortuus eſt, ad cœlum ferri conſpexerit.* Caput XXXIIII.

INterea dum pręſcius uicini ſui obitus uir Domini Cuthbertus iam decreuiſſet animo, depoſita cura paſtoralis officij ſolitariam redire ad uitā, quatenus excuſſa ſolicitudine externa inter libera orationum & pſalmodię ſtudia diē mortis, uel potius uitæ cœleſtis præſtolaretur ingreſſum: uoluit prius non ſolùm ſua circuita parochia, ſed & alijs circa fidelium manſionibus uiſitatis, cunctos neceſſariò exhortationis uerbo confirmare, ac ſic ipſe deſideratæ ſolitudinis



gaudio reſoueri. Quod dum ageret, rogatus à nobiliſsima & ſanctiſsima uirgine Chriſti Elflede abbatiſſa, cuius ſuperius memoriam feci, uenit ad poſſeſsionem monaſterij ipſius, quatenus ibidem & ipſam uidere atque alloqui, & eccleſiā dedicare deberet. Nam & ipſa poſſeſſio non pauco famulorum Chriſti examine pollebat: ubi dum hora refectionis ad menſam conſediſſent, ſubitò uenerabilis pater Cuthbertus auerſam à carnalibus epulis mentem ad ſpiritualia contemplanda contulit: unde laſſatis ab officio ſuo membris corporis, mutato colore faciei, & quaſi attonitis contra morem oculis, cultellus quoq; quem tenebat, decidit in menſam. Quod dum presbyter eius qui aſtabat & miniſtrabat, aſpiceret, inclinatus ad abbatiſſam, dixit ſilentio, Interroga epiſcopum quid uiderit. Scio enim, quia non ſine cauſa manus eius tremefacta cultellum deſeruit, uultusq; mutatur illius: ſed uidit aliquid ſpirituale, quod nos cæteri uidere nequiuimus. At illa ſtatim cōuerſa ad eum, Obſecro inquit, Domine mi epiſcope, dicas quid uideris modò: neque enim fruſtra laſſata tua dextera cultellum, quem tenebat, amiſit. Qui diſsimulare conatus uidiſſe ſe quippiam ſecreti, iocoſe reſpondit, Num tota die manducare ualebam? iam aliquando quieſcere debui. Illa autem diligentius adiurante ac flagitante, ut exponeret uiſionem, Vidi inquit, animam cuiuſdā ſancti manibus angelicis ad gaudia regni cœleſtis ferri. Rurſus illa, De quo inquit, loco aſſumpta eſt? Reſpōdit, De tuo monaſterio. Adiecit nomen inquirere. Et ille, Tu mihi inquit, die craſtino miſſas celebranti nomen eius indicabis. Hæc audiens illa, confeſtim miſit ad maius ſuum monaſterium uidere, qui nuper raptus eſſet è corpore. At nūcius omnes ibidem ſaluos incolumesq; reperiens, poſtquam mane facto reuerti ad Dominum cœpit, obuios habuit eos qui corpus defuncti fratris ſepeliendū in carro deferrent, interrogansq; qui eſſet, didicit quia quidam de paſtoribus bonæ actionis uir incautius in arborem aſcendens deciderat deorſum, & contrito corpore ipſa hora ſpiritū exhalauit, qua hunc uir Domini ad cœleſtia ductum uidebat. Quod dum rediens abbatiſſæ referret, ſtatim illa ingreſſa ad epiſcopū, iam tunc dedicantem eccleſiam, ſtupore fœmineo quaſi nouum aliquid incertumq; nunciatura, Precor inquit, Domine mi epiſcope, memineris ad miſſas Haduualdi mei (hoc enim uiro erat nomen) quia heri cadēdo de arbore defunctus eſt. Tunc liquidò omnibus patuit, quia multiformis prophetiæ, ſpiritus uiri ſancti pręcordijs inerat, qui & in præſenti occultum animæ raptū uidere, & quid ſibi in futuro ab alijs indicandū eſſet, potuit præuidere.

*Quomodo aquam guſtando in uini ſaporem conuerterit.* Caput XXXV.

INde peragratis ex ordine ſuperioribus locis, uenit ad monaſterium uirginū, quod nō longè ab oſtio Tini fluminis ſitū, ſuprà docuimus: ubi à religioſa, & ad ſeculum quoque nobiliſsima famula Chriſti Verca abbatiſſa magnificè ſuſceptus, poſtquam de meridiana quiete ſurrexerunt, ſitire ſe dicens, ut biberet rogauit. Quærebant quid bibere uellet, rogantes ut uinum ſiue ceruiſiā afferri liceret, Aquā inquit, date mihi: qui hauſtam de fonte aquam, obtulerunt ei. At ille data benedictione, ubi paululū guſtauit, dedit aſtanti presbytero ſuo, qui reddidit miniſtro. Et miniſter accepto poculo, Licet inquit, mihi bibere de potu, de quo bibit epiſcopus? Reſpondit, Etiam. Quare non liceat? Erat autem & ille presbyter eiuſdem monaſterij. Bibit ergo, & uiſa eſt ei aqua quaſi in ſaporem uini conuerſa, tantiq; ſibi teſtem uolens adhibere miraculi fratrem, qui proximè aſtabat, porrexit ei poculū: qui cum & ipſe biberet, eius quoque palato pro aqua uinum ſapiebat. Aſpectabant autem mirātes adinuicem, & ubi uacuum tempus ad loquendum acceperunt, confitebantur alterutrum, quia uiderentur ſibi nunquam melius uinum bibiſſe: ſicut unus ex ipſis poſtea in noſtro monaſterio, quod eſt ad oſtium Vuiri fluminis, non paruo tempore demoratus, ibidemq; nunc placida quiete ſepultus, ſua mihi relatione teſtatus eſt.

*Quomodo inobedientes ei quoſdam fratres tempeſtas maris per ſeptem dies obſederit.* Caput XXXVI.

DVobus igitur annis in regimine epiſcopali tranſactis, ſciens in ſpiritu uir Domini Cuthbertus appropinquare diem ſui tranſitus, abiecit pondus curæ paſtoralis, atque ad dilectum eremiticæ conuerſationis agonem quantocyus remeare curauit, quatenus inolita ſibi ſolicitudinis mundanæ ſpineta liberior priſcæ compunctionis flamma conſumeret. Quo tempore ſępius ad uiſitantes ſe fratres de manſione ſua egredi, eosq; præſens ſolebat alloqui. Libet autem referre quoddam tunc ab eo factum miraculum, quo clarius eluceſcat, quantum uiris ſanctis obtemperandum ſit etiam in his, quę negligentius imperare uidentur. Quadā die dum ueniſſent quidam, egreſſusq; ille exhortatorio ut illos ſermone reficeret, poſt admonitionē cōpletam ſubiunxit dicens, Iam hora eſt, ut ad māſionem meam regrediar, uos autem, quia proficiſci diſponitis, primò ſumite cibos, & aucam illam (pēdebat enim auca in pariete) coquite & comedite, & ſic in nomine Domini nauem aſcēdite, ac domum redite. Dixerat hęc, & data oratione & benedictione ſuam manſionem introiuit. Illi autē ut præceperat ſumpſere cibos: ſed quia abundabant cibis, quos ſecum attulerāt, aucam, de qua præceperat, tangere non curabant. At cum refecti nauiculam uellent aſcendere, exorta ſubitò tempeſtas fera omnem eis nauigandi facultatem abſtulit: factumq; eſt ut ſeptem diebus feruente unda cōcluſi triſtes in inſula reſiderent, nec tamen culpam inobediē-

tiæ, pro qua huiuſmodi carcerem patiebantur, ad memoriam reuocarent: qui cum ſedulò ad patris colloquium reuerſi, ac de reditus ſui diſpendio conqueſti, patientiæ ab illo monita perciperent: ſeptima tandem die egreſſus ipſe ad eos, uolebat mœſticiam eorum, gratia ſuæ uiſitationis & conſolationis piæ, uerbo lenire. Ingreſſus autem domum, in qua manebant, ut uidit aucam non fuiſſe comeſtam, placido uultu & lęto potius ſermone redarguit eorum inobedientiam, Non'ne inquiens, incomeſta adhuc pendet auca? Et quid mirum ſi uos mare non ſiuit abire? Citiſsimè ergo mittite eam in caldariũ, coquite & comedite, ut poſsit mare quieſcere, & uos domum remittere. Fecerũt ſtatim ut iuſſerat, contigitq; miro ordine, ut cũ ad pręceptum uiri Dei coctura in caldario foco agente feruere cœpiſſet, eadem hora unda in mari ceſſantibus uentis ſuo à feruore quieſceret. Expleta itaq; refectione uidentes mare placidum, aſcenderunt nauem, & ſecundis flatibus cum gaudio ſimul & pudore domum remeauerunt. Pudebat namq; eos inobedientiæ & ſenſus tardioris, quo uerebantur ſuum etiam inter flagella conditoris dinoſcere & emendare reatum. Gaudebãt, quia intellexere tantam fuiſſe Deo curam de fideli ſuo famulo, ut contemptũ eius etiam per elementa uindicaret. Gaudebãt, quia uidere tantam ſuimet curam ſuo fuiſſe creatori, ut etiam manifeſto miraculo ipſorum errata corrigeret. Hoc ſanè quod retuli miraculũ, non quolibet auctore, ſed uno eorum qui interfuere narrante cognoui, uitæ uidelicet uenerabilis monacho & presbytero eiuſdẽ monaſterij Cynemundo, qui plurimis latè fidelium longæuitatis & uitæ gratia iam notus exiſtit.

*Quanta ægrotus tentamenta pertulerit, quid'ue de ſua ſepultura mandauerit.* Cap. XXXVII.

REpetijt autem inſulam manſionemq; ſuam uir Dei Cuthbertus, mox peracto die ſolẽni natiuitatis Dominicæ: cumq; eum nauem aſcenſurum caterua fratrum circumſtaret, interrogauit unus ex eis ueteranus & uenerabilis uitæ monachus, fortis quidem fide, ſed dyſenteriæ morbo corpore iam factus imbecillis: Dic nobis inquiens, Domine epiſcope, quando reditum tuum ſperare debeamus. At ille ſimpliciter interroganti, ſimpliciter & ipſe, quod uerũ nouerat, pandens: Quando inquit, meum corpus huc referetis. Qui cum duos fermè menſes in magna repetitæ ſuę quietis exultatione trãſigeret, multo conſuetæ diſtrictionis rigore corpus mentemq; conſtringeret, arreptus infirmitate ſubita, temporalis igne doloris ad perpetuæ cœpit beatitudinis gaudia præparari: cuius obitum libet uerbis illius cuius relatione didici, deſcribere, Herefridi uidelicet deuotæ religionis presbyteri, qui etiam tunc Lindisfarnẽſi monaſterio abbatis iure præfuit. Tribus inquit, hebdomadibus cõtinuis infirmitate decoctus ſic ad extrema peruenit; ſiquidem quarta feria cœpit ægrotare, & rurſus quarta feria finita ægritudine migrauit ad Dominum. At cum mane primo inchoatæ infirmitatis uenirem (nam & ante triduum cum fratribus inſulam adieram) cupiẽs ſolitæ benedictionis & exhortationis ab eo ſolatia percipere, ut dato iuxta morem ſigno me adueniſſe prodidi, proceſsit ad feneſtram, & ſalutãti ſe mihi ſuſpirium pro reſponſo reddidit. Cui ego, Quid habes inquã, Domine mi epiſcope, an fortè nocte hac tuus te languor tetigit? At ille, Etiam inquit, lãguor me tetigit nocte hac. Putabam quia de ueteri ſua infirmitate, cuius quotidiana penè moleſtia conſueuerat excoqui, non autem de noua & inſolita diceret. Nec plura interrogans, Da inquam, benedictionem nobis, quia iam tempus nauigandi, ac domum remeandi adeſt. Facite inquit, ut dicis, aſcẽdite nauem, ac domum ſalui redite. Cum autem Deus ſuſceperit animã meam, ſepelite me in hac manſione iuxta oratorium meum, ad meridiem contra orientalem plagam ſanctæ crucis, quam ibidem erexi. Eſt autem ad aquilonalem eiuſdem oratorij partẽ ſarcophagum terræ ceſpite abditũ, quod olim mihi Cudda uenerabilis abbas donauit: in hoc corpus meum reponite, inuoluẽtes in ſindone, quam inuenietis iſtic. Nolui quidem ea uiuens indui, ſed pro amore dilectæ Deo fœminæ, quæ hanc mihi miſit, Vercæ uidelicet abbatiſſæ, ad obuoluẽdum corpus meum reſeruare curaui. Hęc ego audiens, Obſecro inquam, pater, quia infirmum & moriturum te audio, aliquos de fratribus hic ad miniſtrandum tibi remanere permittas. At ille, Ite inquit, modò, tempore autem opportuno redite. Cumq; diligẽtius obſecrans, ut miniſtrum ſuſciperet, nequaquam impetrare ualerem, tandem interrogaui, quando deberemus reuerti. Qui ait, Quando Deus uoluerit, & ipſe uobis oſtenderit. Fecimus ut iuſſerat, conuocatiſq; mox in eccleſiã fratribus cunctis, iuſsi orationẽ fieri ſine intermiſsione pro eo: quia uidetur, inquiens, mihi ex quibuſdam uerbis illius appropinquare diem, quo ſit exiturus ad Dominũ. Eram autẽ ſolicitus de reditu propter infirmitatẽ eius, ſed quinq; diebus obſtitit tẽpeſtas, ne redire poſſemus: quod diuinitus diſpenſatũ fuiſſe rei probauit euẽtus. Vt enim omnipotẽs Deus famulũ ſuum ab omni labe mũdanæ fragilitatis ad purũ caſtigaret, utq; aduerſarijs eius, quàm nihil cõtra fidei uirtutẽ ualerent, oſtenderet, uoluit eum tãto tempore ſegregatũ ab hominibus & ſuæ carnis dolore, & antiqui hoſtis acriori certamine probari: ut autem reddita trãquillitate inſulã repetiuimus, inuenimus eũ ſuo monaſterio egreſſum ſedere in domo, in qua nos manere ſolebamus: & quia neceſsitas quædã poſcebat, fratres qui mecum uenerant, renauigare ad proximũ litus, ipſe remanens in inſula, confeſtim patri miniſterium præbere curaui. Si quidem calefaciens aquam abluebã pedem eius, qui gratia diutini tumoris iam tunc ulcus habebat, ac profluente ſanie cura indigebat; ſed & uinum calefaciẽs attuli, cumq;



eumq; guſtare rogaui. Videbam nanque in facie eius, quia multum inedia ſimul & languore erat defeſſus. Completa curatione, reſedit quietus in ſtratu, reſedi & ego iuxta eum: cumq; ſileret, dixi, Video domine epiſcope, quia multum uexatus es ab infirmitate, poſtquam receſſimus à te: & mirum, quare nolueris, ut aliquos noſtrum, qui tibi miniſtrarẽt, hic dimitteremus abeuntes. At ille, Dei, inquit, prouidentia & uoluntate geſtum eſt, ut præſentia & auxilio deſtitutus humano, aliqua paterer aduerſa. Poſtquã enim à me digreſsi eſtis, continuò cœpit languor ingraueſcere: ideoq; de mea manſione egrediens huc intraui, ut quicunq; ueſtrum mihi miniſtraturi aduenirent, hic me poſſent inuenire, nec meam manſionem neceſſe haberent ingredi. Ex quo autem ingrediens hac in ſede membra cõpoſui, non moui me hinc, ſed quinque diebus his & noctibus hic quietus permanſi. Cui ego, Et quomodo, inquam, domine mi epiſcope, ſic uiuere potuiſti? Num abſque cibi perceptione tanto tempore manſiſti? Tum ille retecto lectiſternio, cui ſuperſedebat, oſtendit ibi cepas quinque reconditas, & ait, Hic mihi uictus erat his quinque diebus. Quotienſcunque enim os ariditate ac ſiti nimia aruit & ardebat, hæc guſtando me recreare ac refrigerare curaui. Videbatur autem una de cepis minus quàm dimidia parte corroſa. Inſuper ait, Et cõcertatores mei nunquam per omne tempus ex quo in hac inſula conuerſari cœpi, tot mihi perſecutiones, quot in his quinque diebus intulere. Non audebam interrogare, quæ eſſent tentationes, de quibus dixerat, tantum rogaui ut miniſtros ſuſciperet. Annuit ille, & quoſdã noſtrum ſecum retinuit, in quibus erat maior Beda presbyter, qui miniſterio eius familiariter ſemper adeſſe cõſueuerat, ideoq; donationum acceptionumq; eius omnium conſcius erat indubius: quem ob id maximè ſecum manere uoluit, ut ſi cuiuslibet acceptis muneribus digna recompenſatione nõ reſpondiſſet, illius admonitione recoleret, & priuſquam obiret, ſua cuique reſtitueret. Sed & alium quendam de fratribus ſpecialiter, ut inter miniſtros ſibi adeſſet deſignauit: qui longo quidem uentris fluxu grauiter quidem ægrotabat, neque à medicis poterat curari: ſed merito religionis, prudentiæ & grauitatis dignus extiterat, qui teſtis eſſet uerborum, quæ uir Dei ultima diceret, uel quo ordine ad Dominum migraret. Interea rediens domum narrabam fratribus, quia uenerabilis pater in ſua ſe inſula ſepeliri iuberet: & uidetur, inquam, mihi iuſtius eſſe multo, & dignius impetrare ab eo, quatenus huc transferri corpus ſuum, & iuxta honorem congruum in eccleſia condi permittat. Placuerunt illis quæ dixeram, & uenientes ad epiſcopum rogabamus dicentes: Non auſi ſumus domine epiſcope, cõtemnere iuſsionem tuam, qua te hic tumulari mandaſti: & tamen rogandum uidebatur nobis, ut te ad nos transferre, & nobiſcum habere mereamur. At ille, Et meæ, inquit, uoluntatis erat, hic requieſcere corpore, ubi quantulumcunq; pro Domino certamen certaui, ubi curſum conſummare deſidero, unde ad coronam iuſtitiæ ſubleuandum me à pio iudice ſpero: ſed & uobis quoq; commodius eſſe arbitror, ut hic requieſcam, propter incurſionem profugorum uel noxiorũ quorumlibet. Qui cùm ad corpus meum fortè confugerint, quia qualiſcunq; ſim, fama tamen exiuit de me, quia famulus Chriſti ſim, neceſſe habetis ſæpius pro talibus apud potentes ſeculi intercedere, atque ideo de præſentia corporis mei multum tolerare laborem. At nobis multum diu precantibus, laboremq; huiuſmodi gratum nobis ac leuem fore aſſeuerantibus, tandem cum conſilio locutus uir Domini: Si meam, inquit, diſpoſitionem ſuperare, & meum corpus illò reducere uultis, uidetur mihi optimum, ut in interioribus baſilicæ ueſtræ illud tumuletis, quatenus & ipſi cũ uultis, meũ ſepulchrum uiſitare poſsitis, & in poteſtate ſit ueſtra, an aliqui illò de aduenientibus accedãt. Gratias egimus permiſsioni & conſilio illius flexis in terram genibus, ac domum redeuntes, frequentius illum exinde uiſitare non deſtitimus.

*Quomodo miniſtrum ſuum à profluuio uentris ſanauerit ægrotus uir beatus.* Caput XXXVIII.

CVmq; increſcente languore uideret tempus ſuæ reſolutionis inſtare, præcepit ſe in ſuam manſiunculam atq; oratorium referri, erat autem hora diei tertia. Portauimus ergo illum, quia præ moleſtia languoris ipſe non ualebat ingredi: at ubi ad portam peruenimus, rogabamus ut alicui noſtrum liceret ad miniſtrandum ei pariter intrare. Non enim per annos plurimos quiſpiam illuc, præter ipſum intrauerat: qui circumſpectis omnibus, uidit fratrẽ, cuius ſuprà memini, uentris fluxu languentem, & ait, Vualchſtod ingrediatur mecũ, hoc enim erat nomen fratris. Qui cùm ad nonam uſque horam intus cum illo maneret, ſic egrediens uocauit me, Epiſcopus, inquiens, te iuſsit ad ſe intrare: poſſum autem tibi rem referre nouam permirabilem, quia ex quo ingrediens illuc tetigi epiſcopum, deducturus eum ad oratorium, continuò ſenſi me omni illa longæ infirmitatis moleſtia carere. Non autem dubitandũ ſupernæ pietatis hoc diſpenſatione procuratum, ut qui multos antea ſoſpes adhuc ualens'que curauerat, hunc quoque moriturus curaret, quatenus hoc quoque indicio pateret, etiam corpore infirmatus uir ſanctus, quantum ſpiritu ualeret. In qua profectò curatione ſequebatur exemplum ſanctiſsimi & reuerendiſsimi patris Aurelij Auguſtini epiſcopi, qui dum preſſus infirmitate, qua & mortuus eſt, decumberet, uenit quidam cum ſuo ægroto, rogans ut eidem manum imponeret, quo ſanus eſſe poſſet. At ille, Si, inquit, aliquid in his poſsẽ, mihi hoc utiq; primitus præſtitiſſem.

Rurſus is qui uenerat, Te, inquit, uiſitare iuſſus ſum: ſiquidem in ſomnis dictum accepi, Vade ad Auguſtinum epiſcopum, ut eidem manum imponat, & ſaluus erit. Quo ille audito, mox ægrotanti manū benedicens impoſuit: nec mora, ſanatum ad propria remiſit.

*Quæ ultima fratribus mandata dederit, & ut percepto uiatico inter uerba orationis ſpiritum reddiderit cœlis.* Cap. XXXIX.

INtraui autem, inquit ad eum, circa horā diei circiter nonam, inueniq; eum recumbentem in angulo ſui oratorij contra altare: aſsidere cœpi & ipſe. Nec multa loquebatur, quia pondus ęgritudinis facilitatem loquendi minorauerat: uerūm me diligentius inquirente, quem hæreditarium ſermonem, quod ultimum uale fratribus relinqueret, cœpit diſſerere pauca, ſed fortia de pace & humilitate, cauendiſq; eis qui his obluctari, quàm oblectari mallent. Pacem, inquit, inter uos ſemper, & charitatem cuſtodite diuinam: & cum de ueſtro ſtatu conſilium uos agere neceſsitas popoſcerit, uidete attentius, ut unanimes exiſtatis in conſilijs: ſed & cum alijs Chriſti ſeruis mutuam habetote concordiā, nec uenientes ad uos hoſpitalitatis gratia, domeſticos fidei habeatis contemptui: ſed familiariter ac benignè tales ſuſcipere, tenere, ac dimittere curate, nequaquam uos meliores arbitrantes cæteris eiuſdem fidei & uitæ conſortibus. Cum illis autē qui ab unitate catholicę pacis, uel Paſcha nō ſuo tempore celebrando, uel peruerſe uiuendo aberrant, uobis ſit nulla communio: ſciatiſq;, & memoria retineatis, quia ſi uos unum è duobus aduerſis eligere neceſsitas coëgerit, multo plus diligo, ut eruentes de tumulo, tollenteſq; uobiſcum mea oſſa, recedatis ab his locis, & ubicunq; Deus prouiderit, incolæ maneatis, quàm ut ulla ratione conſentientes iniquitati, ſchiſmaticorum iugo colla ſubdatis. Catholica patrum ſtatuta diligentiſsimè diſcere atq; obſeruare contendite, ea quoq; quæ per meum miniſterium uobis diuina pietas inſtituta uitæ regularis dare dignata eſt, exercete ſolliciti. Scio enim, quia etſi quibuſdam contemptibilis uixi, poſt meum tamen obitū qualis fuerim, quàm mea doctrina non ſit contemnenda, uidebitis. Hæc & his ſimilia uir Domini per interualla locutus, quia uis, ut diximus, infirmitatis poſsibilitatem loquendi ademerat, quietum expectatione futuræ beatitudinis diē duxit ad ueſperam: cui etiam peruigilem quietis in precibus continuauit & noctem. At ubi conſuetum nocturnę orationis tempus aderat, acceptis à me ſacramentis ſalutaribus exitum ſuum, quem iam ueniſſe cognouit, Dominici corporis & ſanguinis communione muniuit: atque eleuatis ad cœlum oculis, extenſiſq; in altum manibus, intentam ſupernis laudibus animam, ad gaudia regni cœleſtis emiſit.

*Quomodo iuxta prophetiam Pſalmi, quem eo moriente cantauerant, Lindisfarnenſes ſint impugnati, ſed Domino iuuante iterum protecti.* Cap. XL.

AT ego ſtatim egreſſus, nūciaui obitum eius fratribus, qui & ipſi noctem uigilando atq; orando tranſegerant: & tunc fortè ſub ordine nocturnæ laudis dicebant Pſalmum quinquageſimumnonum, cuius initium eſt, Deus repuliſti nos, & deſtruxiſti nos: iratus es, & miſertus es nobis. Nec mora, currens unus ex eis, accendit duas candelas, & utraque tenens manu, aſcendit eminentiorem locum ad oſtendendum fratribus, qui in Lindisfarnenſi monaſterio manebant, quia ſancta illa anima iam migraſſet ad Dominum. tale nanque inter ſe ſignū ſanctiſsimi eius obitus condixerāt. Quod cùm uideret frater, qui in ſpecula Lindisfarnenſis inſulæ longè decontrà euentus eiuſdem peruigil expectauerat horam: cucurrit citius ad eccleſiam, ubi collectus omnis fratrum cœtus nocturnæ Pſalmodiæ ſolennia celebrabat: contigitq; ut ipſi quoque intrante illo præfatum canerent Pſalmum, quod ſuperna diſpenſatione procuratum rerum exitus oſtendit. Sepulto ſiquidem uiro Dei, tanta eccleſiam illàm tentationis aura concuſsit, ut plures è fratribus loco magis cedere, quàm talibus uellent intereſſe periculis. Attamen poſt annum ordinato in epiſcopatum Eadberto, magnarum uirtutum uiro, & in ſcripturis nobiliter erudito, maximeq; eleemoſynarum operibus dedito, fugatis per turbationum procellis, ut ſcripturæ uerbis utar, ædificauit Ieruſalem, id eſt, uiſionem pacis Dominus, & diſperſiones Iſraël congregauit. Sanauit contritos corde, & alligauit contritiones eorū: ut palàm daretur intelligi, quid ſignificauerit Pſalmus cum cognita beati uiri morte cantatus: quia uidelicet poſt eius obitum repellendi ac deſtruendi eſſent eius ciues, ſed poſt oſtenſionem iræ minantis cœleſti protinus miſeratione refouendi: cuius ſequentia quoque Pſalmi eidem ſenſui concordare, qui retractat, intelligit. Impoſitum autem naui uenerabile corpus patris, ad inſulam Lindisfarnenſium retulimus: quod magno occurrentium agmine, choriſq; canentium ſuſceptum eſt, atq; in eccleſia beati apoſtoli Petri ad dexteram altaris petrino in ſarcophago repoſitum.

*Quomodo puer dæmoniacus ſit humo, cui lauacrum corporis eius infuſum eſt, in aquam miſſa, ſanatus.* Caput XLI.

SEd nec defuncto ac tumulato Chriſti famulo ſigna ſanitatum, quæ uiuens exercuerat, ceſſare potuerunt. Contigit nanque puerum quendam in territorio Lindisfarnenſium atrociſsimo dæmone uexari, ita ut ſenſu rationis funditus amiſſo clamaret, eiularet, & uel ſua



membra, uel quicquid attingere poſſet, morſibus dilaniare niteretur. Miſſus eſt ad Euergumenum presbyter de monaſterio: qui cum ſolitus fuiſſet per exorciſmi gratiam immūdos fugare ſpiritus, huic tamē obſeſſo prodeſſe nil prorſus ualebat. Vnde dedit cōſiliū patri illius, ut impoſitum carro puerum ad monaſteriū deferret, atque ad reliquias beatorum martyrum quæ ibi ſunt, Dominum pro illo precaretur. Fecit ut monuerat, ſed noluere ſancti Dei martyres ei petitam reddere ſanitatem, ut quàm celſum inter ſe locum Cuthbertus haberet, oſtenderent. Cùm ergo inſanus ululando, ingemiſcendo & frendendo dentibus nimio cunctorum uiſus & auditus horrore concuteret, nec eſſet qui aliquod remedij genus excogitare quiuiſſet, tum ecce quidam de presbyteris edoctus in ſpiritu, per opitulationem beati patris Cuthberti, illum poſſe ſanari, uenit clanculo ad locum, ubi nouerat effuſam fuiſſe aquam, qua corpus eius defunctum fuerat lotum: tollenſq; modicā humi particulam, immiſit in aquam: quā deferens ad patientem, infudit in ore eius. Quo horribiliter hiante, uoces diras ac flebiles emittebat. Statim autem ut attigit aquam, cōtinuit clamorem, clauſit os, clauſit & oculos, qui ſanguinei & furibundi patebant, caput & corpus totum reclinauit in requiem. Qui etiam placido ſopore noctem tranſegit, & mane de ſomno ſimul & ueſania conſurgens, liberatum ſe à dęmonio, quo premebatur, beati Cuthberti meritis & interceſsione cognouit. Mirandum, & bonis omnibus delectabile ſpectaculum, cum uideres filium cum patre ſoſpitem loca ſancta circumire, ſanctorum auxilio gratias ſaniſsima mente referre, qui pridie præ inſania mentis nec ſeipſum, qui eſſet, uel ubi eſſet, poterat agnoſcere. Qui ubi tota fratrum caterua aſtante, uidente & congratulante ad reliquias martyrum genibus flexis dedit laudem Deo, Domino & ſaluatori noſtro Ieſu Chriſto: iam & ab hoſtis uerbere liberatus, & in fide firmior, quā fuerat effectus, ad propria redijt. Oſtenditur uſque hodie foſſa illa, cui memorabile infuſum eſt lauacrum, quadrato ſchemate facta, ligno undique circumdata, & lapillis intus impleta. Eſt autem iuxta eccleſiam, in qua corpus eius requieſcit, ad partem meridianam: factumq; eſt ex eo tempore, ut plures ſanitatum operationes per eoſdem lapides uel eandem terram Domino donante fierent.

*Quomodo corpus ipſius poſt undecim annos ſit ſine corruptione repertum.* Cap. XLII.

VOlens autem latius monſtrare diuina diſpenſatio, quāta in gloria uir ſanctus poſt mortem uiueret, cuius ante mortem uita ſublimis, crebris etiam miraculorum patebat indicijs, tranſactis ſepulturæ eius annis undecim, immiſit in animo fratrum, ut tollerent oſſa illius, quæ more mortuorum conſumpto, iam & in puluerem redacto, corpore reliquo ſicca inuenienda rebantur, atque in leui arca recondita, in eodem quidem loco, ſed ſupra pauimentum dignę uenerationis gratia locarent. Quod dum ſibi placuiſſe Eadberto antiſtiti ſuo medio fermè quadrageſimæ tempore referrent, annuit conſilio eorum, iuſsitq; ut die depoſitionis eius, quæ eſt tertiadecima Kalendarum Aprilium hoc facere meminiſſent. fecerunt autem ita. Et aperientes ſepulchrum, inuenerunt corpus totum, quaſi adhuc uiueret integrum, & flexibilibus artuum compagibus multo dormienti quàm mortuo ſimilius: ſed & ueſtimenta omnia quibus indutum erat, non ſolùm intemerata, uerumetiam priſca nouitate & claritudine miranda parebant. Quod ubi uiderunt, nimio mox timore & tremore ſunt perculſi, adeò ut uix aliquid loqui, uix auderent intueri miraculum quod parebat, uix ipſi quid agerēt, noſſent. Extremam autem indumentorū eius partem pro oſtendendo incorruptionis ſigno tollentes (nam quæ carni illius proxima aderant, prorſus tangere timebant) feſtinarunt referre antiſtiti quod inuenerant: qui cùm fortè in remotiore à monaſterio loco refluis undique maris fluctibus cincto ſolitarius manebat (in hoc etenim ſemper Quadrageſimæ tempus agere, in hoc quadraginta ante Dominicum natale dies in magna continentiæ, orationis & lachrymarum deuotione ducere conſueuerat) in quo etiam uenerabilis præceſſor eius Cuthbertus, priuſquam Farne peteret, ſicut & ſuprà docuimus, aliquandiu ſecretus Domino militabāt. Attulerunt autem & partem indumentorum, quæ corpus ſanctum ambierant. Quæ cùm ille & munera gratanter acciperet, & miracula libenter audiret (nam & ipſa indumenta, quaſi patris adhuc corpori circumdata, miro deoſculabatur affectu) Noua, inquit, indumenta corpori pro his quæ tuliſtis circumdate, & ſic reponite in thecam, quam paraſtis. Scio autem certiſsimè, quia non diu uacuus remanebit locus, qui tanta cœleſtis miraculi uirtute conſecratus eſt. Et beatus eſt multum, cui in eo ſedem quieſcendi Dominus ueræ batitudinis author atque largitor concedere dignatur: adiecitque mirando, quæ quondam uerſibus dixi, & ait,

Quis Domini expediet cœleſtia munera dictis,
Vel Paradiſiacas, quæ capit auris opes?
Dum pius infeſti dirupto pondere lethi,
Viuere ſiderea ſemper in arce dabit.
Mortua nūc tanto, qui mēbra decorat honore,
Pulchraq; perpetuæ pignora præſtat opis:
Quāq; beata domus, ſub tāto q̄ hoſpite fulges,
Neſcia quæ næui lumine læta micas.
Nec tibi difficile omnipotēs mādare ſub aruo,
Ne depoſta uoret funera labes edax.
Qui triduo ſeruas ceti ſub uiſcere uatem,
Lucis iter pandens, mortis ab ore tuo:
Qui ignibus in medijs inſontia mēbra tueris,
Ne Hebræū lædat Chaldæa flamma decus.
Dena quater renouas p̲ frigora plebis amictū,
Quæ phariam fugiens inuia ſeruat humum:
Qui

Qui rediuiua leuem formas in membra fauillã,
Cum tremet angelicis mundus ab axe tubis.

Hæc ubi multis cum lachrymis, ac magna compunctione pontifex tremente lingua compleuit, fecerunt fratres ut iuſſerat, & inuolutum nouo amictu corpus, leuiq; in theca reconditum, ſupra pauimentũ ſanctuarij cõpoſuerunt.

*Quomodo corpus Eadberti epiſcopi in tumulo uiri Dei ponentes, ſarcophagum illius deſuper poſuerunt.* Caput XLIII.

INterea Deo dilectus antiſtes Eadbertus morbo corripitur acerbo, & creſcente per dies, multumq; ingraueſcente ardore languoris, nõ multo pòſt, id eſt pridie nonas Maias, etiam ipſe migrauit ad Dominum, impetrato ab eo munere, quod diligentiſsimè petierat: uidelicet ut non repentina morte, ſed longa excoctus ægritudine tranſiret è corpore. Cuius corpus in ſepulchro beati patris Cuthberti ponentes, appoſuerunt deſuper arcam, in qua incorrupta eiuſdem patris membra locauerant: ubi nunc uſque, ſi petentium fides exigat, miraculorum ſigna fieri nõ deſinunt. Sed & indumenta, quæ ſanctiſsimum corpus eius, uel uiuũ uel ſepultũ ueſtierant, à gratia curandi nõ uacant.

*Qualiter ægrotus ad tumbam eius orando ſit ſanatus.* Caput XLIIII.

DEniq; adueniens tranſmarinis è partibus clericus quidam reuerendiſsimi & ſanctiſsimi Vuilbrordi clementis Freſonum gentis epiſcopi, dum aliquot dies ibidem hoſpes moraretur, decidit in infirmitatem grauiſsimam, ita ut inualeſcente per longum tempus ægritudine iam deſperatus iaceret: qui cum uictus dolore, uideretur ſibi nec mori nec uiuere poſſe, inuento ſalubri cõſilio, dixit miniſtro ſuo, Obſecro perducas me hodie poſt celebratas miſſas, adorare ad corpus ſacratiſsimum uiri Dei (erat enim dies Dominica) ſpero per gratiam interceſsionis eius his cruciatibus eripiar, & uel ſanatus ad præſentem uitam redeam, uel defunctus perueniam ad æternam. Fecit ille ut rogauerat, baculoq; innitentem ægrotum in eccleſiam non paruo cum labore perduxit. Qui cum ad ſanctiſsimi, ac Deo dilecti patris ſepulchrum genua curuaret, caput in terram dimitteret, pro ſua ſoſpitate rogaret, tantas cõtinuò uires ſuum corpus de incorrupto illius corpore accepiſſe perſenſit, ut abſq; labore ipſe ab oratione reſurgeret, abſque adminiculo uel miniſtri ducentis uel baculi ſuſtentantis ad hoſpitium rediret: qui poſt dies paucos roborata ad integrũ uirtute, uiam quã diſpoſuerat, peregit.

*Quomodo paralyticus per eius calceamenta ſit ſanatus.* Caput XLV.

ERat in monaſterio quodam non procul inde poſito adoleſcens, ea quam Græci paralyſin uocant, infirmitate, omni membrorum officio deſtitutus: unde abbas ipſius ſciens in monaſterio Lindisfarnẽſi medicos eſſe peritiſſimos: miſit eum illò, rogans, infirmanti ſi quid poſſent, curationis conferrent. Qui cum ſuo quoque abbate & epiſcopo iubentibus diligẽter illi aſsiſterẽt, & quicquid noſſent erga eum induſtriæ medicinalis impenderent, nihil omnino proficere ualebant: quin potius creſcebat quotidie morbus, & paulatim in deteriora uergebat, adeò ut excepto ore nullum penè membrum poſſet loco mouere. Cum'que à carnalibus medicis diu fruſtra laborãtibus deſperatus ac deſertus iaceret, confugit ad diuinum medici cœleſtis auxilium, qui in ueritate petitus, propitius fit omnibus iniquitatibus noſtris, qui ſanat omnes languores noſtros. Rogauit nanque miniſtrum ſuum, ut aliquam ſibi portiunculam de incorruptibilibus ſacri corporis afferret exuuijs, quia crederet per huius ſe uirtutem ad gratiam ſanitatis Domino largiente reuerſurum. Qui conſulto abbate attulit calceamenta, quæ uiri Dei in ſepulchro pedes induerant, & ea pedibus diſſolutis ægroti circumdedit: ſiquidem primò à pedibus eum paralyſis apprehenderat. Fecit autem hoc noctis initio, cum tempus requieſcendi adeſſet: ſtatimq; ille placidum dimiſſus in ſoporem, procedente intempeſtæ noctis ſilentio, cœpit alternis palpitare pedibus, ut palàm qui uigilabant, & uidebant, miniſtri animaduerterent, quia donata per reliquias uiri ſancti uirtute medicandi, ſanitas optata à planta pedum per cætera membra eſſet tranſitura. At ubi conſuetum in monaſterio nocturnæ orationis ſignum inſonuit, excitatus ſonitu reſedit ipſe. Nec mora, ſolidatis interna uirtute neruis, artuumq; compagibus uniuerſis, & dolore fugato, ſanatum ſe eſſe intelligens ſurrexit, & in gratiarum actione Domino omne nocturnæ ſiue matutinæ pſalmodiæ tempus ſtando perſoluit: mane autem iam facto, proceſsit ad eccleſiam, uidentibusq; & congratulantibus uniuerſis, circumiuit loca ſancta orando, & ſuo Saluatori ſacrificium laudis offerendo. Factum namque eſt, ut pulcherrima rerum conuerſione, is qui diſſolutus toto corpore illuc in uehiculo perlatus fuerat, inde ſtrictis firmatisq; membris omnibus domum per ſe rediret incolumis. Vnde meminiſſe iuuat, quia hæc eſt immutatio dexteræ excelſi, cuius memoranda ab initio mirabilia mundo fulgere non ceſſant.

*Qualiter anachoreta Felgildus operimento parietis eius in uultu ſit mundatus.* Caput XLVI.

NEc prætereundum arbitor, quid miraculi cœleſtis etiam per reliquias ſanctiſsimi oratorij, in quo pater uenerabilis ſolitarius Domino militare conſueuerat, diuina pietas oſtenderit: quod tamen utrum meritis eiuſdem beati patris Cuthberti, an ſucceſſoris eius Ediluualdi, uiri æquè Deo diti, aſcribendum ſit,



ſit, internus arbiter nouerit. Neque aliqua ratio uetat utriuſque merito factum credi, comitante etiam fide reuerendiſsimi patris Felgildi, per quem & in quo miraculum ipſum, quod refero, ſanationis completum eſt. Ipſe eſt, qui tertius eiuſdem loci & militiæ ſpiritualis hæres hodie maior ſeptuagenario in magno uitæ futuræ deſiderio terminum præſentis expectat. Cùm ergo uiro domini Cuthberto ad cœleſtia translato, Ediluualdus eiuſdem inſulę & monaſterij colonus exiſtere cœpiſſet, qui & ipſe multos antea per annos in monachica conuerſatione probatus, ritè gradum anachoreticæ ſublimitatis aſcenderat, reperit: quia parietes præfati oratorij, qui tabulis minus diligenter coaptatis erant compoſiti, longa eſſent uetuſtate diſſoluti, & ſeparatis ab inuicem tabulis, facilem turbinibus præbuiſſent ingreſſum. Sed uir uenerabilis, qui cœleſtis ædificij magis quàm terreni decorem quærebat, ſumpto fœno uel argilla, uel quicquid huiuſmodi materiæ reperiſſet, ſtipauerat rimulas, ne quotidianis imbrium ſiue uentorum iniurijs ab orandi retardaretur inſtantia. Cùm hæc igitur Ediluualdus ingreſſus locum uidiſſet, poſtulauit à frequentantibus ſe fratribus pelliculam urtuli, eamq; in illo angulo quo & ipſe & prædeceſſor eius Cuthbertus ſæpius orans, ſtare, uel genu flectere ſolebat, clauis affixam uiolentijs procellarum oppoſuit. At poſtquam ipſe quoque expletis ibi duodecim continuis annis, gaudium ſupernæ beatitudinis intrauit, ac tertius locum eundem Felgildus incolere cœpit: placuit reuerendiſsimo Lindisfarnenſis eccleſiæ pontifici Eadfrido, diſſolutum uetuſtate oratoriũ illud à fundamentis reſtaurare. Quòd dum eſſet opus expletum, & multi deuota religione à beato Chriſti athleta Felgildo poſtularent, quatenus aliquam illis particulam de reliquijs ſancti ac Deo dilecti patris Cuthberti, ſiue ſucceſſoris eius Ediluualdi dare debuiſſet: uiſum eſt illi diuiſam particulatim memoratam pelliculam petentibus dandam: ſed daturus eam alijs, prius in ſe ipſe, quid hæc uirtutis haberet, expertus eſt. Habebat namq; uultum deformi rubore, ſimul & tumore perfuſum, cuius quidem futuri in eo languoris, & prius cum adhuc communi inter fratres uita degeret, aſpicientibus in facie eius ſigna patebant. At cum in ſolitudine remotus minorem corpori cultum, maiorem adhiberet continentiam, & quaſi diutino carcere incluſus rarius uel fotu ſolis uel aëris uteretur afflatu, excreuit languor in maius, faciemq; totam tumenti ardore repleuit. Timens ergo, ne fortè magnitudine huiuſmodi infirmitatis ſolitariã deſerere uitam, & communem neceſſe eſſet conuerſationem repetere, fideli uſus eſt præſumptione, ſperauitq; ſe illorum ope curandum, quorum ſe manſionem tenere, & uitam gaudebat imitari. Mittens enim præfatæ partem pelliculæ in aquam, ipſa aqua lauit faciem ſuam, ſtatimq; tumor omnis, qui hanc obſederat, & ſcabies fœda receſsit. iuxta quod mihi & primò religioſus quidam presbyter huius monaſterij Gyruenſis indicauit, qui ſe uultum illius, & prius tumentem ac deformem noſſe, & poſtea mundatum per feneſtram manu palpaſſe referebat: & ipſe poſtmodum Felgildus retulit, aſtruens, quia res, ita ut presbyter narrauerat, eſſet expleta, & quòd ex eo tempore cum incluſus per multa annorum curricula maneret, ut prius immunem ab huiuſmodi moleſtia uultum ſemper haberet, agente gratia Dei omnipotentis, quæ & in præſenti multos, & in futuro cordis & corporis noſtri languores ſanare conſueuit: ſatiansq; in bonis deſiderium noſtrum, ſua nos in in perpetuum miſericordia & miſeratione coronat.

CVTHBERTI EPISCOPI ET CONFESSORIS VITAE, FINIS.

Beati

# Beati Felicis confeſſoris uita.

FELICISSIMVM beati Felicis triumphum, quem in Nola Campaniæ ciuitate Domino adiuuante promeruit, Paulinus eiuſdem ciuitatis epiſcopus, uerſibus hexametris pulcherrimè ac pleniſsimè deſcripſit: qui quia metricis potius quàm ſimplicibus ſunt habiles lectoribus, placuit nobis ob plurimorum utilitatem eandem ſancti cōfeſſoris hiſtoriam planioribus dilucidare ſermonibus, eiuſq; imitari induſtriam, qui martyrium beati Caſsiani de metrico opere prudenti in commune, apertumq; omnibus eloquium tranſtulit. Igitur Felix natus eſt in Nola quidem Campaniæ, ſed patre Syro, nomine Hermia, qui de oriente Nolam ueniens, ibidemq; quaſi indigena inhabitās, genuit filium Felicem, eiq; defunctus reliquit hæreditatem ſubſtantiæ locupletis, cui tamen ipſe promiſſæ in cœleſtibus hæreditatis dona propoſuit. Habuit autem & fratrē cognomine ſui patris, id eſt, Hermiā, cum quo patrimonium diuideret terrenum, qui longè à Felicis moribus agens, atq; ideo felicitate indignus perpetua effectus eſt. Nam terrena ſolummodò bona diligere ſtuduit, & Cæſaris potius quàm Chriſti eſſe miles elegit: at contrà, Felix nominis ſui myſterium factis exequens, mox à puero ſe diuino famulatui ſubiecit, & creſcente gratia uirtutum, primò lectoris officium in eccleſia ſuſcepit, ac pòſt ad exorciſtæ gradum prouectus, immundos ex obſeſsis corporibus ſpiritus eijcere cœpit. Cumq; & in hoc miniſterio uirtutibus clarus extitiſſet, non mora condignum meritis presbyterij gradum ſubijt. Nec minor gradu, mente & opere remanſit, ſicut & iam adueniens tentationum turbo probauit. Nam tempore eodem exorta infidelium perſecutio, graui eccleſiam certamine pulſauit: nec tamen portæ mortis portas filiæ Syon, ab annuncianda laude ſui creatoris auertere potuerunt. Cumq; magiſtri auctoreſq; perfidiæ, primum ſuæ ueſaniæ conflictum contra ipſos ueritatis ac fidei Dominicę magiſtros intendiſſent, primoſq; epiſcopos uel presbyteros eccleſiarū ad terrorem minorum, aut morti tradere, aut ad negandam fidem cogere conſpiraſſent: factū eſt, ut miniſtri erroris, & infeſti furoris, Nolam quoq; perueniētes, epiſcopum urbis illius nomine Maximū, uirum doctrina, pietate atq; ætate uenerabilē, ad tormenta quęrerent: quod ille animaduertēs, memor Dominici præcepti, quod dictum eſt, Cum uos perſecuti fuerint in ciuitate iſta, fugite in aliam: petit ad tempus ſeceſſum loci remotioris, relicto ad tuitionem ciuitatis Felice presbytero, quem filij loco amplectebatur, atq; hæredē ſuæ ſedis accipere deſiderabat. At perſecutores ubi epiſcopum inuenire nequiuerunt, nihil morati manus in Felicem mittere contendunt, eumq; primum quaſi maximum poſt epiſcopum urbis, arcent à conſtantia famoſæ ſuæ uirtutis deijcere, uel blandiendo promiſsis, uel pœnis terrendo ſatagūt. Comprehenſus igitur Felix ab aduerſarijs furentibus, ſed ipſe multū de interna ſpiritus ſancti conſolatione confiſus, mittitur in carcerem tenebrarum, manus ſimul & collum ferrea uincula ſtringunt: neruo pedes arctantur, fragmenta quoq; teſtarum ſubter eum ſternebantur, nę inter horrorem, & frigora longę noctis ligatus, uel ſomnum, uel requiem capere aliquam, continuo horum acumine compunctus ſineretur. Interea epiſcopus, qui ad montium latibula hoſtem fugiendo ſeceſſerat, & ipſe non minore martyrium paſsione gerebat, quàm ſi ferro uinctus, aut teſtis ſuperpoſitus, uel flammis eſſet datus urentibus. Vrebat namq; animum illius cura maxima ſui gregis: urebat & corpus fames, unà cum gelidi rigore hyemis, qui intra ſpineta ſine tecto & alimento iacens, noctem unà cū die peruigil ſollicitis continuabat in precibus. Nec difficile membra ſenilia, & longis exhauſta ieiunijs, tanta uis malorum comprimens, ad mortem uſq; coēgit: ſed ut ſuperna pietas apertiſsimè, quanta ſui cura uir ille dignus eſſet, oſtenderet, mittitur è cœlo angelus, qui beatum Felicem confeſſorem, uinculis exemptum, ad quærendum, recreandum, ac domi reuocandū, antiſtitem ocyus uenire præciperet. Erant autem plures eodem in carcere clauſi, ſed angelus adueniens ſoli Felici, qui pietatis gratia uinctus erat, apparuit, luce ſplendens coruſca, & ipſam quoq; domum gratia lucis adimplens, cuius uoce ſimul & luce Felix motus intremuit. Ac primùm quidem ſe ſomnij imaginè illudi putauit: at angelus ſurgere illū, & ſe ſequi exeūdo præcepit: qui ſtupens ad imperium iubentis, cauſabatur ſe exire non poſſe, quia & uinculis, & clauſtro carceris, & cuſtodum diligentia teneretur. Porrò angelus iterata uoce ſurgere illum properè nihil obſiſtentibus uinculis iuſſit, & dicto citius catenæ de manibus & collo eius, & compedes cecidere de pedibus. Duxit autem illum foras miro rerum ordine, aperta ſibi quidem ianua carceris: ſed cæteris clauſa, ita ut per ipſos cuſtodes, quibus claudebatur, ignaros rerum iter agerent, ipſo angelo inſtar columnæ Moſaicæ, & ducatum Felici, & lumē uſq; dum hoſtium manus euaderet, præſentiæ ſuæ fulgore prębente. Vt autem peruenit beatus cōfeſſor Felix ad locum deſerti, quò epiſcopus ſeceſſerat, inuenit eum ægra ſuſpiria tenui flatu trahentem: & quidem gauiſus, quòd eum uiuentem inuenerat, contriſtatus uerò eſt multum, quòd inuentum morti proximum uidit. Itaq; amplexus & oſculatus eſt patrē, cœpitq; tentare, ſi fortè crebro anhelitu ſui oris & ſui fotu corporis, aliquid caloris poſſet gelidis eius artubus afferre. Cum uerò laborās, neq; clamādo, neq; tangendo aliquid ſenſus uitalis in eius





poſſet uel animo excitare, uel corpore: ſed neq; ignem aut alimentum in proximo, quo eum rigentem ac tabeſcentem recrearet, haberet: tandem inuento ſalubri conſilio, flectit genua ſua ad patrem Domini noſtri Ieſu Chriſti, ſuppliciter obſecrans, ut ipſe cœlitus eum iuuaret, quo miniſterium pietatis, quod iuſſus erat erga patrem ſuum, explere ualeret. Nec mora exauditus, uidit pendentem uicinis in ſentibus uuam: & illius eſſe munus agnouit, qui naturarum cōditor atque auctor omnium, & aquam de petra produxit arida, & ipſam cum uoluit in uinum conuertit. Lætatuſq; multum hoc munere diuinæ pietatis, tulit racemum, atq; ad os epiſcopi morientis admouit: ſed quia ille ſtrictis dentibus inſtar mortui, utpote omni ſenſu & cordis & animæ carens, oblatum ſibi guſtum prorſus accipere neſciebat, tandem ſanctus presbyter Felix felici manuum ſuarū luctamine aperuit arida eius labia: & ſic ori eius reſoluta uua, quātū potuit, ſucci ſalutaris infudit. Quo guſtato, mox pater ſenſum & animæ recepit, & corporis aperiuntur oculi, lingua quæ ſiccis hærebat faucibus ad loquendum ſoluta eſt: & ubi plenè reuiuiſcens Felicem eſſe, qui ad ſe quærendum ueniſſet, agnouit, paterna illum pietate complexus, & quare tam ſerò ueniret conqueſtus. Vbi inquiens, tamdiu demoratus es fili? Nam te iamdudum Dominus ad me uenturum promiſerat. Vides autem, quia ſi fragilitate uictus corporis ad horam ceſsi, ſolidam tamen animi fidelis conſtantiam ſeruaui, ſicut etiam loci huius, ad quem ſeceſsi, ſtatus indicat. Poterā quidem ad uicum aliquē ſiue aliam urbem, ubi ab hoſtibus eſſem tutus, intrare, ſi mihi uilis fides, & chara hæc uita fuiſſet: nunc autem cuncta hominum refugia declinans, ad deſerta uerò montium confugiens, diuinæ tantum me gratiæ tuitioni credidi, ut uidelicet meipſe quocunq; modo uel ordine uellet, aut in hac uita conſeruaret, aut in futuram transferret. Neque uerò me ſpes quæ in Deum erat, fefellit, ſicut tuo manifeſtè probatur aduentu, per quem ab ipſo, ut ita dixerim, limine mortis ſum reuocatus ad uitam. Vnde nate mi, complere feſtinus cœptum pietatis opus curato, & impoſitū me humeris domum reportare ſatage. Quibus dictis Felix celerrimè quòd iubebatur, expleuit: reuectūq; in humeris antiſtitem ſuam ad domum retulit, quam unica ſeruabat ànus. In tantum namque antiſtes uenerabilis à mundi erat rebus alienatus, ut illi de omni turba domus, & ſumma cenſus, anus una ſupereſſet. Pulſatis ergo foribus hāc ſuſcitauit Felix, ſurgentiq;, ac ianuam aperienti dedit & commēdauit epiſcopum. Tunc epiſcopus pro impenſo ſibi officio pietatis, beato Felici debitam gratiarum retulit actionem, & impoſita capiti eius dextera, paterna illum benedictione donauit: qui egreſſus inde, paucis diebus & ipſe in domo ſua, donec perſecutionis turbo ceſſaret, delituit. Quod dum fieret deſeruit latebram, & lætantibus de ſuo aduentu ciuibus ſeſe lætum reddidit; ac per omnia digrediens, ſolabatur & confortabat uerbo exhortationis animos ſingulorum, qui acerbitate præmiſſę tempeſtatis non modicum fuerant conturbati. Nec ſolum uerbo, ſed & ſuo illos docebat exemplo, & proſpera mundi, & aduerſa deſpicere, ſola æternę patriæ gaudia quęrere, ſolam ſuperni iudicis iram formidare. Rurſum mota perſecutione quæritur Felix, ueniuntq; hoſtes uſque ad habitaculum eius, illum ocyus rapere, ac morti tradere ſitientes, qui tum fortè ab ædibus ſuis abſens in medio ciuitatis cum amicis conſiſtebat, ſibi ſolito uerbum fidei circumſtantibus turbis prædicabat: quem eo loci eſſe audiētes aduerſarij, mox ſtrictis gladijs adcurrunt: ſed peruenientes ad eum, mutato diuina prouiſione aut uultu ipſius, aut corde illorū, nequaquā eum quem optimè nouerant, agnoſcere ualebant. Interrogātibus ergo ipſum, ubi eſſet Felix: intellexit uir prudentiſsimus, diuinitus actum eſſe, ne eum cognoſcerēt, ridenſq; inquirentibus, Neſcio inquit, Felicem, quem quæritis. Nec prorſus fefellit: nemo enim ſeipſum facie nouit: qui ſtatim relinquentes eum, diuerterunt aliò: & quos fortè obuios habebant, interrogabant, ubi eſſet Felix: è quibus unus cauſæ prorſus ignarus, & furere eos credens, cœpit obiurgare eos dementiæ, qui præſentem non poſſent cognoſcere eum, cum quo loquebantur: pariterq; eis quò diſcederet ille, quem quærebant, oſtendit. qui grauius furentes, ſtatim ueſtigia beati Felicis inſequuntur. At ille adpropinquantibus ad ſe eis, admonitus tumultu præcurrente ciuitatis, & clamoribus attoniti, aduentu hoſtium uulgi ſeceſsit in ſecretiorem locum: qui nil quidem munimenti firmioris habens, ſemiruti tantū muri erat fragmine præſeptus, ſed mox ut uirum Dei recepit, miro diuinæ manus eſt opere tutatus. repentino etenim rudere concreuit ibidem agger, qui eundem locum præcluderet: ſed & aranea diuino nutu, cui omnis creatura deſeruit, confeſtim nutantes ipſo in loco, telas ſuſpēdit. quò cum perueniſſent, obſtupuerunt hoſtes, & preſſo gradu loquebantur mutuò, dicentes, Nonne ſtultum eſt nos huc hominem quærendo ingredi, cum liquidò appareat, neminē hic præiſſe: quia ſi quiſpiam intraſſet, nequaquam hic aranearum fila integra remanerent, quæ etiam muſcæ perrumpentes minimæ nonnunquam ſcindere ſolent. Conſtat ergo, quia qui huc ſeceſsiſſe Felicem dixit, aſtu fecit, ut nos ab eius inuentione longius abſtraheret: ergo recedamus, ac dimittamus hic hominis latebras ſcrutari, ubi ipſa loci facies neminem intraſſe præmonſtrat. ſic deluſa ſolicitudine quęrentium, diſcedunt properè frementes: & non minus quàm infelicem rabida mēte frēdentes, in eum qui ſe in loca talia ſuis dolis induxerat, ubi multa claruit ſapientia pij cōditoris ac protectoris noſtri. Certè nonnunquam muri urbiū altiſsimi ac munitiſsimi, ciues ſuos obſidentibus aduerſarijs produnt, magis quàm liberant: & humilem Chriſtus famulū ſuum perſequentibus

tibus armatis hoſtibus, tremulis aranearum caſibus ne inueniri uel capi poſsit, abſcōdit, uerè ut uenerabilis pater Paulinus de his loquens ait, Vbicunq; Chriſtus adeſt nobis, & aranea, murus fiet: at cui Chriſtus abeſt, & murus, aranea fiet. Diſceſſerunt ergo incumbente iam ueſpera hoſtes: & Felix illis abeuntibus, liberior alias petit latebras, gaudens de adiutorio diuinæ protectionis, ſecumq; decantans: Nam etſi ambulem in medio umbræ mortis, non timebo mala, quoniam tu mecum es. Die autem facta, ſeceſsit in locum inter ipſa ædificiorum tecta ſecretiorem, ubi ſex menſibus continuis ab hominum quidem notitia omniū ſegregatus, ſed diuinæ præſentiæ gratia fretus manebat abſconditus, uidelicet iuxta uocem pſalmiſtæ, In abdito uultus eius à conturbatione hominum: qui etiam miro illum, atque hominibus inuſitato ordine, tanto temporis ſpacio pauit. Manebat namque in uicinis ædibus quædam deuota Deo mulier, cuius miniſterio neſcientis, ſcienter ipſe totius ſcientiæ fons & origo Dominus utebatur. coquebat enim panes mulier, coquebat alias eſcas in cibaria domus ſuæ: & facta in exceſſu eo loci inferebat has, ubi Felix confeſſor latebat, ibiq; ſumendas illi ponebat, ita ut neque huc ſe intraſſe, neque rediſſe unquam ſcire poſſet: ſed præparatas eſcas domi ſe credens, ita ſemper abibat ponendas memor: & poſita mox immemor eſcæ. ſic beatum Felicem ferunt ſex, ut dixi, menſibus in eiſdem latebris obſcuri & anguſti tecti mãſiſſe ab humana quidem ſocietate ſeiunctum, ſed nunquam ciuium ſupernorum pręſentia deſertum: & parco nimirum uictu, ſed cœlitus miniſtrato, uitam duxiſſe Felicem, quo tempore perhibetur etiam diuinæ collocutionis dono ſæpius dignus fuiſſe habitus. hærebat autem ijſdem, in quibus morabatur habitaculis, ciſterna uetus, de qua ipſe in primis potum paruum hauriebat: ſed hæc quamuis nimio æſtatis eſſet ſiccata calore, non tamē beato confeſſori unde uiueret, defuit. etenim pius cōditor ac prouiſor ſalutis noſtræ, qui quondam ſicco aëre cætero, unum ſolum modo uellus pluuia cœleſti perfudit, ipſe confeſſori ſilente prorſus, & ſereno aëre, pro ut opus habebat, occulti roris gratiam, qua ſitiens recrearetur, miniſtrauit. Completo autē hoc tempore, admonitus eſt oraculo diuino procedere de latebris, eo quòd iam perſecutionis turbo pertranſiſſet: qui ut repentinus apparuit in publico, gratiſsimè ab omnibus quaſi paradiſo ueniens, ſuſceptus eſt: cœpitq; ex tempore fidem confirmare omnium, quæ ſæuitia tempeſtatis erat nimium cōuulſa. Interea Deo dilectus antiſtes Maximus longa prouectus ætate, diem clauſit ultimum. Nec mora Felix in epiſcopatū omnium iudicio eligitur, qui & confeſſor inuictiſsimus, & doctor extitit ſuauiſsimus: & quæ ore docebat, ipſe cuncta opere compleuit. Verùm Felix ut etiam humilitatis quãtam in corde haberet ſublimitatem, inſinuaret, uerecunda ſe uoce ne hunc gradum ſuſcipere deberet, excuſauit dicens: Cōpresbyterum ſuum quintum, multo dignius honorem præfati gradus poſſe ſubire, eo quòd is ſeptem diebus, antequam ipſe ad ordinem presbyterij fuiſſet promotus. quod ita ut poſtulabat, expletum eſt: ſuſceptumq; epiſcopatus officiū, ita idem quintus adminiſtrauit, ut humiliter beatiſsimo confeſſori ſubmiſſus illum pro ſe ad populum ſermonem facere iuberet: & ipſe plebem officio, Felix doctrina regeret: qui uidelicet Felix cū cōſtãtia cōfeſsionis, & uirtute ualde pręclarus eſſet, humilitatis etiã ſummus uoluntariæ paupertatis amator extitit. Poſſederat nanque ex paterna hæreditate prædia multa, domusq;, ac diuitias plurimas: ſed tēpore perſecutionis proſcriptus cuncta amiſerat. At uerò pace eccleſijs reddita, cū poſſet ſua iura repetere, nequaquã ultra uolebat: ſed amicis ſuadentibus, ut debita ſibi iura repoſceret. Quæ recepta cum fœnore magnę mercedis diſpergere, ac dare pauperibus poſſet, nullatenus id facere cōſentiens, forti ſententia ſuggeſtiones eorum repellebat, dicens, Omnia mihi licent, ſed non omnia expediunt. abſit enim ut res, quas cauſa cōfeſsionis perdidi, repetã: abſit ut terrenas opes, quas cœleſtium bonorum contemplatione ſemel contempſi, quaſi hæc minus ſola ſufficiant, ulla ratione repoſcam: quin potius pauper ſpiritu ſequar Ieſum, quò opulentius regni cœlorum dona percipiam: nec diffidēdum, quin ille qui me & uinculis tenebriſq; diri carceris eripuit; & ab hominibus ſecretum tanto tempore pauit, etiam cætero uitæ meæ ſpacio, iactantem in ſe cogitatum meum, ipſe me enutriet. hunc retinens animum beatus confeſſor, tria tantum iugera ruris modici, & hæc conducta, & unū hortulum proprij iuris, unde uiueret, habuit. Sed hæc utraque ne uno quidem famulo adiutus, propria manu coluit: fructum autem eiuſdem ſuæ meſsis, uel hortuli adultū cum pauperibus ſemper communicare gaudebat. Eandem autē & in habitu parſimoniam uir beatiſsimus ſectabatur, ita ut ſimplici tantum ueſtimento, & qui nonnunquam uix ſibi ſufficeret, eſſet cōtentus: ſi quid uerò ſupereſſet, pauperibus erogaret: & ſi fortè aliunde contigit, ut geminum haberet indumentū, mox nudum meliore refouit. Tali uiuens pietate uir & nomine & merito Felix, plenus dierum atq; operum bonorum defunctus eſt: ac uiam patrum ſecutus, æternam eſt receptus in gloriam, ſicut etiam ſigna quæ in eccleſia, in qua ſepultus eſt, ſunt facta, perplura teſtantur. Erat enim ibi quidam ruſticus pauper rebus, ſed fide integer, qui anguſtam pauperiē duorum ſolummodò boum poſſeſsione ſuſtentabat, uel ipſe uidelicet his utens, uel uicinis utendos, pacta mercede commutans: quos cum multa inops cura diligeret, atque ſeruaret, quadam nocte furto ablatos perdidit, at mane facto, cum eos furatos certiſsimè comperiſſet, amiſſa omni ſpe ſuæ quæſitionis, uel inuentionis petit rapido curſu eccleſiam ſancti Felicis, ibidemq; adueniens, ante fores domus ſanctæ





proſternitur, fixoq; in terram uultu implorat & obſecrat ſanctum Felicē, reddere ſibi boues, quas perdiderat: teſtatus multum cum lachrymis, nunquam ſeipſum, ſi non boues reciperet, exiturum. Quod dum die toto uoce quidem ruſtica, ſed fideliſsima mente feciſſet, ſuperueniēte ueſpera, eiectus eſt uiolentia turbæ, & ſacris propulſatus ab ædibus. uenit autem domum, nec omittit continuis in lamētis noctem ducere peruigilem, uerùm quia omnis qui petit accipit, & qui quęrit inuenit, & pulſanti aperietur, & ſicut pſalmiſta ait, deſiderium pauperum exaudiuit Dominus: medio noctis tempore cum cæteris hominibus, ac rebus omnibus quietis, ipſe ſolus excitante ſuo dolore, ac paupertate peruigil iaceret: mirum dictu, uenire ſubitò ad hoſtium eius boues, quos quærebat, diuino uidelicet nutu, & prædonibus erepti, ad domum Domini per loca auia inter tenebras noctis errorisq; reuocati: pulſanteſq; cornibus hoſtia eius, in quo manebat tugurij, iam ſeſe aduenìſſe ſignabant: ſed ille multum tremens, nō iam boues ſuos, ſed fures ſibi rurſus adeſſe credēs, diutius fores aperire tardauit, donec idem boues, quaſi cauſam Domini tardantis intelligentes, mugitu quoque emiſſo ſe eſſe, qui ad oſtia domeſtica pulſaſſent, demonſtrarent: receptis autem bobus ruſticus, non ruſticè ſed doctè ac fideliter agens, feſtinauit primo mane debitas redditori ſuo gratias rependere: aſſumēs enim ſecum boues, uenit ad eccleſiam ſancti Felicis, omnibus & illò iter faciens, & ibidem perueniens, beneficia quæ à ſancto confeſſore percepiſſet, lętabunda uoce replicans, & oſtendens: & quia multū plorans uel inquirendo ſuos boues, uel in recipiendo præ gaudio oculorū quoque aciem non minimum læſerat: & huius detrimenti ſolatium à beato Felice quærens, accepit: ſicq; domum redijt, duplici gratiæ cœleſtis munere repletus. Cumq; in honorem eiuſdem beati confeſſoris, auguſtior eccleſia fabricaretur, erant in proximo ipſius eccleſiæ duo ruſtica ędificia importuna ſitu, ſimul & deformia uiſu, quæ omne decus eccleſiæ non parum ſua obſcuritate fœdabãt. Volens autem uenerabilis, ac Deo dilectus antiſtes Paulinus tolli hæc ædificia, & emundari loca, in quibus ſita fuerant, poſtulauit eos, ad quorum poſſeſsionem pertinebant, hanc beato Felici præbere reuerentiã, ut ad illuſtrandum decorandumq; locum eccleſiæ eius priuata ſua tecta paterentur auferri. at illi preces eius ruſtica obſtinatione ſpernētes, magis ſe animas dare, quàm ſuas poſſeſsiones relinquere poſſe dicebant. Cumq; epiſcopum tæderet ruſticos rixa uincere, uicti ſunt diuinæ potentiæ manu. nam nocte quadam quieſcentibus cunctis, ſubitus ignis ex una cellarum earūdem exoriens, uicina paulatim ædificia petere cœpit, ita ut magis magiſq; ſuis incrementis auctus, & propè & longè poſita habitacula cūcta conſumpturus eſſe uideretur. Tunc tantis excitatis fragoribus & globis ignium, ciues accurrerunt, ut uel incendium, ſi poſſent, omne aquas fundendo reſtinguerent: uel de ſuis ſinguli domibus, quæ poſſent, igni prærìpientes, auferrent. Cumq; ſe nil ualere poſſe conſpicerent, cœperunt quærere diuinum, ubi humanū ceſſabat auxilium: aduolant ergo duce epiſcopo ad eccleſiam ſancti Felicis, flectunt genua, ſupernę auxilia protectionis implorant: diuertunt inde ad eccleſiam beatorum Apoſtolorum, quæ contigua erat eccleſiæ beati Felicis: & inde per interceſsionem Apoſtolicam cœleſtis præſidij dona flagitantes. ubi poſtquam oratum eſt, redijt domum epiſcopus, ſumptamq; de ligno Dominicæ crucis non grandem aſſulam, miſit in medium incendij furentis, ſtatimq; immenſa illa uolumina flammarum, quæ tanta uirorum manus, aquas ſpargendo nequiuerat, ipſe lignū addendo reſtinxit. tanta etenim ſanctæ crucis erat uirtus, ut ſeſe natura relinqueret: & ignis qui omnia ſolet ligna deuorare, ipſe ligno Dominicæ paſsionis uelut exuſtus, abſumeretur. Vbi uerò tempeſtas tanta ſopita, & mane redeunte ciues dira noctis opera cōſiderare uenerunt, credunt non parua tantis incendijs damna eſſe perpeſſos: inuentum eſt autē nihil prorſus exuſtū, niſi quod debebat aduri. ex illis etenim domibus duabus, de quibus prædiximus, quas & homines conſumere atq; auferre diſpoſuerant, unam flammis abſumptam uidebant. Quo facto multum erubuit ruſticus ille, qui ſua tecta contra decorem ſanctorum ædificiorum ſtolida obſtinatione defenderat, cernēs ſe inuitum nulla mercede perdidiſſe, quæ in gratiam ſanctorum ſponte nolebat amittere, & mox ipſe quod igni ſuperfuerat de ædibus, propria cœpit manu abolere, quatenus ocyſsimè omnis circa eccleſiam beati confeſſoris locus congrua ſanctis claritate ac luce redderetur inſignis. ablata autem omni fœditate ruderum ac ſordium earundem perſtabat beatus antiſtes Paulinus eccleſiam, quam cœperat ad perfectum deducere: cuius ædificium omne tribus annis perfecit, & in picturis atque omni ornatu ſuo debito fine concluſit: in qua feliciſsima beati Felicis uita & paſsio in æternum memorabilis celebratur, qui die quartadecima menſis Ianuarij conſummato curſu certaminis glorioſi percepit coronã uitę, quam repromiſit Deus diligentibus ſe.

EXPLICIT LIBER DE VITA ET confeſsione ſancti Felicis, quem ego famulus Chriſti Beda de metrico opere beati epiſcopi Paulini ſimplici ſermone tranſtuli.

# Sanɛti Vedaſti uita.

*Quomodo uir Dei ſanɛtus Vedaſtus Regi Hluthuuico adiunɛtus eſſet. Caput I.*

POSTQVAM Deus & Dominus noſter Ieſus Chriſtus ouem quærere perditã de cœlis in hunc mundum per uirginalem uenerat uterum, & tota ſuę diſpenſationis, & noſtræ ſalutis, peraɛta plenitudine cum triumpho gloriæ, ad ſedem paternæ maieſtatis reuerſus, ut tetricas ignorãtię tenebras toto depelleret orbe, multa ſanɛtorum lumina doɛtorũ Euangelicæ prædicationis luce fulgẽtia, toto diuiſerat mundo: ut ſicut cœlum fulgentibus ornatur ſtellis, quę tamẽ omnes ab uno illuſtrantur ſole, ſic & lata terrarum ſpacia ſanɛtis ſplendeſcerent doɛtoribus: qui tamen ab æterno ſole illuminati, diuina præueniente gratia cæcos ignorãtiæ tenebris ueræ fidei fulgore, & glorioſo Chriſti nomine illuſtrarẽt, ut cis miniſtrãtibus longa ab initio ſeculi eſuries, æternæ uitæ epulis ſatiaretur. De quorum numero ſanɛtus Dei ſacerdos Vedaſtus, & prædicator egregius temporibus fortiſsimi regis tũc temporis Frãcorum Hluthuuici, in has diuina dirigente gratia, ob multorum ſalutem peruenit regiones, quatenus ſupernæ pietatis ſuffultus auxilio, populũ diabolica fraude deceptũ, & errorum laqueis captiuũ, in uiam dirigeret ſalutis æternæ, & ueræ quæ in Chriſto eſt, libertati reſtitueret: ſed ut hoc acceptabili ſecundũ Apoſtolum fieret tempore, qui ait, Ecce nunc tempus acceptabile, ecce nunc dies ſalutis: Dominus Ieſus, qui uult omnes homines ſaluos fieri, competentem ſuo famulo præuidebat cauſam, quomodo opportunè ad miniſterium uerbi Dei peruenire ualuiſſet. Contigit uerò præfatum Francorum regem Hluthuuicum Alamannis bella inferre, qui tunc temporis regno ſuo per ſe potiti ſunt: ſed non eos ita offendit imparatos, ut uoluit. Nam fortiſsima colleɛta manu, regi circa ripas Rheni fluminis obuiauerunt unanimes bellica uirtute patriam defendere, uel libera manu pro patria mori. & fortiſsimè utrinque decertatum eſt: hi ne triumphi gloriam, illi ne patriæ perderent libertatem in mutuam corruentes cædem. Igitur rex nimio turbatus terrore, dum inimicos uidit fortiter pugnare, & ſuos penè ad internecionem uinci, magis cœpit de ſalute deſperare, quàm de uiɛtoria ſperare: etſi necdum uoluntate renatus eſſet in Chriſto, tamen neceſsitate cogente ad Chriſti confugit auxilium. Et quia reginam habuit religioſam, baptiſmiq; ſacramentis initiatam nomine Hluthilt, oculos cum hac uoce ad cœlũ leuauit, O Deus unicæ poteſtatis, & ſummæ maieſtatis, quem regina Hluthilt cõfitetur, & adorat, cõcede mihi hodie de inimicis meis uiɛtoriam. Nam ex hac die tu ſolus mihi eris Deus, & uenerãda poteſtas: tu mihi triumphũ præſta, & ego tibi promitto ſempiternum ſeruitium. Mox diuina operãte pietate terga uerterunt Alamanni, uiɛtoria ceſsit regi & Francis.

*Quomodo rex feſtinauit poſt uiɛtoriam ad baptiſmum, & ſibi ſanɛtum Vedaſtum ſocium aſciuit, cuius doɛtrina fidei ſacramenta ſuſcepit. Caput II.*

O Mira omnipotentis Dei clementia, o ineffabilis bonitas, qui ſic exaudiet, & nunquam derelinquet ſperantes in ſe: quanta fide Chriſtiani illius inuocare miſericordiã debẽt, dum paganus rex ad unius precis effeɛtum tan tam promeruit uiɛtoriam? Cui ex antiquis huius diuinæ pietatis auxilium adæquare debemus, qui ob unius momenti lachrymas tam celebrem uenturo ſuo ſeruo cõtulit triumphum: niſi Ezechiæ regi, qui anguſtia tribulationis una tantummodo petitione promeruit, non ſolùm à præſenti uaſtatione ciuitatẽ ſuperna protectione defendi, ſed etiam in eadem noɛte, qua preces in diuinas effuderat aures, centum & oɛtoginta quinq; milia hoſtium lætus & liberatus occidi uiderat. Hæc uerò uiɛtoria, de qua ante diximus, regi populoq; ſuo cauſa fuit ſalutis ęternæ, & ne lucerna, ſanɛtus ſcilicet Vedaſtus ſub modio lateret abſcõditus, ſed ſupra candelabrum poſitus, exemplis uel prædicationibus in domo Dei lucens, ab errore idolatriæ, & caligine ignorantiæ, in uiam plurimos educeret ueritatis: igitur ſuperatis hoſtibus, & rebus in pace compoſitis, & Alamannis ſuę ſubieɛtis ditioni, rex ouans, cum laude triumphãs, in patriã rediјt: & ut fidelis tantæ ſibi gloriæ largitori ſponſor appareret, feſtinauit ſeruorum Chriſti ſacra imbui prædicatione, & ſanɛti baptiſmatis ablui ſacramentis: uenitq; ad Tullum oppidũ, ubi ſanɛtũ agnouit Vedaſtũ laudabili religione ſoli ſeruire Deo, & dulciſsimos cõtẽplatiuę uitæ carpere fruɛtus. Hunc uerò ad ſanɛtum Remedium Chriſti clariſsimum ſacerdotẽ ad Remanam properans ciuitatem, ſibi ſocium adſumpſit, quatenus per ſingulos itineris ſui greſſus ſaluberrimis ab eo imbueretur doɛtrinis, & catholicæ fidei firmis initiaretur fundamentis, ut paratus fide, & uirtutum ſcientia, à tanto põtifice ſpiritali ablueretur lauacro, & ab illo donis cœleſtibus cõfirmaretur, quod ab iſto prius diuina præueniente gratia, Euangelicis cœptũ fuerat prædicationibus. Hic ad fontem uitæ feſtinantem deducebat regem, ille in fonte ſalutis æternæ uenientem abluebat, ambo propemodum pari pietate patres: hic doɛtrina fidei, ille baptiſmatis unda, utriq; æterno regi, regem temporalem, munus obtulerunt acceptabile. Hi ſunt duæ oliuæ, duo cãdelabra lucẽtia, à quibus rex præfatus in uia Dei eruditus, & à diaboli catenis erutus miſerante Deo, portam perpetuæ lucis ingreſſus, cũ fortiſsima gente Francorum credidit Chriſto: & faɛta eſt gens ſanɛta, populus acquiſitionis, ut annuncientur in eo uirtu-



tes illius, qui eos de tenebris uocauit in admirabile lumen ſuum.

*Quomodo præſentia regis & populi uir Dei Vedaſtus cæcum illuminauit. Caput III.*

SAcra igitur Euangelicæ auɛtoritatis narrat hiſtoria, Dominum Ieſum Hiericho pergentem ad confirmanda in fidẽ ſuæ maieſtatis corda populi præſentis, cuidam cęco ad ſe clamanti, lumen reddidiſſe oculorum, ut per corporale unius illius cæci lumen, ſpiritaliter multorum illuminarentur peɛtora: ita & Vedaſtus ſanɛtus, Deo Chriſto donante per cuiuſdam illuminationem cæci fidem, quam uerbo prædicauit in corde regis miraculo confirmauit: ut rex ipſe intelligeret, tam ſibi eſſe neceſſarium cordis lumen, quàm cæco oculorum illuſtrationem: & quod diuina operata eſt gratia, per preces famuli ſui in oculis cæca noɛte caſtigatis, hoc per ſermones eiuſdem famuli, eadem operante potentia, per ſpiritalis intelligentiam lucis in ſuo peɛtore perficeretur. Nam regia excellentia condigno comitatu cum multitudine maxima populi iter agentibus illis, uenerunt in quendam pagum, qui incolarum terræ illius conſuetudine Vungiſepagus dicitur, prope Reguliacam uillam, quæ ſita eſt ſuper florigeras Axnæ fluminis ripas: & ecce eiuſdem pontem rege tranſeunte, cum multitudine populi, obuiauit illis cęcus quidam huius diutiſsimè ſolaris expers luminis, fortè nec ſui cęcatus culpa, ſed ut manifeſtarentur opera Dei in illo, & per illius illuminationem præſentem plurimorum illuminarentur corda ſpiritutaliter: qui cum intellexiſſet à prętereuntibus ſanɛtum Vedaſtum Chriſti ſeruum in eodem iter agere comitatu, clamauit, Sanɛte & eleɛte Deo Vedaſte, miſerere mei: & ſupernam pio peɛtore diligentius depoſce potẽtiam, ut meæ ſubueniat miſeriæ: non aurum poſco, nec argentum, ſed ut mihi lumen per ſanɛlitatis tuæ preces reſtituat oculorum. ſenſit itaq; uir Dei uirtutem ſibi adeſſe ſupernam, non ob illius cæci tantummodò, ſed plus propter præſentis populi ſalutem, totum ſe in ſacras effudit preces: in diuina fidens pietate, dexteram cum ſigno crucis poſuit ſuper oculos cæci dicẽs, Domine Ieſu qui es lumen uerum, qui aperuiſti oculos cæci ad te clamantis, aperi oculos & iſtius: ut intelligat populus iſte præſens, quia tu es ſolus Deus, faciẽns mirabilia in cœlo & in terra. mox ille cęcus lumine recepto gaudẽs perrexit uiam ſuã, in quo loco tempore ſequenti à religioſis uiris ædificata eſt eccleſia in teſtimonium miraculi iſtius, in qua orantibus & credentibus uſque hodie beneficia præſtantur diuina.

Bedæ tom. 3.

*Quod rex Hluthuuicus ad baptiſmum, ibiq; in Remis ciuitate uirum Dei Vedaſtum ſanɛto commendauit Remedio pontifici. Caput IIII.*

IGitur rex à uiro Dei Euangelicis apprimè imbutus doɛtrinis, & huic præſenti miraculo in fidem firmiter confortatus, nil moratus in uia, nil dubitans in fide: ſed magna alacritate animi, magna feſtinatione itineris, ſanɛtiſsimum pontificem Remedium uidere properauit, ut illius ſacratiſsimo miniſterio ſpiritui ſanɛto operante, in remiſsionem peccatorum, & ſpem uitæ æternę catholici baptiſmatis uiuo ablueretur fonte. Cum quo aliquantis moratus diebus, ut eccleſiaſticis ſatisfaceret ſanɛtionib⁹, & pœnitentiæ ſecundum Apoſtolicum præceptum prius ablueretur lachrymis, dicente beato Petro principe apoſtolorum, Pœnitentiam agite, & baptizetur unuſquiſque ueſtrum in nomine Domini noſtri Ieſu Chriſti: & ſic in nomine ſanɛtæ trinitatis cœleſtis myſterij baptiſma ſuſciperet. Sciens uerò beatus pontifex apoſtolum dicere Paulum, Omnia ueſtra honeſto cum ordine fiant, ſtatuit diem, quo rex eccleſiam intraret, ad ſuſcipienda diuinę pietatis ſacramenta. Quale fuit tunc ſanɛtis Dei gaudium, qualis in eccleſia Chriſti lætitia, cum uiderent regem Niniuæ ad prædicationem Ionæ de ſolio maieſtatis ſuæ deſcendiſſe, & in cinere ſediſſe pœnitentię, & ſub pia Dei ſacerdotis dextera, ſuę excellentię caput humiliare. Baptizatus itaq; rex cũ optimatibus ſuis, & populo, qui diuina pręueniente gratia ſalutaris lauacri gaudebat ſuſcipere ſacramentum: utrumque & uiɛtoria ex hoſtibus, & ſuæ ſalutis uoti compos ad ſceptra regni regenda reuerſus eſt, ſanɛtumq; Vedaſtũ beato pontifici commendauit Remedio, qui ibi moratus, uitæ meritis, & uirtutum claruit exemplis: omnibus amabilis & uenerabilis faɛtus eſt. fuit enim morum dignitate religioſus, caritate præcipuus, fraterna dileɛtione iocundus, humili pietate eximius, orationum uigilãtia aſsiduus, ſermone modeſtus, corpore caſtus, ieiunio ſobrius, miſerorum conſolator: non de craſtino cogitans, ſed ſemper de Dei confidens clementia, omnes ad ſe uenientes, æternæ uitæ pane paſcebat. Nullum in ſua deſpiciebat anguſtia, ſed piè conſolationis uerbo reficiebat mœſtos, nemini uel uerbo nocuit, ſed fraterno amore cunɛtis prodeſſe ſatagebat, unde & à q̃ plurimis illuſtribus frequentabatur uiris, ut illius ſacratiſsimo alloquio, & in triſtitia cuiuſlibet ſolicitudinis ſuſciperent conſolationem, uel in religione eccleſiaſticæ exercitationis ab eo puram audirent ueritatem. Vnde & illius pia deuotione multi à diaboli laqueis liberati, & uias uitæ perpetuæ ſuperna adiuuante pietate ſunt ingreſsi.

*De conuerſatione uiri Dei in Remis, & de miraculo ibi geſto.* Caput V.

SCilicet multi, ut ſuprà diximus, ob celeberrimam ſanctitatis famam nobiliū uel plebialium, uirum Dei uiſitare ſolebant, ut conſolarētur per gratiam, quæ abundabat in labijs illius: & quia ex abundantia cordis os loquitur, & quia fraterno amore omnes diligebat, omnibus ſe affabilem præſtabat, aliorum ſalutem ſuum reputans lucrum: nec Dominicæ talentum pecuniæ pigritiæ obruit humo, ſed quotidiano charitatis ſudore multiplicare ſtudebat, ne uacuus reuertente Domino ſuo in conſpectu appareret illius. Igitur quidam uir nobilis & religioſus inter alios famulum uenit uiſitare Chriſti, ut per eum cœleſtis doctrinę reficeretur melle: & dum ſermo dulciſsimæ alloquutionis in longum traheretur, & ſol mediū cœli tranſiens centrum, creſcētis duplicauit umbras, nolebat uir Dei hoſpitem ſuum abſq; charitatis dimittere uiatico: mandauit puero, ut ſi quid illi remāſiſſet uini, charo pocula portare amico, quatenus utrumq; uel anima refectus, uel corpore cōfortatus, domum rediret: ſed propter hoſpitum frequentiā, & uiri Dei largam hominibus munificentiam, non arida patris caritate, aridum inuenit uaſculum, in quo uinū ſeruari ſolebat: mox triſtis, tacito murmure hoc ipſum puer paternis intimauit auribus: qui uerecundiæ rubore perfuſus, caritatis tamen dulcedine abundās corde in diuina confiſus ſuffragia, tacitas pauli ſper Deo preces effudit: nil de diuino dubitans auxilio, nil de ſuæ petitionis hæſitans effectu, totus in eius credens clementiam, qui de arida petra ſitienti populo fontem aquæ uiuæ produxit: uel in Cana Galilææ aquam in mirabilis uini conuertit ſaporē. Dixit puero: Vade, in Dei confidens bonitatem, & quodcunq; inueneris, in uaſculo, matura nobis afferre. Qui celer paterno obediens præcepto cucurrit, & uas uino optimo ſuperaffluēs inuenit: gratias agēs Deo, alacri animo ſuis ſocijs propinauit, & uenienti amico, qui duplici roboratus charitate remeauit in propria. Sed famulus Chriſti ne uanis iactantiæ uerbis, uel rumigero populi celebraretur fauore, ſub magna atteſtatione præcepit puero, omnibus diebus uitæ ſuæ hoc tacere miraculum: plus Deo ſoli cognitus eſſe cupiens, quàm hominibus: certiſsimè ſciens omniū eſſe uirtutum ueram in humilitate cuſtodiā: & hāc eſſe, quæ caritatis gradibus altiſsima cœli regna conſcendat, ipſa dicente ueritate, Omnis qui ſe humiliat, exaltabitur.

*Vt uir Dei à ſancto Remedio epiſcopo ordinatus eſt, & Attrebatæ ciuitati miſſus eſt uerbum Dei prædicare, & in ciuitatis introitu cæcum & claudum curauit.* Cap. VI.

DVmq; uir Dei celeberrima uulgaretur fama, & caritatis in eo munificentia & religio uitæ, & uerbi Dei inſtantia longè lateq; ab omnibus celebraretur, uiſum eſt beatiſsimo pōtifici Remedio tam præclaram Chriſti lucernam melius eſſe ſupra candelabrum ponere, ut ſplendidiſsimo ſuæ ſanctitatis fulgore latius ad ſalutem luceret multorum, quàm ſub unius loci latebris propemodum abſcondita latuiſſet. Diuina diſpenſatione & ſalubri ſacerdotum cōſilio ordinauit eum epiſcopum, & ad prædicandum uerbum uitæ Attrebatæ eum direxerat urbi, quatenus populus diu in antiquis malæ conſuetudinis erroribus iacens, Deo auxiliante per aſsiduam ſacræ prædicationis inſtātiam, per illum in uiam ueritatis, & agnitionem filij Dei deduceretur: qui pōtificatus gradu, & prędicationis officio ſuſcepto, concitus ad præfatam iam perrexerat urbem, ſed in auſpicium futuræ proſperitatis & ſalutis, Deus cuiuſdam miraculi teſtificatione eius ciuib. patefecit introitum. Igitur in ipſa ciuitatis porta duos habuit obuiam ſibi egenos & infirmos: cæcum ſcilicet, & claudum, miſerabili à uiro Dei uoce ſtipendia poſtulātes. mox ſacerdos Chriſti illorum condolens miſeriæ, ſecum tractans quid illis ſolatij pręſtare potuiſſet: & dum apoſtolicus prædicator pecuniā in ſacculis ſe non habuiſſe ſciret, in diuina confidens clementia, & ſanctorum apoſtolorum Petri & Ioannis confortatus exemplo ait, Aurum & argentum non eſt mecum: quod autem habeo, id eſt charitatis officia & pietatem orationis ad Deum, hoc uobis præſtare non differo. & in hęc uerba ſerui Dei ex intimo cordis affectu pro illorum lachrymas fudit miſeria: & cum fidei puritate opem illis poſcebat diuinā, uel pro illorū corporali, uel pro populi præſentis ſpirituali ſalute. Nec tam pię, & tam neceſſariæ preces inefficaces eſſe potuerunt, ſed ab illo qui per Iſaiam inquit prophetā: Tempore opportuno exaudiui te, & in die ſalutis adiuui te. mox ambo in conſpectu multitudinis optatam receperunt ſanitatem: hic luminis claritate ditatus, ille pedum uelocitate lætatus: ambo ſupernæ gratias agentes pietati, maiora quàm ſperauerunt munera portantes, domum reuerſi ſunt: ſed & hoc miraculum ſanitatis in illis plurimis fuit cauſa ſalutis æternæ, uidētes cœleſtē uirtutē uerba cōſequi ſacerdotis Dei, relictis idolatriæ ſordibus, in Chriſtū credētes uiuo ſacri baptiſmatis fonte purgati ſunt.

*Quomodo ciuitatis loca peragrans, & uix eccleſiæ ueſtigia inter ruinas murorum reperit, & luſtra ferarum tantum ibi eſſe conſpexit.* Caput VII.

PRæfati uerò miraculi teſtificatione uir Dei fauore populi ſuffultus, ſingula ciuitatis loca peragrans, quæſiuit inter ruinas ædificiorū, ſi quodlibet eccleſię ſignum inuenire ualuiſſet. Nam antiquis fermè tēporibus ſacræ in illis locis fidei floruiſſe religionem agnouit: ſed propter peccata habitatorum terræ illius occulto Dei iudicio, ſed iuſtiſsimo tradita eſt cū cęteris Gallię uel Germanię ciuitatibus pagano & perfido Hunnorū regi Attyla urbs quoq; illa deprędāda: qui propter nimiā animæ ſuæ ſęuitiā, nec ſacer-



ſacerdotibus Dei honorem, nec eccleſijs Chriſti reuerentiam impendere ſciebat, ſed omnia quaſi tempeſtas immaniſsima, ferro uaſtauit, & igne. Tunc in ſimilitudine Hieroſolymitanæ uaſtationis, quæ ab impio Babyloniæ rege facta eſt, Venerunt gentes in hæreditatem Dei: & pollutis manibus profanauerunt ſacraria Chriſti, effundentes ſanguinem ſeruorum Dei circa altaria altiſsimi regis. Non hæc paganorum fecit fortitudo, ſed populi Chriſtiani promeruerunt peccata. Inuenit uerò famulus Chriſti antiquæ ruinas eccleſiæ inter murorum fragmenta, ueprium'que creſcere denſitates, ubi quondam pſallentium chori, ibi luſtra & latibula ferarum uiſa ſunt ſtercoribus & immunditijs omnia plena, ita ut uix ueſtigium aliquod remanſiſſet murorum. hæc cernens intimo cordis dolore ingemuit, dicens: O domine, hæc omnia uenerunt ſuper nos, quia peccauimus cum patribus noſtris, iniuſtè egimus, iniquitatem fecimus: ſed tu Domine memor eſto miſericordiæ tuæ, & noſtris parce peccatis, & ne obliuiſcaris pauperum tuorum in finem. Dum hæc itaque lachrymoſis murmuraret querelis, ecce ſubitò ex ruinoſis ſpeluncis urſus proſiliuit, cui uir Dei cum indignatione præcepit, ut in deſerta ſecederet loca, nec ultra illius fluminis ripas tranſiret: qui mox tali territus minatione fugit, nec unquam poſtea illis uiſus eſt in partibus. O mira omnipotentis Dei in ſanctis ſuis potentia, quibus beſtiæ ferociſsimæ obedire ſciunt. O miſerabilis hominum audacia, qui ſalutiferę prædicationis uerba à ſanctis prolata doctoribus contemnere non metuunt. irrationabilis beſtia in obtemperando ſanctorū præceptis quodammodo ratione utitur humana: homo uerò ad imaginem Dei conditus, ratione præditus, comparatus eſt iumentis inſipientibus, & ſimilis factus illis, honorem ſuum non intelligit.

*Quomodo in conuiuio apud Hlutharium regem uir Dei ſigno ſanctæ crucis diabolica molimina euaneſcere fecit.* Caput VIII.

DVm uerò cōperiſſet uir Dei eccleſias Chriſti deſertas, cor populi idololatriæ erroribus infectum, ignorantię tenebris obcæcatum, gemino ſe pietatis ſubdidit labori: populum ſedula intentione ad agnitionem ueri luminis perduxit, eccleſias ad culmen ſummi decoris erexit, presbyteros & diaconos ſibi in adiutorium per diuerſa eccleſiarum diſpoſuit loca: & ubi prius ſpeluncæ fuerunt latronum, ibi orationum domos conſtruxerat, magisq; intendit eas diuinis ornare laudibus, quàm pompaticis ſeculi diuitijs comere: fuit uerò pauperibus largus, diuitibus affabilis, quatenus omnes uel largitate munerum, uel iucunditate uerborum in uiam deduceret ueritatis. Sciens itaque nullatenus ſuperba ſecularis potentiæ colla ad Chriſtianæ religionis humilitatem inclinari, niſi per ſuauiſsimas pietatis admonitiones, Apoſtolico inſtructus exemplo, omnia omnibus factus, ut omnes lucrifaceret. Seniores honoribus pręueniens, iuniores paterna dilectione admonens, ubique per officia charitatis nō ſua quærens, ſed quæ Dei ſunt, Chriſti ſecutus ueſtigia, potentium conuiuia non contempſit: non luxuriæ cauſa, ſed prædicationis obtentu, ut familiaritate concordiæ facilius uerbum Dei conuiuantium infunderet cordibus. Igitur quidam nobilis Francus, potentia clarus, Hocinus nomine, regem Hlutharium prædicti regis Hluthuuici filium, qui tunc temporis Francorum regni nobiliter rexerat ſceptra, uocauit ad prandium, quod magno apparatu in domo ſua regi & ſuis parauerat optimatibus. Rogatus quoque eſt ſanctus ad conuiuium Vedaſtus, qui domum intrans more ſibi ſolito dextera extenta, omnia ſanctæ crucis uexillo ſignauit. Quædam uerò uaſcula, ubi ceruiſię ſtabant, impleta, ſed malè gentili errore dæmonicis incantationibus infecta, quæ mox ob potentiam ſanctæ crucis deſtructa crepuerunt, & quicquid liquoris habuerunt, in terram effuderunt. Territus uerò rex & optimates illius huius uiſione miraculi, ſciſcitabatur pontificē cauſam repentini prodigij. Cui ſanctus reſpondit epiſcopus, Per quaſdam maleficiorum incantationes, ad decipiendas conuiuarum animas, diabolica in his latuit liquoribus potentia: ſed uirtute crucis Chriſti territa, ſic inuiſibiliter de domo effugit iſta, ſicut uiſibiliter conſideraſtis liquorem effundi in terram. Hæc uerò res multis proficiebat in ſalutem. Nam plurimi occultis diabolicæ fraudis catenis abſoluti, auguriorum uanitate ſpreta, incantationum conſuetudine relicta, ad ueræ religionis conuolauerunt puritatem, intelligentes diuinæ potentiæ efficaciam in ſuo famulo facere ſigna, nihil contra eius ſanctitatem antiqui ſerpentis ualere machinamenta: & quod ille ad perditionem parauerat aliquorum, hoc Chriſti gratia ad redemptionem conuertit plurimorum.

*De infirmitate, obitu & ſepultura ſancti uiri, & quomodo illæſa ab igne eadem domus manſiſſet, in qua ſanctus uir obijt.* Caput IX.

REXerat igitur præfatus Dei ſacerdos eccleſiam Chriſti, diuina auxiliāte gratia, annis circiter quadraginta, ſub magna Euangelicæ prædicationis deuotione, ſub magno pietatis amore: ac per idem temporis multitudinem populi catholico dogmate ad Chriſtianæ fidei conuertit ſanctitatem. Claruit ubiq; diuinæ cognitio legis, ſanctiſsimū Chriſti nomen cunctorū audiebatur in ore, floruit in moribus caſtiſsimæ uitæ honeſtas, ardebat in pectoribus ſingulorum cœleſtis patriæ amor, populus ſtatutis diebus ad eccleſiā concurrebat, feſta cū magno gaudio noſtri Saluatoris opportunis celebrabātur diebus, eleemoſynæ circa domos uberrimè pau-

pauperibus diſpertiebantur, uerbum Dei quotidie per loca ſingula populis prædicabatur, hymnificas laudes Deo horis canonicis clerus cantabat in eccleſijs: Beatum dixerunt populū cui hæc ſunt, beatus populus cuius eſt Dominus Deus eorum. Omnes enim in pulchritudine pacis quieſcebāt, in agnitione ueritatis gaudebant, in ſanctitate Chriſtianæ religionis lætati ſunt. Poſtquam uerò pius prædicator, & ſanctus Dei ſacerdos meritis maturus, & annis premiæ ſui laboris Deo diſpenſante accipere debuit, in eadem Atrebata ciuitate ualida infirmitatis febre correptus eſt, diuina præuidente miſericordia, ut ubi plurimum in Dei ſudauit ſeruitio, inde ad palmam æternæ beatitudinis perueniret: & inter chariſsimorum manus filiorū animam ſuo redderet creatori. Vt uerò ſui obitum famuli Dei deſignaret, uiſa eſt nocte quadam clariſsimæ columna lucis à culmine domus, in qua ſanctus iacebat ſacerdos, uſque ad ſummum cœli horarum fermè ſpacio duarum ſtare faſtigium. Quod cum uiro Dei diceretur, intellexit ſtatim hoc ſignum ſuum demonſtrare obitum: uocauitq́; ſuos ad ſe filios, ut eorum precibus ſuam fideli conditori commendaret animam. Et poſt dulces paternæ pietatis admonitiones, & extrema charitatis uerba, ſacroſancti corporis & ſanguinis Chriſti confirmatus uiatico, inter manus lachrymantium ſpiritum emiſit. O dies ſancto letiſsima ſacerdoti, ſed cūcto mœſtiſsima populo, quē tantus ſubitò corporali uita deſeruit paſtor: quem tamen ſpiritali nunquam deſerit interceſsione, ſi ſacræ illius admonitionis uerba, & probatiſsimæ uitæ ueſtigia ſequi non deſiſtit. Conuenerunt itaque ad ultima uenerandi uiri exequia clerus & populus copioſus, aliarumq́; eccleſiarum ſacerdotes, presbyteri & diaconi: ſed mirum inter lachrymantium uoces in terra pſallentium, ut fertur à quibuſdam religioſis uiris, cœtus audiebantur in cœlo: & dum digno honoris officio feretrum, in quo iacebat corpus paratum, ſtaret in medio, accedentes mouere eum non ualebant. Quid uerò agerent, ambigebant: quo ſe uerterent, neſciebant: ſciſcitabantur à Scopilione archipresbytero, uiro equidē religioſo, qui ſecretarius fuerat ſermonum ſancti Dei, ſi aliquid de ſua eum teſtari ſepultura memoraret, timentes, ne fortè illis hoc ideo accidiſſet, quia intra murum eiuſdem ciuitatis illum ſepelire diſponebāt. quibus ille reſpondit, Sæpius eum audire dicentem, quod nullus intra muros ciuitatis ſepeliri debuiſſet: quia omnis ciuitas locus debet eſſe uiuorum, non mortuorum: conſilioq́; ab eo accepto, foras ciuitatē in oratorio, quod ſibi ipſe parauerat, ſepelirēt patrem: qui mox facilimè leuantes feretrum, portabāt ſanctum corpus cum luminibus, laudibus & hymnis ad locum ſibi placitum, ſepeliētes eum cum magno honore iuxta altare eiuſdem oratorij: nobilem terrę condentes theſaurum, in quo loco diuina præſtante pietate uſque hodie ſolent miracula fieri, quæ magis cernentium ore narrantur, quàm dictantis ſtilo ſcribantur. Superueniente itaque tempore, domus in qua Deo dilectus diem obijt, flammis arrepta ardere cœpit: ſed uidente quadam religioſa fœmina, Habita nomine, ſanctus adueniens Vedaſtus flammas à domo diſcuſsit: & ita incolumis remanſit cum lectulo, in qua uir uenerabilis ſanctam ad cœleſtia regna animam emiſit, ut omnes agnoſcerent, quanta illius eſſet beatitudo in cœlis, cuius lectuli domus in terris ardere non potuit. pro cuius meritorum quoque ſanctitate, diuina operante pietate, quotidie uel uetera narrantur miracula, uel noua uidentur. Felix equidem Adrabata ciuitas, tam excellenti munita patrono, etſi murorum ruinis uileſcat, illius tamē meritorum nobilitate clareſcit: totusq́; pro eius ſanctitatis interceſsione gaudeat populus, omnipotētiq́; Deo æternas referat laudes, qui tam clarum illis perdonauit doctorem, cuius prædicatione uiam agnouit ueritatis, cuius precibus ſi in fidei firmitate, & uitæ ſanctitate conſiſtit, ab omni aduerſitate ſecura permanſerit, & uſq; ad perfectam beatitudinis gloriam perueniret, prēſtāte Domino noſtro Ieſu Chriſto, qui cū patre & ſpiritu ſancto regnat Deus per omnia ſecula ſeculorum, Amen.

*Homelia in die natalis ſancti Vedaſti pontificis, dicenda ad populum.* Caput X.

GAudete dilectiſsimi fratres in Domino, qui ad ſanctiſsimi patris & protectoris noſtri ſancti ſcilicet Vedaſti ſolennia conueniſtis: & ſpiritali iucunditate lætamini, & ex intimo cordis affectu clementiā Domini noſtri Ieſu Chriſti collaudate, qui nos ab idololatriæ erroribus ad agnitionem ſui ſancti nominis per huius ſancti ſacerdotis prædicationem perducere dignatus eſt: ſequamur unanimiter tam ſancti doctoris ueſtigia, non ſimus tanti patris degeneres filij, ſed ſanctitatem uitæ illius morum nobilitate imitemur. Abijciamus ergo à nobis opera tenebrarum, & induamus arma lucis, ſic ut in die honeſtè ambulemus: quia nox ignorantiæ receſsit, & ueræ ſcientiæ nobis lumen illuxit, ut filij lucis in omni caſtitate & pietate ambulemus. Non ſint alicuius nequitiæ uel malitiæ occulta in cordibus noſtris ſemina: quia homo uidit in facie, Deus autem corda conſiderat, nec aliquid illius omnipotentię oculis occultari poteſt. Præparemus nos in omni bonitate, ut prēclarus pontifex & pius prædicator noſter Vedaſtus, gaudens nos ante tribunal ſummi iudicis in die ultimo deducat: quatenus ex numeroſitate filiorum, illius cumuletur gloria, & nos cum illo deſiderabilem audire mereamur ſententiam, Venite benedicti patris mei, percipite regnum, quod uobis paratum eſt ab origine mundi. Ille de cœleſti patria pijs orationibus noſtrum quotidie agonē adiuuare non deſiſtit, deſiderans ſuos chariſsimos filios, quos paterna pietate genuit in Chriſto, ad gloriam perpetuæ peruenire beatitudinis. Quapropter charisſimi

rissimi



riſsimi fratres, unuſquiſque in ſuo ordine ſecundum uirium facultatem fortiter diabolicis reſiſtat ſuggeſtionibus, ut æternam triumphi coronam cum pio parente noſtro accipere dignus efficiatur. Non ſunt enim condignæ, ut ait Apoſtolus, paſsiones huius temporis ad ſuperuenturam gloriam, quæ reuelabitur in nobis. Igitur breue laboris tempus diuina nobis uoluit eſſe pietas, & agonis noſtri retributionem eſſe perpetuam, & pro temporali tribulatione permanentis glorię mercede gaudere. Audiuimus itaque, cum Deo dilecti ſacerdotis uita legeretur, quantam in omni bonitate habuit deuotionem, quomodo per abſtinentiæ rigorem ſuum caſtigauit corpus, qualiter per charitatis officia omnibus prodeſſe contendit: incedamus cum omni alacritate mentis, & tota uirium facultate illius uitæ ueſtigia, ut beatitudinis, in qua regnat cum Chriſto, conſortes effici mereamur. Nulla carnalis concupiſcentia, nulla ſecularis ambitio impediat iter noſtrum: curramus per opera pietatis ad cœleſtis patrię portas, expectant nos ciues æternæ ciuitatis, & rex ipſe qui uult omnes homines ſaluos fieri, noſtram cum ſanctis ſuis uehemēter deſiderat ſalutē. Decet enim nos illius eſſe cooperatores in ſalute noſtra, qui nos in tantum dilexit, ut proprio filio ſuo non pepercit, ſed pro nobis omnibus tradidit illum. Diligamus eum, quia ille prior dilexit nos: faciamus illius uoluntatem, quia uolūtas illius felicitas eſt noſtra: habeamus ſemper in mente, quod ipſa ueritas cuidam diuiti reſpondit in Euangelio, Si uis uitam ingredi, ſerua mandata. quæ ſunt mandata, niſi charitas Dei, & dilectio proximi? In his duobus præceptis tota lex pendet, & prophetæ. Dilectio itaque proximi, in operibus miſericordię comprobatur. qui ſeculi habeat ſubſtantiam, auxilietur non habenti: qui doctrinę habeat ſcientiam, corrigat errantem, dicente apoſtolo Iacobo, Qui conuertit peccatorem ab errore uiæ ſuæ, cooperit multitudinem peccatorum ſuorū. Scire debemus chariſsimi fratres, quia quot animas quiſque lucratus fuerit Deo, tantum accepturus erit mercedis à Deo. Quantam gloriam habere putatis ſanctum Vedaſtum in cœleſti regno cum Chriſto, qui tam innumerabilē populum ſedula prædicatione Chriſto in terris acquiſiuit, uel quanta ſit gloria animæ illius ſperatis inter angelos, dum tantum honorem habet corpus illius inter homines? uel quid non poteſt pietatis precibus impetrare in cœlis, qui tantis in mundo claruit miraculis? ſed omnibus miraculis maior eſt Euangelicæ prædicationis inſtantia, & ſanctæ charitatis in corde flagrantia. Valde enim uiriliter accepta Dominicæ pecuniæ talenta multiplicare ſtuduit: ideo feliciter ſibi Dominum audiet dicentem, Euge ſerue bone & fidelis, quia ſupra pauca fuiſti fidelis, ſupra multa te conſtituam, intra in gaudium Domini Dei tui. Parua ſunt præſentis uitæ bona, comparatione futurorum bonorum: ſed qui in his fideliter laborat, in illis feliciter requieſcit. Iſte ſanctus, ad cuius concurrere feſta uoluiſtis, pro multorum laborauit ſalute, ideo plurimorum præmia in die iudicij ſuſcepturus erit. Seipſum abſtinentię macerauit rigore, alijs per prædicationis profuit ſedulitatē: ideo laudabilis omnibus extat, iuxta uocem ſapientiſsimi Salomonis, Memoria iuſti cum laudibus, & nomen impiorum putreſcit. dum uita iuſtorum laudabitur, iniquitas impiorum quaſi ſtercus deteſtatur ab omnibus. Quid eſt felicius, quàm in bona conuerſatione à Deo perpetuæ promereri beatitudinis gloriam, & omniū ore laudari? Cogitemus quotidie, qua fiducia ueniamus ante tribunal ſummi iudicis, quid boni operis nobiſcum deferamus: æquitas illius nullius accipiet perſonam, ſed unicuique reddet ſecundum opera ſua: & qui plus laborat in opere Dei, plus mercedis accipiet in regno Dei. Vnuſquiſque in qua uocatione uocatus eſt, in ea uiriliter ſuam operetur ſalutem. Omnibus cœleſtis regni ianua pateſcit, ſed meritorum qualitas alium introducet, alium expellet. Quàm miſerum, hominem à gloria excludi ſanctorum, & æternis cum diabolo deputari flammis? peccatorum ſarcina animam ſubmergit in tartara: iuſtitiæ abundantia ad cœleſtem euehit gloriam. frequentemus ſæpius eccleſiā Chriſti, audiamus in ea diligentius uerba Dei: & quod aure percipimus, hoc corde retineamus, ut boni operis fructum feramus in patientia, & fraterno amore unuſquiſque alium adiuuare ſtudeat. habemus præclara ſanctiſsimi patris noſtri abundanter exempla in omni charitatis officio, in fidei feruore, in ſpei longanimitate, & perſeuerantia totius bonitatis illius, quem tanta celebramus laude, & tanto diligamus amore, tota mentis intentione in omni conuerſatione ſancta eius ſequamur ueſtigia, quatenus uiam uitæ illius currentes, æternæ beatitudinis cum illo gloriam accipere mereamur, auxiliante nobis rege æterno Domino noſtro Ieſu Chriſto, qui cum patre & ſpiritu ſancto uiuit & regnat Deus per omnia ſecula ſeculorum, Amen.

SANCTI VEDASTI VITAE FINIS.

PROLO-

# PROLOGVS IN VITAM SANCTI COLVMBANI.

RVTILANTEM, atq; eximio fulgore micantem ſanctorum præſulum atq; monachorũ uitam, ſolertia nobilium cõdidit & conſcripſit doctorum, ſcilicet, ut & poſteris alma redolerent priſcorum exempla. Egit hoc à ſeculis rerũ ſator æternus, ut ſuorum famulorum famam cõmendaret perennem, utq; præterita geſta linquerent futuris exempla: & de præcedentium meritis, uel imitando exempla, uel memoriæ commendando, uentura ſoboles gloriaretur: q̃rum beatus Athanaſius Antonij, Hieronymus Pauli & Hilarionis, uel cęterorum, quos cultus bonæ uitæ laudabiles reddebat, Poſthumianus uerò, Seuerus & Gallus, Martini egregij præſulis, noſtris memoriam dimiſere ſeclis, pleriq; aliorum, quos aut fama, aut bonorum operum exempla, uel uirtutum commendarunt monimenta, ut ſunt columnæ eccleſiarum, Hilarius, Ambroſius, Auguſtinus, qui inter tot ſeculi turbines, fluctuante mundo, ſtatum eccleſię ſuſtentarunt: nec flatu aduerſante iniquo, ac hæreticorum procella quatiente, ueram fidem aduerſitas macularet. Quórum nos exempla temerario conatu ſecuti, qui nec meritorũ ſupplemento, nec facundiæ flore ſuffulti, nec elucubrante ſcientiæ fonte, tanti patris noſtris ſeculis refulgẽtis Columbani aggredimur texere geſta. Erit tamen noſtrorum arbiter dictorum, uirtutũ largitor immenſus, qui illi & gratiæ ſuæ munera, & uitæ perennis largitus eſt coronam.

# Sanƈti Columbani abbatis uita.

## CAPVT I.

COLVMBANVS igitur, qui & Columbæ ortus eſt in Hybernia inſula, quæ eſt in extremo oceano ſita, & ſpectat Titanis occaſum, dum uertitur orbis, & lux occiduas ponti deſcendit in umbras: unde denuò peracto curſu noctis, irradiat totũ rediuiuo lumine mundum. Inſulę huius ſitus, ut fertur, eſt amœnus, ac aduerſantium exterarum carens bello nationum. Hanc & Scotorũ gens incolit, gens quanquam abſq; reliquarum gentium legibus, tamen in Chriſtiani uigoris dogmate florens, omnium uicinarum gentium fidem prępollet. Natus ergo hic inter primordia fidei gentis illius eſt, uir iſte beatus, ut fides, q̃ infœcundam ex parte gens illa habebat, ſuo ac ſodalium ſuorũ munimine, cultu uberi fœcundaretur. Sed priuſquam lucem uitæ præſentis caperet, quid ante eius ortum actum ſit, non eſt ſilendum. Nam cum eius genitrix aluo grauida teneretur, ſubitò per intempeſtam noctem ſopore depreſſa, uidit è ſinu ſuo rutilãtem ſolem, & nimio fulgore micantem procedere, & mundo magnum lumen præbere. Poſtquam autem ſopor membra laxauit, & cæcas ſurgens tenebras aurora fugauit, intra ſemetipſam penſare cœpit quæ uiderat: & ancipiti gaudio, tantæ uiſionis uim ſagaci animo trutinans, ſolaminis ſupplementum à uicinis petit, quos doctrina ſolertes reddidit, quærens ut tantæ uiſionis myſterium ſapienti corde rimarentur. Tandem peritorum libramine reſponſa recepit, ſe egregiæ indolis utero concepiſſe uirum, qui & ſuæ ſaluti utilia, & proximorũ prouideret utilitati opportuna. Quem mater poſtquam edidit, tanta cuſtodia ſeruauit, ut uix eum uel cognatus, uel aliorum moribus crederet, quoaduſq; uita pueri ad boni cultus operis, duce Chriſto, ſine quo nihil boni agitur, aſpiraret. Nec immeritò ſolem fulgentem è ſinu ſuo mater prodire conſpexit, quia hic in matris uniuerſorũ eccleſię membris, inſtar Phœbi fulgore micuit, Domino dicente, Tunc iuſti fulgebũt ſicut ſol in regno patris eorum. Sic Debbora ſupplici uoce ad Dominum ſpiritu ſancto monente, olim loquebatur, dicens, Qui autem diligunt te, ſicut ſol in ortu ſuo ſplendet, ſic rutilabunt. Aethereus etenim axis ſiderum diſtinctione flaueſcens, ſicut de frequentia celebris lucis ſpecioſior eſt, ſicut diei lux, Phœbi aucta ſplendore, mundo amœna refulget: ita corpus eccleſiæ cum conditoris ſui ditatum opibus, ſanctorum augmentato numero, ſcientiæ religione niteſcit, ut ex frequentia doctorum pullulent lucra ſubſequentium. Et ut ſol uel luna aſtraq; omnia noctem & diem ſuo nitore nobilitant, ita ſanctorum merita ſacerdotum, eccleſiæ munimenta roborant.

## CAPVT II.

PEractis itaq; infantiæ annis, in pueritiæ ætate pubeſcens, liberalium literarum doctrinis & grammaticorum ſtudijs, ingenio capaci dare cœpit laborem, quem per omne pueritiæ & adoleſcentiæ tempus exercens, uſq; ad uirilem ætatem uberi intentione defixit. Sed cum eum elegantia formæ, præſertim corporis candor & pubertas nobilis omnibus gratũ redderet, cœpit tandem contra eum antiquus hoſtis lethifera tela relaxare, ut quem tanto ingenio creſcere cerneret, ſuis habenis ſi ualuiſſet, irretiret. Aggreſſus eſt igitur laſciuarum puellarum in eum ſuſcitare amorem, præcipuè quas forma corporis, perfunctorio decore, horrendo deſiderio in miſerorum animos ſolet immergere. Sed cum ſe egregius miles tantis telis undique urgeri conſpiceret, & micantem ſicam callidi hoſtis ſe contra erigi conſpexiſſet, expertus fragilitatem humanam citò ad procliuia labendo



demergi, ut Liuius ait, Nihil eſſe tam ſanctum religione, tamq; cuſtodia clauſum, quò penetrare libido nequeat: euangelicũ clypeum tenens læua, enſemq; ancipitem ferens dextra, contra immanes cuneos hoſtium pugnaturus cœpit pergere, ne fruſtrato labore, quo potiſsimo ingenio ſudauerat in grammatica, rhetorica, geometria, & diuinarum ſcripturarum ſerie, ſeculi illecebris occuparetur. datur ſcilicet adhuc ſtimulus urgendi. Cùm hæc iam penes ſe uolueret, uenit ad cuiuſdam religioſæ ac Deo dicatæ cellulam fœminę, quam cum prius humili uoce ſalutaſſet, poſtea caſtigare illam iuuenili ut poterat hortamine eſt aggreſſus. Quæ uidens in adoleſcente uigorem, Ego, ait, utcunq; potui, ad bellum progreſſa exiui: en duodecim tempora uoluuntur, quo & domo carui, & hunc peregrinationis locum expetij, & nunquam deinceps Chriſto præſule, manu ſtiuam tenens, retrò reſpexi: & niſi fragilis ſexus obſtaret, mare tranſito, potioris peregrinationis locum petiſſem, tu uerò adoleſcentiæ flammis æſtuans, natale ſolum incolis, & ad fragiles uoces, uelis nolis fragilitati aurem accommodas, & uiſitare te fœmineum ſexum liberè credis. Non reminiſceris ſuaſu Euæ Adam dilapſum, Samſonem à Dalila ſeductum, Dauid à priſtina iuſticia pulchritudine Berſabeæ corruptum, ſapientiſsimũ Salomonem mulierum amore deceptum. Perge, inquit, ò iuuenis, perge, euade ruinam, per quam multos comperis corruiſſe: declina uiã, quæ inferi ducit ad ualuas. Huius ergo dictis ſtimulatus adoleſcens, & ultra quàm adoleſcentem terreri crederes, grates tales increpanti refert: & ſodalibus ualedicens iter arripuit, materq; eius dolore ſtimulata, precatur ut ſe non relinqueret. At ille, Non, inquit, audiſti, qui amat patrem aut matrem plus quàm me, non eſt me dignus? Obſtanti matri & limini oſtij inhærenti, poſtulat ut ſe ire ſinat: illa autem eiulans, & pauimento proſtrata, denegat ſe permiſſuram. Ille enim limen matremq; tranſilijt, poſcitq; matrem ſe lætam habeat: illum nunquam deinceps in hac uita uiſuram, ſed quocunq; ſalutis uiam iter pandat, ſe progreſſurum. Relicto ergo natali ſolo, quod Lagenorum terram incolæ nuncupant, ad uirum uenerabilem nomine Senile perrexit, qui eo tempore ſingulari religione, & ſcripturarum ſacrarum ſcientiæ flore inter ſuos pollebat. Quem cum uir ſanctus ingenij ſagacis eſſe uideret, omnium diuinarum ſcripturarum ſtudijs imbuit: ita tamen ut fieri aſſolet, cum ludendo magiſtri diſcipulos ſciſcitari conãtur, ut de illorum ingenio cognoſcant, uel flagrantem ubertate ſenſum, uel negligentiæ ſomno torpentem, cœpit ab eo ex difficilium quæſtionum materia ſenſus quærere. At ille pauido quanquam, tamen ſagaci è pectore, ne inobediens magiſtro appareret: nõ xenodochiæ auctus uitio, ſed magiſtro parendo, uerſa uice obiecta ſibi elucubrabat, memor illius Pſalmographi pręconij, Aperi os tuum, et ego adimplebo illud. Tantũ in eius pectore diuinarum theſauri ſcripturarũ conditi tenebantur, ut intra adoleſcentiæ ætatẽ detentus, pſalmorũ librum elimato ſermone exponeret, multaq; alia quæ uel ad cantum ſunt digna, uel ad docendum utilia, condidit dicta.

## CAPVT III.

DEdit deinde operam, ut monachorum necteretur ſocietati, ac monaſterium, cuius uocabulum eſt Benchor, petijt, in quo præſul uirtutum ubertate cluebat beatus Congellus, egregius inter ſuos monachorum pater, quiq; & religionis ſtudio, & regularis diſciplinæ cultu præcipuus habebatur. Ibi ſolis orationibus & ieiunijs uacare cœpit, & iugum Chriſti, quod ferentibus leue eſt, ſuper ſe ferre, ſemetipſumq; ſibi abnegando, ac crucem ſuam tollendo, Chriſtum ſequi: ut qui aliorum doctor futurus erat, ipſe quod doctrina didicerat, in ſuo corpore mortificationẽ ferendo, uberius exemplo monſtraret, quod alijs implendum fore docuiſſet. Peractis itaq; annorum multorum in monaſterio circulis, cœpit peregrinationem deſiderare, memor illius Domini imperij ad Abraham, Exi de terra tua, & de cognatione tua, & de domo patris tui, & uade in terram quam monſtrauero tibi. Cõfeſſus igitur uenerabili patri Congello cordis ardorem, & ignitum igne Domini deſiderium, de quo igne Dominus in Euangelio loquitur, Ignem ueni mittere in terram, quem uolo ut ardeat: ardentem patri patefaciebat affectũ, ſed non ita patris reperiebat reſponſum, ut ſua petitio anhelabat. erat enim uenerabili Congello arduum tanti ſolaminis pati diſpendium. Tandem tamen aſpirare cœpit, & cordi anteponere, ut non plus ſuæ neceſsitati ſtuderet, quàm aliorum utilitati opportuna pararet: nec ſine omnipotentis arbitrio fiebat, qui tyronem ſuum ad bella futura erudiebat, ut de eius uictorijs glorioſos referret triumphos, lautamq; ſupellectilem de cæſorum hoſtium reportaret phalangis: uocatoq; eo triſtem licet ſibi, tamen alijs utilem depromit ſententiam: ſe & pacis uinculum, & ſolaminis ſupplementum, comitesq; itineris, quos religio claros reddebat, largiturum. Collecto ſanè fratrum cœtu, omnium orationum ſuffragia poſtulat, ut futuro itineri ſolamen largitor pietatis tribuat. Viceſimum ergo ætatis annum agens, arrepto itinere cum duodecim comitibus, Chriſto duce ad littus maris accedunt: ibi omnipotentis miſericordiam præſtolantur, ut ſi ſuę uoluntati inhæreant, concepti conſilij effectus perficiantur, agnoſcuntq; ſecum clemẽtis iudicis uoluntatem adeſſe: carinamq; ingreſsi, dubias per freta ingrediuntur uias, & mite ſalum properantibus zephyrorum flabris, pernici curſu ad Britannicos perueniunt ſinus. Pauliſper ibidẽ commorantes, uires reſumunt, ancipitique animo, anxia cordis conſilia trutinantur. Placet tandem arua Gallica planta terere, & mores hominum feruenti aſtu ſciſcitari: & ſi ſalus ibi

ferenda

ſerenda ſit,quantiſper commorari:ſi autem obduratas caligine arrogantię mentes reperiant, ad uicinas regionum nationes pertranſire.

CAPVT IIII.

ABritannicis ergo finibus progreſsi,ad Gallias tendunt, ubi tunc uel ob frequentiã hoſtium externorum,uel negligentiam pręſulum religionis uirtus penè abolita habebatur, fides tantũ manebat Chriſtiana.Nam pœnitentiæ medicamento,& mortificationis amor,uix uel paucis in illis reperiebatur locis. Agebat autem uenerandus uir,ut ad quæcunq; loca progrederetur,uerbum Euangelicum annũciaret. Erat enim gratum hominibus,quia quod facundiæ cultus adornabat,elucubrante prædicationis doctrina,ſimul & exempla uirtutum confirmabant. Tanta enim erat humilitatis ubertas, ut uerſa uice,ſicut de honoribus homines ſeculi conantur quærere dignitates,ita iſte cum ſodalibus ſuis de humilitatis cultu alter alterum niterẽtur præuenire:memores præcepti illius, Qui ſe humiliat,exaltabitur: & illud Iſaiæ, Ad quem reſpiciam, niſi ad humilem & quietum, & trementem ſermones meos? Tanta pietas, tanta charitas omnibus inerat, ut unum uelle, & unum nolle eſſet omnibus:modeſtia atq; ſobrietas,manſuetudo & lenitas, æquè in omnibus redolebat. Execrabatur ab his deſidiæ atq; diſcordiæ uitium, arrogantiæ aut elationis ſupercilijũ duris caſtigationũ ictibus feriebatur, iræ ac liuoris noxa ſagaci intentione pellebatur. Tanta itaq; patientiæ uirtus, charitatis affectus,lenitatis cultus aderat,ut mitem in medio eorum Dominum patulè non ambigeres habitare. Si quenquam in his labi in uitium reperiſſent,ſimul omnes æquo iure negligentem correptionibus cędere ſtudebant:communia omnia omnibus erãt. Si quiſpiam aliquid propriũ uſurpare tentaſſet,cæterorum conſortio ſegregatus,pœnitentiæ ultione uindicabatur:nullus proximo contrarietatem rependere, nullus aſperũ ſermonem audebat proferre,ita ut in humana conuerſatione angelicã uitam agi crederes. Tanta in beato uiro gratia redundabat, ut in quorũcũq; domibus quãtiſper cõmoraretur, omniũ animos ad religionis cultum defigeret.

CAPVT V.

PEruenit ergo fama beati Columbani ad aulam Sigeberti regis, qui eo tempore duobus regnis Auſtraſiorum Burgundionumq; inclytus regnabat Francis, quorum eximium nomen præ cæteris gentibus quę Gallias incolũt, habetur. Ad quem cum uir ſanctus cum ſuis acceſsiſſet, gratus regi & aulicis ob egregiæ doctrinæ copiam redditur. Cœpit tandem ab eo rex quærere,ut intra terminos Galliarum reſideret,nec ad alias gentes tranſiens ſe relinqueret,omnia quæ eius uoluntas popoſciſſet ſe paraturum. Tunc ille ait regi, Nõ ſe aliarum opũ fore cupidum,ſed Euangelici pręconij, in quantum carnis fragilitas non obſtabat, ſectaturum exemplũ: Qui uult,inquit,poſt me uenire,abneget ſemetipſum ſibi, & tollat crucem ſuam, & ſequatur me. Cui talia obijcienti,rex præbet reſponſum,Si Chriſti crucem tollere, & ipſum ſequi deſideras, potioris eremi ſectare quietẽ, tantum ne noſtræ ditionis ſolo relicto, ad uicinas pertranſeas nationes:ut & tui præmij augmentum,& noſtrę ſaluti prouideas opportuna. Data itaq; optione,obtemperans regis perſuaſionibus eremum petit. Erat enim tunc uaſta eremus Voſagus nomine, in qua caſtrum olim dirutum, quod antiquorum traditiõ Anagrates nuncupabat. Ad quem cum uir Dei ueniſſet, licet aſpera eſſent uaſtitate ſolitudinis, & ſcopulorũ interpoſitione loca, ibi cum ſuis reſedit paruo alimentorum ſolamine contentus: memor illius uerbi, Nõ in ſolo pane hominem uiuere,ſed uerbo uitę ſatiatos affluẽti dape abũdare,qua quiſq; ſumpta,eſuriẽ neſciat in æuũ.

CAPVT VI.

EO ergo in loco uiro Dei cum ſuis commorante, ſubitò unum è fratribus, uel ob probationem,uel qualibet culpa attrahente, uis febrium cœpit flagellare: ſed cum nulla alimentorum ſolamina adeſſent, niſi corticum & herbarum pabula præberentur tantummodo,cœpit omnium animis aſpirare,ut pro ægri fratris ſoſpitate,ieiunio omnes & oratione uacarent. Tertio die iam peracto ieiunio, nihil habentibus unde feſſa corpora reficerentur,ſubitò conſpiciens uirum quendam cum panum ſupplemento,uel pulmentorũ equos oneratos habentẽ,ante fores aſtare: qui ſe referebat ſubita cordis admonitione actum,ut eis ex ſua ſubſtantia ſubueniret, qui tantam pro Chriſto egeſtatem in eremo ſuſtinerẽt. Oblatis itaq; uiro Dei quæ detulerat, cœpit cum cordis humilitate depoſcere,ut uir ſanctus pro coniuge ſua deprecaretur Dominum, quam per anni circulum tantus ignis febrium urebat,ut iam crederetur ſuperis reddi. Humili ergo & anxio corde poſcenti, noluit uir ſanctus denegare ſolamen, adhibitiſq; ſimul fratribus, pro ea Domini miſericordiam deprecatur:cumq; ille cum ſuis orationem cõpleſſet,ſtatim ea quæ periculum mortis in propatulo habebat,ſanitati eſt reddita. At uerò cũ uir eius largita ſibi à uiro Dei benedictione domum remeaſſet, inuenit coniugem ſuam domi ſedentem:ſciſcitatuſq; qua hora eam uis febriũ reliquiſſet, reperit ea hora ſanatam fuiſſe, qua uir Dei pro ea Dominũ deprecatus eſſet. Trãſacto itaq; deinceps paruo temporis interuallo, quo pia capiti Chriſto placamenta ac piamina mentis,per contritionem carnis, iniuriaſq; famis,mortificata Deo membra offerrent, ac inuiolatũ religionis ſtatum ſeruare ſtuderent,duris acerbitatibus omnis frangeretur uoluptas: ut uidelicet prędo uirtutũ omnium explorator criminum foret,nouẽ iam tranſierunt dies, quo





uir Dei cum ſuis nõ alias dapes caperet, quàm arborum cortices,herbaſq; ſaltus. Sed temperauit eſcæ ariditatem, pietas uirtutis æternæ: monuit per uiſum abbatem quendam, nomine Carantocum, qui monaſterio cui Salicis nomen eſt,præerat,ut famulo ſuo Columbę, intra eremi uaſtitatem conſiſtenti, neceſſaria deferret. Expergefactus igitur Carãtocus cellarium ſuum Marchulſum nomine,uocat,eiq; admonitæ rei cauſam narrat. at ille, Fac inquit,ut imperatum eſt tibi. Iubet ergo Carãtocus Marchulſum ire, & omnia quæ poſſet, parare, & beato Columbano deferre. Oneratis ergo Marchulſus uehiculis, iter arripuit: ſed cum ſolitudinis ora attigit, uiam ſibi pandi itineris nequaquã reperit. Fuit autem tandem conſiliũ,ut ſi in hoc Dei eſſet imperium,præmiſsis equis,imperantis potẽtia uiam aperiret. Mira itaq; uirtus, antecedentes equi ignotum iter ungula callem terunt,rectoq; itinere ante fores beati Columbani ad Anagrates perueniunt. Mirans ergo Marchulſus, equorum ueſtigia ſubſecutus, ad uirum Dei peruenit,& quæ detulerat, præſentat. Ille autem grates conditori rependit,qui ſic famulis ſuis in deſerto parare menſam non diſtulit. Accepta ergo Marchulſus ab eo benedictione, calle quo uenerat, repedauit, omnibuſq; rei geſtæ cauſam patefecit. Cœpit namq; exinde frequentia populi & infirmantium cohortes, ob ſanitatem redintegrandam eum frequentare,& omnium infirmitatũ ſuffragia quęrere:quorum uota cum reuocare à ſe nequiret, omnium petitionibus parens, orationum adiumento cunctorum ad ſe uenientium infirmitates,diuino fultus auxilio, curãdo ſubueniebat.

CAPVT VII.

IIſdem in locis euenit, ut per opaca ſaltus, inter deuia idem uir Dei deambularet: & librũ humero ferens,de ſcripturis ſacris ſecum diſputaret:ſubita cogitatio in mentem ruit, quid de duobus eligeret melius, in hominum iniurias incidere,quàm ferarũ ſæuitiã ſuſtinere. Cumq; urgeret cogitationem innata ſeueritas, crebrò frontem ſigno crucis armans, atq; orans intra ſe ait, melius eſſe ferocitatẽ beſtiarũ abſq; alieno peccato, quàm hominum rabiem ſuſtinere cum damno animarum. Dumq; hæc animo uolueret, conſpicit duodecim lupos aduenire, & dextra læuaq; ſibi aſtare, manebatq; immobilis, atq; dicens, Deus in adiutorium meum intende,Domine ad adiuuãdum me feſtina. Propius autem illi accedunt, atq; ora ueſtimentis ſuis iungunt: cumq; ille conſtans aſtaret, intactum relinquunt,ſaltumq; peruagantur. Hac tẽtatione in ſecuritatem traiecta, iter per ſaltum carpit:cumq; haud procul abiſſet, audit uocem multorum Sueuorum per auia oberrantium, qui eo tempore ijſdem in locis latrocinia exercebant. ſicq; dæmon per conſtantiam traiecta tentatione,pepulit aduerſitatem: ſed hoc utrũ diaboli fallacia finxerit, an rei ueritas geſſerit, patulè non agnouit. Rurſumq; ſeceſsit à cellula,longioriq; uia eremi uaſta penẽtrãs, reperit ſaxum immane,præruptaq; rupis latera,aſpera ſcopulis terga, auia hominibus, ibiq; conſpicit concauum in caute ſinum: aggreſſuſq; abdita perſcrutari, reperit in interiore ſinu, urſi habitaculum,ipſumq; interius reſidentem. Mitis ergo ferã iubet abire, Nec deinceps, inquit, hos repetas calles. Abijt autẽ fera mitis, nec prorſus eſt auſa repedare: diſtabatq; ab Anagrate locus ille plus minuſq; ſeptem milibus.



CAPVT VIII.

QVodam in tempore cum in eadem concauitate ſcopuli ſolitariam uitam duceret,ſicut eius erat conſuetudinis, ut cum Dominici feſti uel quorumlibet ſanctorum ſacræ ſolennitatis appropinquaret aduentus,ab aliorum ſocietate ſegregatus, & abditis locis receptus, longioris ſpacij eremi ſecreto tutaretur, ut ſolida mente, & abſq; curarum inquietudine ſolus orationi uacaret,& religioni omni conatu intẽderet: erat cibus eius attenuatus, ita ut uix eũ uiuere crederes, nec aliud penitus, quã agreſtium herbarum exigua menſura, uel pomorũ paruulorum,quę eremus illa ferebat,quas etiã Bulgulas uulgò appellant: potus illius aqua erat, ut qui ſæpè in aliorũ curis occupatus, hæc æquè agere nequiret, ſaltem per interualla tẽporum pro parte mentis uota patraret. eratq; in monaſterio eius puerulus quidam nomine Domualis, qui cum certa opportunitas monaſterij eueniſſet,ſolus patri renũciaret, ac fratribus obſeruanda referret. Poſitus ergo in præfato ſinu eminẽtis ſaxi, qui aliunde penè aditum denegabat, multis cum iam inibi diebus reſediſſet, cœpit ſupradictus puerulus ſubſilẽti uoce conquirere, cur in promptu aquam non haberet, ſed grãdi labore per montis ardua feſsis poplitibus deferret. Cui Columbanus inquit, Fili,pauliſper ſaxi terga ſciſcitare,memẽto populo Iſrael Dominum de caute latices produxiſſe. At ille patri obediens,rupem cædere aggreſſus eſt. Sãctus itaq; uir ſtatim genibus prouolutus,orationibus deprecatur,ut ſuæ neceſsitati tribuat opportuna. Tãdẽ eius precibus parens,piè petẽti larga ſubuenit poteſtas: moxq; latice producto, fons cœpit manare perennis, qui uſq; in hodiernum diem manat. Nec immeritò miſericors Dominus ſuis ſanctis tribuit poſtulata, qui ob ſuorum præceptorum imperiũ proprias crucifixerũt uoluntates, tantum fide pollentes, ut qui eius miſericordiam poſtulauerint,impetrare nõ dubitent, quia ipſe promiſit dicẽs, Si habueritis fidẽ ſicut granũ ſynapis,dicetis mõti huic tranſi,& trãſiet: & nihil impoſsibile erit uobis. Et alibi, Omnia quæcũq; orãtes petitis,credite:q̃a accipietis,& eueniẽt uobis.

CAPVT IX.

CVmq; iam multorum monachorũ ſocietate denſaretur,cœpit cogitare,ut potioris loci ſpacium quæreret in eadem eremo,quo monaſterium conſtruxiſſet. Inuenit autem caſtrũ firmiſsimo olim fuiſſe munimine cultum, à ſupradicto loco diſtans plus minus octo milibus: quem locum Luxouiũ priſca tempora nuncupauerant.

pauerant. Ibi aquæ calidæ cultu eximio conſtructæ habebantur, ibi imaginum lapidearum denſitas uicina ſaltus denſabat, quas cultu miſerabili rituq; prophano, uetuſta paganorum tempora honorabant, quibusq; execrabiles cæremonias litabant. Solæ ibi beſtiæ ac feræ urſorũ, bubalorum, luporum multorum frequentabãt. Ibi reſidens uir egregius, monaſteriũ conſtruere cœpit. Ad cuius famam plebs undiq; concurrere, & ſe cultui religionis dicare curabat, ita ut plurima monachorum multitudo adunata, uix unius cœnobij collegio conſidere ualeret. Ibi nobilium liberi undiq; concurrere nitebantur, ut ſpretis phaleramentis ſeculi, & præſentiũ pompam facultatũ contemnentes, æterna præmia caperent. Quod beatus Columbanus cernens, undiq; ad pœnitentiæ medicamina plebem cõcurrere, & unius cœnobij ſepta tantam conuerſantium cohortem, abſq; difficultate nõ continere: quamuis mente una & corde uno, tamen conuerſationi tantæ multitudinis incõgruum, alium experimento locum quærit, quẽ aquarum irriguitas adornabat. aliudq; monaſterium conſtruxit, cui Ad fontanas nomẽ indidit, deditq; gubernatores præpoſitos, de quorũ religione nihil dubitabatur. His ergo in locis monachorũ plebibus conſtitutis, ipſe uiciſsim omnibus intererat, regulamq; quam tenerent, ſpiritui ſancto repletus condidit. in qua autem qualis & quantæ diſciplinæ uir ſanctus fuerit, prudens lector, uel auditor agnoſcit.

CAPVT X.

EO itaq; tempore quidam frater nomine Auciernus pulſare aures uiri Dei cœpit, ut peregrinãdi cauſa in Hyberniam perueniret: cui Columbanus ait, Pergentes in eremum, uoluntatem Domini probemus, utrum deſideratum arripias iter, an in cœtu fratrum permaneas. Pergentes ergo ſimul, tertium adoleſcẽtem nomine Soniarium, qui adhuc ſuperis iunctus eſt, in comitatũ ſumpſerunt: & ad deſtinatum in eremo locum uenerunt, unius panis tantum cibo contenti. Cumq; iam duodecimus tranſiſſet dies, nec quicquam panis fragmenti remanſiſſet, horaq; refectionis appropinquaret, imperatur à patre, ut per prærupta ruris eant, atq; ad ima uallis perueniant, & quicquid ad cibum opportunè reperiant, deferant. Ouantes illi per concaua uallis, Moſella tenus peruenerũt, capturamq; piſcium olim à paſtoribus conſertam, & undis oppoſitam cernunt: accedẽtesq;, quinq; magnos reperiũt piſces, ſumẽtesq; tres qui adhuc uiuerent, patri præſentandos uehũt. at ille, Cur inquit, non quinq; detuliſtis? Reſpõdent, mortuos reperiſſe duos, proinde reliquiſſe. et ille, Nequaquã ait, ex his comedetis, niſi quos dimiſiſtis, uenerint. At illi miraculo perculſi de prouidentia diuinæ gratiæ, pernici curſu locum repetunt, piſces relictos deferunt, increpantur cur repertum manna reliquiſſent, & ſic cibos parare iubẽtur: nempe ſpiritu ſancto uir Deo plenus, nouerat ſibi à Domino paſsim dapes paratas. Alia quoq; uice, cum in eadem ſolitudine moraretur, nõ tamen eo in loco, iam quinquaginta dies tranſierunt, unusq; tantum de fratribus cum eo erat, Gallus nomine: cui ille imperat, ut ad Bruſcam eat, piſcesq; capiat. Ille abijt, retimq; duxit, ut ad Ligonem amnẽ pergeret. Quò cũ perueniſſet, reteq; in alueũ iactauiſſet, aſpicit tantam multitudinem aduenire, nec prorſus à reti teneri, ſed uelut in parietem impingerent, retro reuerti. Laborauit itaq; per totum diem, nec uel unum capere quiuit. Reuerſus itaq; renunciat patri deſruſtratũ laborem: ille inobedientem increpat, cur non ad denunciatum locum properaſſet: aitq; denuò, Vade citò, & ad denunciatum perge locum. Peruenit itaq;, & undis rete oppoſuit, tantaq; piſcium copia impletum eſt rete, ut uix præ multitudine trahi potuiſſet. Hæc nobis ſupradictus Gallus ſæpè narrauit.

CAPVT XI.

MOrabatur autẽ alia uice in ſupradicto ſcopuli ſinu, à quo urſum expulerat, diuq; ibi oratione & ieiunio corpus afflixerat. Cognouit ergo per reuelationẽ, fratres qui penes Luxouiũ erant, diuerſis morborum generibus uexari: nec amplius remanſiſſe, quàm qui ægrotis adminiſtrabant. Egreſſus itaq; de ſpecu, ad Luxouium uenit. Cumq; omnes afflictos cerneret, imperat ut omnes ſurgant, atq; ad meſſem in area uirgas cædant. Surrexerunt ergo, quorum conſcientiã obedientiæ ignis urebat, ad areãq; uenientes, uirga meſſem cædere cum fidei gratia aggreſsi ſunt. Videns ergo pater fidem in filijs & obedientiæ gratiam abundare, ait, Sinite, inquit, feſſa ægritudine membra à labore reficere. Mirãtur de ſoſpitate obediẽtes, nullo doloris ueſtigio remanente, menſasq; parare iubet, ut uberi gaudio omnes reficerentur. Increpantur deinde inobedientes, ignauia fidei arguitur, longitudo ægritudinis eis denunciatur. Mira ultio: nam ſupra metam anni inobedientes ægritudinis pœna ita uehementer exuſsit, ut uix mortẽ euaderent, impleuerũtq; menſurã pœnitentiæ de ſuſcepto inobedientiæ tempore.

CAPVT XII.

INterea tempus euenerat, ut copia ſegetũ horreis conderetur, nec prorſus uis uentorũ nubes compilare ceſſabat. Vrgebat ſanè neceſsitas, ne maturæ meſsis ſpicæ in ſtipula germine miſſo perirent. Eratq; uir Dei apud Fontanas cœnobium, ubi & meſsiũ copiam nouus ager locupletem tenebat. Irruebãt enim uentorum flabra cum uehementia imbrium, nec omnino nubila cœli dare terris pluuiam quieſcebant. Quid inter hæc uir Dei ageret, anxio corde pẽſabat. Armauit mentem fides, docuit impetrare opportuna: accerſiuitq; omnes, ac ſegetem præcidi iubet. Mirantur illi patris imperium, nec tamẽ quiſquam patri cogitatum depromit. Venerũt ergo omnes, falceq; inter diffuſiones imbrium ſecant ſegetem, patremq; quid agat conſpiciunt. Ille autem quatuor plenos religione uiros, per quatuor angulos meſsi præponit, Comininum & Eunocum, ac Aequonum, ex





Scotorum genere, quartumq; Gorganum, genere Britonem. His ordinatis, ipſe cum reliquis meſſem medius præcidebat. Mira uirtus: fugiebat imber à ſegete, & undique pluuia diffundebatur: medios tamen meſſores ſolis ardor torrebat, æſtusq; uehemens, quouſq; meſſem conderent, afflauit. Sic fides & oratio meruit, ut pulſa pluuia æſtum inter imbres haberet.

CAPVT XIII.

ERat enim tunc temporis dux quidã, nomine Vualdelenus, qui gentes quæ inter alpiũ ſepta, & Iurani ſaltus arua incolunt, regebat: huic ſoboles nulla erat, ut Iuuencus de Zacharia & Eliſabeth ait, Gratius ut donum iam deſperantibus eſſet. Hic cum coniuge ſua Flauia nomine, & genere & prudentia nobili, ad beatum Columbanum ex Veſocionenſi oppido pergit, precantes ſimul, ut pro eis Dominũ deprecaretur, dicentesq; ſe multis opibus eſſe ditatos, ſed cui hæreditatem poſt obitum relinquerent, hæredẽ non haberent. Quibus uir ſanctus, Si inquit, uoti ueſtri eſt, ut largitoris donũ, eius nomini conſecretis, mihiq; ex lauacro ſuſcipiendum tradatis, pro uobis Domini clemẽtiam implorabo, ut non ſolùm eum, quem Domino uoueatis, habeatis: uerùm quanta uolueritis, pòſt pignora ſuſcipiatis. At illi læto animo promittunt, ſe eius imperijs parituros: tamen pro ipſis Domini miſericordiam non deſinat implorare. Spondet uir Dei muneribus plenus, ſe in promptu habere: tantum ne pacti fœdus ſtudeãt uiolare. Mirum dictu, uix domum remeant, donum creatoris aluo grauida, mater futura expectat. Editum autem puerum ad uirũ Dei defert, ſuis orationibus largitum munus demonſtrat, grates conditori agit, qui ſic ad petitiones famulorum ſuorum, quæſita dona largitur. Quem uir ſanctus ſuis manibus receptum ſacrauit, ſacroq; lauacro ablutum ipſe ſuſcepit: donatumq; nomen imponit, matriq; ad nutriẽdum reddit. Qui pòſt alitus, in eodem monaſterio ſapientia imbutus, Veſocionenſis pontifex eſt præfectus, nunciusq; ſupereſt eandem cathedrã regens. Qui pòſt in amore beati Columbani, ex ipſius regula monaſterium uirorum conſtruxit, quod Palatium nuncupãt, ob ueterum munimenta murorum. Addidit poſt eum bonitatis largitor famuli ſui promiſſum, alium filiũ Ramelenum nomine, qui nobilitate & ſapientia pollẽs, poſt obitum patris in eius honorem eſt ſuffectus: quamuis ſeculari habitu, tamen in creatoris amore uigil. Nã & ipſe in amore beati uiri, in ſaltu Iurenſi, ſuper Nouiſonam fluuiolum monaſterium ex eius regula cõſtruxit, in quo Agrium abbatem præfecit: addiditq; adhuc duas filias priſtino muneri, & ſeculo nobiles, & Chriſti timori deditos. Poſt iſta munera mater ipſorum Flauia, poſt mariti obitum, monaſterium puellarum conſtruxit in ſupradicta urbe Veſocionis, & omni munimine roborãs, multarum puellarum concionẽ adunauit. Tanta autem in eis uiri Dei gratia flagrauit, ut omnia phaleramenta præſentis uitæ contẽnentes, ad omnipotentis Dei cultum anhelarent.

CAPVT XIIII.

HIc uerò aliqua inſerere nitimur, quæ licet parua hominibus uideantur, erũt obtrectatorum latratibus patentia, conditoris tamen largitio æquè in minimis, ut in magnis miſericorditer aſpirat: nec differt in modicis aurem pietatis accommodare, ſicut in maximis exaudit uota petentis. Quadã etenim die, cum uir egregius Columbanus ad præcidendã meſſem cum fratribus penes Calmẽ, quam Baniariciã uocant, ueniſſet, & blando commodoq; auſtro flante, falce ſegetem ſecarẽt, euenit ut unus eorum Theodegiſus nomine, digitum falce præcideret, nec prorſus hæreret, præter paruæ pellis retentaculũ. Itaq; ſtantẽ uir Dei Theodegiſum cernens à longè, imperat, ut cum ſodalibus cœptũ opus perficiat. At ille rei geſtæ cauſam promit, celer autẽ ille ad ipſum properat, digitũq; illitum ſaliua, priſtinæ ſtatim ſanitati reſtituit, imperatq; ut celer ad cœptũ opus uires augeat. Cœpit ergo cum gaudio geminare laborẽ, ac præ cæteris ad præcidendam ſtipulam uberius urgere, qui dudum de præciſo membro animũ mœrori ſubdiderat. Hæc nobis ipſe Theodegiſus narrauit, digitumq; monſtrauit. Et in ſupradicto cœnobio Luxouio tale quid uice alia geſſit ſimile. Nam quidam presbyter ex parochianis, pater Boboleni, qui nunc Bobienſi cœnobio præeſt, Vuinicoſus nomine, ad beatum Columbanum uenit: eratq; ille in ſaltu cum fratribus ob lignorũ opportunitates parandas. Cũq; ſupradictus Vuinicoſus ſuperueniſſet, mirãsq; aſpiceret, quanta ui truncum quercus cuneis arieteq; partirent, elapſus è trunco cuneus, mediam frontem ſecauit, ac uenarum profluas ſanguinis undas produxit. Videns autem uir Dei Columbanus detectum os, ſanguinem fluentẽ, ſtatim in terram orans ruit, ſurgensq; ſaliua illitum, ſanum reddidit, ut uix cicatricis ueſtigiũ remaneret. Alia uice cum ad cibum capiendũ ueniret beatus Columbanus in ſæpè fato cœnobio Luxouio, tegumenta manuum, quæ Galli Vuantos, id eſt, chirothecas uocãt, quos ad operis laborem ſolitus erat habere, ſupra lapidem qui ante fores refectorij erat, depoſuit. Moxq; quiete reddita, coruus ales rapax aduolauit, unumq; exeis roſtro ferens abſtulit. Peracta autem refectionis hora, foris uir Dei rediẽs, tegumenta manuum requirit. Cumq; omnes inter ſe conquirerent, quis abſtuliſſet: uir ſanctus ait, nullum alium eſſe qui ſine cõmeatu aliquid præſumeret cõtingere, niſi alitẽ, qui à Noë dimiſſus, ad archam nõ remeauiſſet: addiditq; ſe nullo modo ſuos pullos aliturum, ſi rapax furtum celeri uolatu non referret. Expectantibus autẽ omnibus fratribus in medio eorum, coruus aduolat, malè ſublatum furtum roſtro reportat, nec ſe pennigera conatur eripere fuga: ſed mitis ante omnium conſpectum, oblitus ferocitatis, ultionem expectat. Quem uir ſanctus abire imperat. O mira æterni iudicis uirtus, qui tanta ſuis famulis præſtat, ut nõ ſolùm hominum ho-

noribus, ſed etiam auium obedientia clareſcãt.

CAPVT XV.

PAtratum deinceps aliud miraculum, quod per beatum Columbanũ, & eius cellerariũ factũ fuit refero. Cum iam hora refectionis appropinquaret, & miniſter refectorij ceruiſiam adminiſtrare conaretur, quæ ex frumenti & hordei ſucco excoquitur, quamq; præ cæteris in orbe terrarum gentibus præter Scordiſcas & Dardanas gentes, quæ oceanum incolunt uſitant, id eſt Gallia, Britannia, Hybernia, Germania, cæteræq; quę ab eorum moribus non deſciſcunt, uas quod Typrum nuncupant, ad cellerarium deportat, & ante uas quo ceruiſia condita erat, apponit, tractoq; ſerraculo, meatim in Typrum currere ſinit. Quẽ ſubitò beati Columbani patris imperio, alius è fratribus uocauit. At ille obedientię igne ardens, oblitus meatum obſerare, pernici curſu ad beatum uirum pergit, ſerraculum, quem Duciolum uocãt, manu deferens. Poſtquam autem ſibi uir Dei, quæ uoluerat imperata deprompſit, recordatus negligentiæ, celeriter ad cellerarium redijt, conijciens nihil in uaſe, de quo ceruiſia recurrebat, remanſiſſe: intuitusq; eſt ſupra Typrum ceruiſiam creuiſſe, & ne minimam ſtillam foris cecidiſſe, ut crederes in longitudine Typrum geminatum eſſe, ut qualis & quanta rotunditate infra Typrũ inerat corona, talis in altum creuiſſet urna. Quantum imperantis imperium, quanta obedientia obſequentis, ut ſic utriusq; triſtitiam Dominus uoluiſſet auertere, ne ſi fratrum ſubſtantiam, & imperantis & obedientis ardor diminuiſſet, ambo ſe à licitis alimẽtis abdicaſſent. Sicq; æquus arbiter occurrit, ut utrorumq; culpas ablueret, quas illis ſi caſu ueniente, uel Domino permittẽte fuiſſent patratę, ambo ſuis noxis eueniſſe aſſeruiſſent.

CAPVT XVI.

EOdem in tempore actum eſt, ut per dẽſa ſaltus uiburna fruticum ſolitudinis amator, quę propter Fredemungiacas culmen erat, uir Dei ambularet, reperitq; cadauer cerui, quem luporũ feritas peremerat, urſum deuorare uelle: cuius iam ſanguinem lambens, exiguam partem carnis uorauit. Ad quem uir Dei acceſsit, increpans ne corium, quod ad uſus calciamentorum neceſſarium erat, læderet. Tunc beſtia oblita ferocitatis, mitis eſſe cœpit, & contra naturam abſq; murmure blandiens, atq; colla ſubmittens, cadauer reliquit. Quod uir Dei ad fratres rediẽs indicauit, in eum locum ut irent, & de cerui cadauere corium auellerent. Abeuntes ergo fratres, reperiunt undiq; rapacium alitum procul multitudinem abeſſe, nec ad cadauer ſupra uiri Dei interdictum accedere audere, diuq; expectantes à longe, ſi uel fera uel auis audaci conatu prohibitæ eſcæ urgeretur prædam capere, conſpiciunt ad odorem cadaueris lupos aduentare, & procul adſtantes, ac ſi mortiferũ ac lethale aliquid euitare, & celeri fuga omittere. Morãtesq; alia uice penes Luxouiũ Columbanus, Vuinicoſus presbyter, cuius ſuperius fecimus mentionem, ad eum uenit, ſequebaturq; Vuinicoſus Colũbæ ueſtigia, quocunq; iret: ueneruntq; ad horreũ quo frumenta condebantur, aſpiciensq; Vuinicoſus paruipẽdentis copię exiguitatem, ait ſe non habere panis abundantiam, quo tanta multitudo alatur, curq; ſegnicia torpeat quærendi frumenta, increpat. Cui beatus Columbanus reſpondit, Si ritè conditori ſuę deſeruiant plebes, nunquam per æuum eſuriem ſcient: ſic enim præconcinentis uox pſalmigraphi concelebrat, Non uidi iuſtum derelictum, nec ſemen eius quærens panem. Perfacile farre horreum replet, qui de quinq; panibus quinq; milia hominũ ſatiauit. Manente denique nocte illa ibi Vuinicoſo, uiri Dei fide & oratione horreum repletum eſt: maneq; conſurgens Vuinicoſus, iuxta horreũ tranſiens inopinatò horreum cernit apertum, clauigerumq; ſimul ante oſtium aſtantem. Sciſcitatur autem, quis hoc direxerit, aut quę plauſtrorum congeries hæc frumenta deuexerint. Cui horrei cuſtos ait, Non ita eſt, ut putas. nam cerne, ſi ueſtigia plauſtrorum, uel iumentorum telluri impreſſa appareant: nequaquã enim claues à me hac nocte diſceſſerunt, ſed obſerato horrei oſtio, diuino ſolamine, frumento repletũ eſt horreum. Cœpit autem ille de induſtria intentis oculis terram reſpicere, & deferentium ueſtigia diligenti examinatione cognoſcere. Cumq; nihil horũ ſimile quid reperiſſet, ait, Potens eſt Deus ſeruis ſuis parare menſas in deſerto. Traiecto autem exinde tẽporis interuallo, uenit beatus Columbanus ad Fontanas cœnobium, reperitq; fratres ſexaginta ſarculo terram colere, & ſemini futuro confectũ glebis aruũ parare: cũq; uidiſſet eos magno labore glebas ſcindere, ait, Sit uobis ò fratres à Domino collata refectio. Quo audito, miniſter ait, Pater mi, nõ ſunt nobis amplius quàm duo panes, & parum ceruiſię. ille, Vade, inquit, & defer hũc. Cõcito ille gradu perrexit, duosq; panes & parum ceruiſiæ detulit. Intuens autem cœlos ſanctus Columbanus, ait, Chriſte Ieſu, unica ſpes orbis, tu hos panes & hunc potum multiplica, qui de quinq; panibus quinq; ſatiaſti milia hominũ in deſerto. Mira res. Satiati ſunt omnes, potuq; hauſto, pro ut uoluntas cuiq; fuit, dupla miniſter fragminum ſpolia recolligit, potusq; duplicatam menſuram: ſicq; intellexit plus mereri fidem, digna diuini muneris lucra, quã deſperationem, quæ ſolet diminuere etiam collata. Cùm ergo quodã in tempore in eodẽ cœnobio Luxouio uir Dei commoraretur, accidit ut unus è fratribus nomine & ipſe Columbanus, febre correptus, atq; in extremis poſitus, felicẽ poſtularet exitũ. Cumq; iam ultimo halitu carere uellet, fidens de cœleſti munere, quod longo famulatu quæſierat, uidit ad ſe uirum fulua luce amictũ accedere, ſibiq; dicere, Non te modò à corpore ducere poſſum, quia orationibus & lachrymis patris tui Columbani prępedior. Cumq; hæc Columbanus audiſſet, mœrens ac ſi ſomno euigilaſſet, ſuum miniſtrum Theode-

giſum,



giſum, cuius ſuperius fecimus mentionem, uocare cœpit: Feſtina, inquit, perge, & patrẽ cõmunem Columbanũ ad me uenire compelle. Concito ergo gradu ille uenit, ac beatum Columbanum in eccleſia poſitum flentem reperit, poſtulatq; ut ad ægrotum feſtinus accedat. Venit ergo perniciter, & quid uellet interrogauit. At ille cauſam obijcit, Cur me, inquit, tuis orationibus in hac ærumnoſa uita detines? Nàm adſunt qui me ducere uolũt, ſi tuis precibus & fletibus non præpediantur. Retentionis ſolue obſtacula, ut mihi iam pateant cœleſtia regna. Tum metu Colũba perculſus, ſigno tacto omnes adeſſe imperauit, ſancti Solalis amiſsionẽ gaudio temperauit, corpus Chriſti abeunti de hac uita, uiaticũ præbet, ac poſt extrema oſcula, defunctionis cantus impleuit. Erat enim ex eodem genere quo beatus Colũbanus, unoq; commeatu & nomine, ex Hybernia proceſſerant. Quomodo autem beſtiæ ac uolucres uiri Dei parerent imperio, non eſt ſilendum. Nam Chagnoaldum Lugduni pontificem, qui eius miniſter & diſcipulus fuit, nouimus referentẽ, qui ſe teſtabatur ſæpè uidiſſe, cum in eremo uel ieiunio, uel oratione uacans deambularet, eſſe ſæpè ſolitũ feras beſtias, ac aues accerſere: quæ ad imperium eius ſtatim ueniebant. Quas manu blandiens attrectabat, & ita ferę, auesq; gaudentes ac ludentes lætitia uberi, ueluti catuli ſolent dominis adulari, exultabant. Et feruſculam, quam uulgò homines Squirium uocant, ſæpè de arduis arborum culminibus accerſitã, manuq; receptam, ſuoq; collo poſitam, & ſinũ ingredientem ac exeuntem, ſæpè ſe uidiſſe ſupradictus uir teſtabatur.

CAPVT XVII.

CReuerat nanq; iam paſsim fama ſancti uiri in uniuerſas Galliæ, & Germaniæ prouincias, eratq; omnium rumore laudabilis, omniũ cultu uenerabilis, in tãtũ, ut Theodericus rex, qui eo regnabat in tempore ad eum ſæpè ueniret, & orationum ſuarum ſuffragiũ omni cum humilitate depoſceret. Sigebertus etenim, cuius ſuperius fecimus mentionẽ, apud Victuriacum uillam publicam, quæ in ſuburbano Attrauienſis urbis ſita eſt, Hilprici germani ſui dolo, qui apud Turnacum oppidum tũc erat, quẽ Sigebertus uſq; ad internitionem perſequebatur, interfectus eſt. Perempto itaq; Sigeberto, Hildebertus filius eius, regni ſceptra ſuſcepit annuente matre Brunehilde. Mortuo deinde Hildeberto, infra adoleſcentiæ annos regnauerũt filij Hildeberti duo, Theodebertus & Theodericus, cũ auia ſua Brunehilde. Regno Burgundionum Theodericus potitur, regnum Auſtraſionum Theodebertus ſuſcepit regendum. Theodericus ergo, quia in terminis regni ſui beatum Columbanũ haberet, gratulabatur nõ minimè. Ad quem cum ſæpiſsimè ueniret, cœpit eum uir Dei increpare, cur concubinarum adulterijs miſceretur, & non potius legitimi coniugij ſolamine frueretur, ut regalis proles ex honorabili regina prodiret, & nõ potius ex lupanaribus uideretur emergi. Cumq; iam ad uiri Dei imperium regis ſermo obtemperaret, & ſe ab omnibus illicitis ſegregare reſponderet, mentem Brunehildis auiæ, ſecundæ ut erat Iezabelis antiquus anguis adijt, eamq; contra uirum Dei ſtimulatã ſuperbiæ aculeo excitat, quia cerneret uiro Dei Theodericum obedire. Verebatur enim, ne ſi abiectis concubinis, reginam aulę præfeciſſet, & dignitatis atq; honoris ſui modum amputaſſet.

CAPVT XVIII.

EVenit ergo, ut quadam die beatus Columbanus ad Brunehildem ueniret (erat enim tũc apud Brocoriacũ uillam) cumq; illa eum in aulã ueniſſe cerneret, filios Theoderici, quos de adulterinis permixtionibus habebat, ad uirum Dei adducit. Quos cũ uidiſſet, ſciſcitatur quid ſibi uelint. Cui Brunehildis ait, Regis ſunt filij, tu eos tua benedictione robora. at ille, Nequaquam inquit, iſtos regalia ſceptra ſuſcepturos ſcias, quia de lupanaribus emerſerunt. Illa furẽs, paruulos abire iubet. Egrediens ergo uir Dei regiam aulam, dum limitem tranſiliret fragor exortus, totam domum quatiẽs, omnibus terrorem incuſsit: nec tamen miſeræ fœminæ furorem compeſcuit. Parat deinde inſidias moliri, uicinisq; monaſterijs per nuncios imperat, ut nulli eorum extra monaſterium iter pandatur, neq; receptacula monachis eius, uel quælibet ſubſidia tribuantur. Cernens autem beatus Columbanus regios animos aduerſum ſe permotos, ad eum properat, ut ſuis monitis miſeræ pertinacię in tantũ frangat: erat enim tunc temporis apud Spiſsiam uillam publicã. Quò cum iam ſole occumbente ueniſſet, regi nunciant uirum Dei inibi eſſe, nec in regis domibus metari uelle. Tunc ait Theodericus, melius eſſe uirum Dei opportunis ſubſidijs honorare, quã Dominum ex ſeruorum eius offenſa ad iracundiam prouocare. Iubet ergo regio cultu opportuna parare, Deiq; famulo dirigi. Itaque uenerunt, & iuxta imperium regis oblata offerunt. Qui cum uidiſſet dapes & pocula cultu regio adminiſtrata, inquirit quid ſibi uelint iſta. Aiũt illi, ſibi à rege eſſe directa. Abominatus autem ea, ait, Scriptum eſt, munera impiorum reprobat altiſsimus: non enim dignum eſt, ut famulorum Dei ora cibis eius polluantur, qui non ſolùm ſuis, uerùm etiam aliorum habitaculis, famulis Dei aditum denegant. His dictis, uaſcula omnia in fruſta diſrupta ſunt, uinaq; ac ſicera ſolo diffuſa, & cætera ſeperatim diſperſa. Pauefacti autem miniſtri, rei geſtæ cauſam regi nunciant. Tunc ille pauore perculſus, cum à uia diluculo ad uirum Dei properat: precantur de commiſſo ueniam, ſe in poſtmodum emendare pollicentur. His placatus promiſsis, ad monaſterium redijt: ſed polliciti uadimonij iura non diu ſeruata uiolantur: exercentur miſeriarum incremẽta, ſolitoq; à rege adulteria patrantur. Quo audito, beatus Colũbanus literas ad eum uerberibus plenas direxit, comminaturq; excommunicationem, ſi emendare dilatando nõ

uellet. Ad hæc rurſum permota Brunchildis, regis animũ aduerſus beatum Columbanũ excitat, omniq; conatu perturbare contendit: orabatq; proceres aulicos, optimates omnes, ut regis animũ contra uirum Dei perturbarent. Epiſcopos autẽ ſolicitare adgreſſa eſt, ut de eius religione detrahendo, ſtatum regulæ, quam ſuis cuſtodiendum monachis indiderat, macularẽt. Obtemperãtes igitur aulici perſuaſionibus miſeræ reginæ, regis animum contra uirũ Dei perturbant, cogẽtes ut accederet, ac religionẽ probaret. Coactus itaq; rex ad uirũ Dei Luxouiũ uenit, conqueſtusq; eſt cum eo, cur à cõprouincialiũ morib. diſcederet, & intra ſepta ſecretiora, omnibus Chriſtianis aditus nõ pateret. Beatus itaq; Colũbanus, ut erat audax atq; animo uigens, talia obijcienti regi, reſpondit ſe cõſuetudinẽ nõ habere, ut ſecularibus hominibus & à religione alienis, famulorum Dei habitationis pandat introitũ, ſe & opportuna aptaq; loca ad hoc habere parata, quo omniũ hoſpitum aduentus ſuſcipiatur. ad hæc rex, Si inquit, largitatis noſtræ munera, & ſolaminis ſupplemẽtum capere cupis, omnibus in locis omniũ patebit introitus. Vir Dei reſpondit, Si quod nũc uſq; ſub regularis diſciplinę habenis conſtrictũ fuit, uiolare conaris, nec tuis muneribus, nec quibuſcunq; ſubſidijs, me fore à te ſcias ſuſtentãdum: & ſi hãc ob cauſam tu hoc in loco ueniſti, ut ſeruorum Dei cœnobia deſtruas, & regularẽ diſciplinã macules, ſcito tuũ regnum funditus ruiturũ, & cum omni propagine regia demergendũ. Quod poſtea rei probauit euentus: iam enim temerario conatu rex refectoriũ ingreſſus fuerat. His ergo territus dictis, foras celerrepedat. Duris poſt hęc uiri Dei increpationibus rex urgetur. Contra quę Theodericus ait, Martyrij coronam à me tibi inferẽdam ſperas? Non eſſe ait tantæ dementiæ ſe, ut hoc tantum patraret ſcelus: ſed quæ ſunt potioris cõſilij ſe agere, & utiliora paraturũ: ut quia ab omniũ ſecularium moribus deſciſcat, qua uenerat, ea uia repedare ſtudeat. Aulicorũ ſimul cõſona uoce uota prorũpunt, ſe habere nõ uelle his in locis qui omnibus non ſocietur. Ad hæc beatus Colũbanus ſe dicit de cœnobij ſeptis nõ egreſſurũ, niſi uiolenter abſtrahatur. Diſceſsit ergo rex, relinquens uirum quendã procerẽ, nomine Baudolſum. Is enim cum remanſiſſet, uirũ Dei à monaſterio pellit, & penes Veſocionenſe oppidum perducit ad exulandũ, quo ad uſq; regalis ſentẽtia, ex eo quid uoluiſſet decerneret. Cõmorans ergo inibi, audit carcerẽ eo in loco plenũ eſſe damnatorũ hominũ, mortis dãna expectantiũ. Ad quẽ uir Dei properat, ingreſſuſq; oſtiũ nullo obſtante, uerbũ Dei damnatis depromit: ſpõdentq; illi, ſi liberarẽtur emendaturos, & de cõmiſſa noxa pœnitẽtiã acturos. Beatus itaq; Colũbanus, poſt hæc miniſtro Domoali, cuius ſuperius fecimus mentionẽ, imperat, ut manu ferrum quo cõpedes irretiti erant, atq; innexi, apprehẽdat ac trahat. Quod ille apprehẽſum trahit, & ueluti frutex putrefactus, per partes cõminuitur, ęgrediq; carcerẽ dãnatos ſolutis cõpedibus iubet. Peracto autẽ Euangelici cultus officio, pedes lauit, linteoq; abſterſit: imperatq; deinde ut eccleſiã petãt, & cõmiſsi ſceleris pœnitendo, ac fletibus abluendo culpas lauẽt. Properantes ergo illi eccleſiæ fores obſeratas reperiunt. Tribunus igitur militũ cũ uidiſſet uirtute Dei per beatũ Columbanũ damnatorũ compedes fractos, & uacuũ ſibi tantũmodo relictũ ergaſtulũ, inſequi calces damnatorũ ac ſi à ſomno excitatus cũ militibus cœpit. Illi uerò poſt tergũ appropinquare ſatellites uidentes, & fores eccleſiæ obſeratas cernẽtes, gemina uallati anguſtia, uirum Dei cõpellant ut eruantur. Ille autẽ anxio anhelitu ſurſum caput attollit, precaturq; Dominũ, ut ſua uirtute ereptos è ferro nõ ſinat denuò tradi ſatellitũ nexui. Nec morata auctoris bonitas, fores firmis obſeratas clauſtris reſerat, atq; in anguſtia poſitis aditum pandit, perniciq; curſu ingrediũtur eccleſiã. Fores autẽ poſt damnatorũ introitũ in oculis militũ abſq; humana manu obſerantur, ac ſi cuſtos uſu clauigero, perniciter & reſeraſſet & obſeraſſet. Perueniens ergo beatus Colũbanus cũ ſuis, ſimulq; & tribunus cũ militibus, fores obſeratas repererũt: Aſpaſiumq; nomine cuſtodẽ quęrũt, ut claues largiatur. Qui cum ueniſſet, clauigeroq; uſu fores reſerare uoluiſſet, ait, ſe nunquã diligẽtius obſerata clauſtra inueniſſe. Nec quiſquam pòſt auſus eſt damnatis iniuriã inferre, quos diuina uirtus eruerat.

## CAPVT XIX.

POſt hæc uir Dei cernens quòd nullis cuſtodijs angeretur, à nulloq; moleſtiã ſuſtineret: uidebant enim omnes in eo Dei uirtutẽ flagrare, ideoq; omnes ab eius iniurijs ſegregabãtur, ne ſocij culparũ forent: aſcendit Dominica die in uerticẽ ardui cacuminis montis illius: ita enim ſitus urbis habetur, cum domorũ denſitas in diffuſo latere procliui montis ſita eſt, prorumpunt ardua in ſublimibus cacuminibus, qui undiq; abſciſsi fluminis Douæ alueo uallante, nullatenus cõmeantibus uiam pandit: ibiq; uſq; ad mediã diẽ expectat, ſi aliquis iter ad monaſterium reuertendi prohibeat. Et cũ nullus contrarius exiſteret, ipſe per mediã urbẽ cum ſuis ad monaſteriũ regreditur. Quo audito Brunehildis ac Theodericus, quòd ſcilicet ab exilio reuertiſſet, atrocioribus iræ aculeis ſtimulantur, iubentq; militũ cohortẽ ut rurſum uirũ Dei abſtrahant, & ad priſtinũ prorſus exiliũ reuocẽt. Venientes ergo milites cum tribuno, peragrãt ſepta monaſterij, uirumq; Dei perquirũt. Reſidebat autẽ ille in atrio eccleſiæ, librũq; legebat. Vbi cum ſæpe ueniſſent, & prope eum trãſirẽt, ita ut nõnulli in eius pedibus offenderẽt, & ueſtimentis ſuis eum tangerent, ſed obcęcatis luminibus ipſum nequaquam uiderent, erat ſpectaculum pulcherrimum. Ille autem ouans cernebat quærẽtes, nec omnino uidebatur: illi in medio eorum poſitũ, cum uiderentur ab eo, nõ uidebant: uenitq; tribunus, intuituſq; per feneſtram, uirum Dei uidit inter ipſos lætum reſide

re &



re & legere: cernenſq; uirtutem Dei ait, Quid tam intentè atria eccleſiæ peragratis, nec omnino reperitis? Nequaquam amplius inſaniæ errore cor ueſtrum decipiatur: non enim uos poteritis eum inuenire, quem uirtus diuina tegit. Redite ab hac intentione, & regi properemus nũciare, quia eum minimè reperiſtis. Datur autem manifeſtè intelligi, tribunum militum nõ ſponte ad parandum uiro Dei iniuriam ueniſſe, & ideo ad eum uidendum lumen meruiſſe. Renunciantibus ergo illis auribus regis, ille aucto furore miſeræ intentionis, Bertharium comitem ad eum requirendum attentus uirorum cum præſidio, ſimulq; & Baudolſum, quem ſuperius direxit, deſtinauit. Quò cum ueniſſent, beatum Columbanum in eccleſia poſitum pſallentem, ac orationi deditũ, cum omni congregatione fratrum reperiunt: ſicq; uirum Dei alloquuntur, Vir Dei precamur, ut tam regijs, quàm etiã noſtris pręceptis obedias, egreſſuſq; pergas eo itinere, quo primum his aduentaſti in locis. at ille, Non enim, inquit, reor placere cõditori, ſemel natali ſolo ob Chriſti timorem relicto, denuò repedare. Cumq; nullatenus cernerent ſibi uirum Dei obedire, relictis quibuſdam quibus ferocia animi fortior erat, Bertharius abſceſsit. Hi uerò qui remanſerant, uirum Dei hortantur, ut illis miſereatur, qui ad tale opus patrandum infeliciter fuerant relicti, eorumq; periculo conſuleret, qui ſi eum uiolenter non abſtraherent, mortis periculum incurrerent. At ille ait, iam ſæpius teſtatum eſſe, niſi ui abſtraheretur, ſe nõ diſceſſurum. Illi autem gemino uallati periculo, undiq; urgente formidine, pallium quo indutus erat, attingunt: alij genibus prouoluti, cum lachrymis precantur, ut pro tanti ſceleris culpa illis ignoſceret, qui non ſuis deſiderijs, ſed regijs obtemperarent præceptis. Videns itaq; uir Dei periculum aliorum fore, ſi ſuæ ſeueritati ſatisfaceret, cum omnium eiulatu atq; mœrore egreditur, deputatis à rege cuſtodibus, qui quouſq; ditionis ſuæ regno pelleretur, non eum relinquerẽt, ſed pariter cum illo ambularent. Inter quos primus Ragamundus erat, qui cum uniuerſis fratribus uelut funus ſubſequentibus, Nammetis eum uſq; perduxit. Anxius itaq; pater tantorũ membrorum diſpendio, cœlos reſpicit, Aeterne inquiens conditor rerum, tu nobis locum præpara opportunum, quo tibi tuæ famulentur in ſecula plebes. Conſolatur deinde uniuerſam ſimul cohortem, ut ſpem nõ præpediant, ſed omnipotenti Deo immenſas laudes rependant: ſe hoc non ob diſpendium ſuum, uel ſuorum pati, ſed ob multiplicandas monachorũ plebes hãc eſſe datam occaſionem: & quicunq; ſe ſequi uelint, promptiſsimo animo ad ſuſtinendas iniurias conuenirent: qui uerò in ſupradicto cœnobio remanere uoluerint, ſecur. in hoc loco remanerent, citò Dominum de eorum mœrore unctionem daturum. Sed cum æquo animo de cuſtodia paſtoris ſegregari nollent, cuſtodes regis inquiunt, nequaquam hinc ſe ſequi alios permiſſuros, niſi eos quos ſui ortus terra dederat, uel qui è Britannicis aruis ipſum ſecuti fuerãt, cæteros qui Gallico orti forent ſolo, præceptis eſſe regijs inibi remanſuros. At cum egregius pater cerneret ui à ſe ſua membra diſcerpi, tã ſuus quàm etiam membrorũ ſuorũ dolor multiplicabatur: & pro tanti ſceleris pondere Dominum omniũ conſolatorem deprecatur, ut quos à ſe regia pertinacia ſegregabat, ipſe ſua cuſtodia tueretur. Inter quos uenerabilis uir, q pòſt in eodem monaſterio pater extitit Euſtaſius, diſcipulus & miniſter ſancti uiri, uiolẽter auellitur, intendente ſuper eum Nugetio auunculo eius, qui Lingononicæ eccleſiæ pontifex erat. Egreſſus ergo uir ſanctus cum ſuis, uiceſimo anno poſt incolatum eremi illius, per urbem Veſontionum Auguſtudunumq;, ad Auallonẽ caſtrũ peruenit. Sed priuſquam ad Auallonẽ perueniret, in uia ei cuſtos equorũ Theoderici occurrit, lãceaq; uirũ Dei traijcere uoluit, ſed maleuolã animã ultio mox digna præuenit. Nam dextera, quam aduerſum uirũ Dei leuauerat, torpente, lanceam ante pedes ſuos humo defixit: ipſeq; à dęmonio correptus, ante ueſtigia uiri Dei ruit. Quẽ ille cernens ultione diuina percuſſum, die illa nocteq; penes ſe tenuit. Cumq; ſequens rurſus dies illuxiſſet, ad ſe accerſiuit, Deoq; fauente curatus à peſte, ad propria remeauit. Deinde ad Carã fluuium properans, ad domum cuiuſdam nobilis & religioſę fœminæ Theodemãdæ peruenit. Quò cum perueniret, occurrerunt ei 12. uiri pleni rabido dæmone, furentes atq; ruentes in terrã: quos uir Dei protinus oratione curauit. Eadem autem die ad uicum, quem Corã uocant, uenerũt: ibiq; quinq; uiri phreneſi uexati obuenerunt, ubi & mox ſanati ſunt. Et in Autiſiodorum properauit, ibiq; allocutus eſt Ragamundum, quia ipſe eum uia, qua ibat, ducebat. Memento, inquit, ò Ragamunde, quod Chlotharium, quem nunc ſpernitis, intra triennium dominum habebitis. at ille, Cur inquit, talia domine mi, ais? illeq; ait, Videbis prorſus, quæ dixi, ſi tunc uitam cum ſuperis feras.

## CAPVT XX.

PRogreſſus ergo exin ab Autiſiodoro, conſpicit iuuenem à dęmonio correptum, pernici ex aduerſo currere curſu: 20. etenim milibus totis uiribus cucurrerat. Quo uiſo ſubſtitit, quouſq; ſaucius homo dæmonis arte ueniret: ueniènſq; ante uirum Dei, ruit ſe diſcerpens. Quem uir Dei orationibus curauit, patriq; ſoſpitem reddidit. Deinde ad Niuernenſe oppidum uenit, cuſtodibus antecedentibus ac ſubſequentibus, ut Ligeris ſcapha reciperetur, Britannicoq; ſinu redderetur. Vbi etiam cum ueniſſent, & tardo conamine ſcapham inſilirent, quidam è cuſtodibus arrepto remo, unum eorum qui Lua dicebatur, percuſsit uirũ ſanctiſsimum, & omni religione deditũ. Vir autẽ Dei intuens ſua coram ſe membra cædi, Cur in-

quit, crudelis addis mœrori mœrorem? An nõ ſufficit ad ueſtram ruinam patrati ſceleris malum? Cur feſſa Chriſti membra cædis? Cur contra mitem immitis appares? Cur ſęuitiã in manſuetos prætendis? Memento te diuina ultione in hoc loco percutiendum, in quo Chriſti membrum furens percuſsiſti. Probauit autem illatæ ſententiæ pœnam, ultio mox ſubſecuta. nam ut ſubſequenti uice rediens ad eundem portũ trãſiturus uenit, diuinitus percuſſus, in eodem eſt loco demerſus. Quid cauſæ fuit, ut iuſtus arbiter eandem ultionem in poſtmodum diſtuliſſet, niſi ut tunc ſancti obtutus, de uindicta eius non macularentur? Inde ad Aurelianenſem urbem uenerunt: quò cum nec aditum eccleſiarum ſibi ex regijs præceptis pãdi uideret, cũ grandi mœrore ſuper ripam Ligeris, tentorijs contentus pauliſper quieſcit. Cumq; iam ſumptuũ neceſſarijs indigerent, duos in urbẽ direxit, ut neceſſaria quærerent: quorum unus erat Potentinus nomine, qui adhuc ſupereſt, & in Armoricano loco, in ſuburbano Conſtantiæ urbis monachorum cohortem adunauit. Sed cum luſtrantes urbem illi nihil reperiſſent, quia regio timore omnium corda perculſa manebant, uia qua urbem intrauerant, repedabant: obuiamq; habẽt mulierem in platea ex genere Syrorum: quę cũ eos uidiſſet, ſciſcitata eſt qui'nam eſſent. Illi rei ueritate digeſta, aiũt ſe neceſſaria quæſiſſe, nec prorſus reperiſſe. Illa autem infit, Accedite domini mei, ad metatum famulæ ueſtræ, & quæ ſunt neceſſaria uobiſcũ uehite. Nam & ego aduena ſum, ex longinquo orientis ſolo. Illi enim ouãtes, eam ſunt calce ſecuti, ueneruntq; ad domum eius: ſellaq; poſita, quieuerunt donec detulit quod eis eſſet ad uictum: eratq; ſimul in cõſeſſu uir eius, olim iam luminibus orbatus: de quo ſciſcitati ſunt, quis eſſet. Illa autem infit, Vir meus eſt ex eodem genere Syrorum, ſicut & ego, quem per multorum circulũ annorum lumine priuatum traho. Illi inquiunt, Si Chriſti famuli Columbæ obtutibus præſentaretur, eius interuentu orationum lumen poſſet recipere. At ille promiſsi muneris, fideiq; nexibus mentem roborat, ſurgensq;, eorum eſt proſecutus cum duce ueſtigia. Narrauit ergo Potentinus hoſpitalitatis munus in peregrinis. Nec prorſus uerba impleuerat, cæcus aſtabat, precaturq; Dei uirum, ut ſuis orationibus ei lumẽ reſtituat. Videns itaq; illius fidem, omnes poſcit ut pro cæco orent: pronusq; diu ſupra humum iacuit, ſurgensq; manu oculos attigit, ac poſt crucis ſignum poſtulatũ lumen reddidit. Gaudens ergo ille reddito lumine, domum remeauit, ut uidelicet qui interiorem lucem non amiſerat, exteriori non careret. Sicq; exinde turba obſeſſorum, quos dæmones horrido furore torquebant, ad uirum Dei curandi gratia properabant: daturq; ſalus largita à Domino omnibus per uirum Dei beatum Columbanum. His nanq; uirtutibus populus urbis permotus, uirum Dei ſuis facultatibus latenter atque honorificè ſulciebat; non enim manifeſtè propter cuſtodes quicquam præbere audebant, ne regis irã incurrerẽt: deinde arreptũ iter peragũt.

CAPVT XXI.

NAuigantes ergo per Ligurim, ad Turonenſem perueniunt urbẽ: ubi uir ſanctus cuſtodes precatur, ut ſcapha portui appropinquẽt, ſeq; ad ſepulchrũ beati confeſſoris Chriſti Martini ire ſinant. Quod abnuentes cuſtodes, nauigare ueloci conatu compellunt, remigerosq; urgẽt, ut omni uirtute curſu celeri portũ tranſeant: gubernatori imperant, ut medio fluminis alueo ſcaphã teneat. Quod uidens beatus Columbanus, mœſtos uultus ad cœlum erigit, cõpellans ſe tantæ mœſtitiæ ſubdi, ut ne ſanctorũ ſepulchra uiſere permittatur. Vrgentibus ergo omnibus, mox ut contra portum uentũ eſt, uelut quibuſdam anchoris defixis, ſcapha ſtare cœpit, & ad portum caput dirigere. Quod cum cuſtodes obſtare non ualerent, inuiti ſcapham quò uelit ire ſinunt: mirum in modum è medio fluuij chilos ad portum ceu pennigero uolatu peruenit, portuq; recepto, uiro Dei uiam pandit. Gratias autem ille regi refert æterno, qui ſuis ſic obtemperare non dedignatur ſeruis. Egreſſus ſanè ad ſepulchrum beati Martini confeſſoris Chriſti accedit, totaq; ibi nocte in oratione excubat. Illuceſcente uerò die, à Leupario urbis illius epiſcopo inuitatus ad eſum, ire non abnuit, præſertim ob ſuorum requiem fratrum, moratusq; eſt eo die cum ſupradicto pontifice: qui cum hora refectionis cum eo ad menſam reſideret, interrogatus cur retrò ad patriã repedaret? reſpondit, Canis me Theodericus, à meis fratribus abegit. Tunc unus è conuiuis, Chrodoaldus nomine, qui amitam Theodoberti regis in coniugium habebat, regi tamen Theoderico fidelis erat: hic uiro Dei humili uoce reſpõdit, eſſe melius lac potare quàm abſynthium. Cui uir Dei ait, Cognoſco enim te regis Theoderici fœderis iura ſeruare uelle. At ille fatetur ſe fœdus fidei promiſſæ, quamdiu ualeret obſeruare. Cui beatus Columbanus reſpõdens, Si inquit, regis Theoderici uinctus es fœderi, amico tuo & domino lætus eris à me legatus directus. Hæc ergo eius auribus infer, & ipſum & ſuos liberos intra triennij circulum eſſe delendos, radicitusq; eius ſtirpem Dominum eſſe eradicaturum. Cur inquit, ſupradictus uir, famulæ Dei talia promis? At ille, Non enim queo ſilere, quæ mihi loquenda Dominus tradit. Quod in poſtmodum omnes nationes Galliæ ſenſere impletum, confirmauitq; hoc ſuperius ad Ragamundum ſententia illata. Sublato deinde prandio, uir Dei ad ſcapham remeat, reperitq; ſuos multa triſtitia depreſſos: inquirensq; inuenit præterita nocte, quę in ſcapha habuiſſent, furto ſe perdidiſſe, ſimulq; aureos quos in pauperes non erogauerat furto ablatos. quo audito ad ſepulchrum beati Martini repedat, queſtusq; eſt, ſe non iccirco ad eius excubias iſſe, ut ille ſua, ſuorumq; ſineret damna patrari fratrum. Nec mora, is qui ſaccellum cum aureis furatus erat, cœpit inter flagella corporis,

pœnasq;



pœnasq; clamare & dicere, illo & illo in loco ſe aureos occultatos habere. Quod uidẽtes ſocij, omnes currunt, furtoq; ſublata omnia reddunt: & uirum Dei precantur, ut tanti ſceleris culpas ignoſcat. Quod miraculũ omnibus terrorem incutit, ut deinceps quicunq; iſta audiſſent, uelut ſacrata omnia, quæ ad uirum Dei pertinebant, attingere non auderent. Prębens itaq; neceſſaria Leuparius uiro Dei ualedicit. Nauali ergo itinere ouans uſq; ad Nammetenſe oppidum uenit, ibiq; aliquantiſper commoratus eſt. Quò cum quadam die quidam egenus ante fores cellulæ, in qua uir Dei metatus erat, clamaret, illo uocato miniſtro, ait, Præbe cibos alimoniam petẽti. at ille, Non eſt nobis panis, ait, niſi paululum tantum farinæ. at ille, Quantum inquit, habes? Teſtatus eſt ille amplius ſe non habere, ut rebatur, quàm farinæ modium. Dicit ergo, Da totum, nec quicquam reſerues in craſtinum. Obediens autem miniſter, totum ſimul pauperi tribuit, nihil ad neceſsitatem communem reſeruans. Ieiunantibus ergo illis, tertia dies illuxerat, nihil penes ſe habentibus præter ſpei & fidei gratiam, unde feſsis ieiunio membris ſubuenirent. Subitò autem audiuit quendam fores ſigno terere: cumq; oſtiarius ſciſcitaretur, cuius rei neceſsitas poſceret, ſono fragoris fratrũ aures inquietari: is qui fores terebat, ait ſe à domina ſua Procula nomine, eſſe directum, quæ diuinitus admonita, ut ſumptus uiro Dei Colũbæ atq; comitibus eius, qui apud Nãmetenſe oppidum morarentur, dirigeret, habericq; in proximo: ſeq; ideo præueniſſe, ut uaſa quo reciperentur, pararent, centum dicens módia eſſe uini, ducentaq; frumenti, ſed & bracis centum modia: quod oſtiarius celeri curſu patri indicare properat. At ille, Sine inquit: fratrumq; cœtum adunari præcipit, ut ſimul poſiti pro largitate Dominum precarentur, ſimulq; grates referãt conditori, qui ſuos conſolari non deſinit famulos in omnibus neceſsitatibus. et poſt hæc munus oblatum recipiunt. O mira cõditoris pietas: egere ſinit, ut ſua dona egentibus largiendo demonſtret: tentari permittit, ut in tentatione ſubueniens, ſuorum in ſe corda uberius excitet famulorum: ſua membra ſæuis laceranda tradit, ut circa ſanandorum medicamina multiplicata dilectio cõfirmetur. Alia ſimul nobilis fœmina & religioſa, nomine Dola, direxit ducenta frumenti, ac promiſcuè centum modia. Quæ cauſa maximam uerecundiam, urbis illius pontifici excitauit, nomine Soffronio: à quo cũ nihil muneris impetrauiſſent, nec quicquam commutando capere potuere. Ibi cũ moraretur quædam mulier, dæmonis peſte plena, cum filia itidem tali atrocitate repleta uenit. Quas cum Columba uidiſſet, communem pro eis Dominũ exorauit, ſanitatiq; poſt redditas, metatui ſuo redire præcepit.

CAPVT XXII.

POſt hæc Soffronius Nammetenſis urbis epiſcopus, unà cum Theodoaldo comite, iuxta regis imperium beatum Columbanum naue ſuſceptum, ad Hyberniam deſtinare properabant: uir autem Dei inquit, Si nauis, quæ finibus Hyberniæ reddatur adeſt, omnem ſupellectilem, comitesq; ſuſcipiat: ego uerò interim ſcapha recepta, Ligeris unda uehar, quo uſque ad maris alta deferat. reperta ergo naui, quæ Scòtorũ commercia uexerat, omnẽ ſupellectilem, comitesq; ſuſcepit. Cumq; iam remigera arte proſperantibus zephyris, nauis ad alta pelagi tenderet, undarum moles obuenerat, nauemq; ad litus redire coẽgit, planoq; terris ſalo depulſam reliquit. Collecto itaq; fluctu in ſinus equorum quieuit, manſitq; per triduum abſque undis carina. Intellexit ergo dominus nauis, ob uiri Dei ſupellectilem, comitesq; receptos ſe eſſe detentum. Fuit tandem conſilium, & reiecit omnia à nauis finibus, quæ ad uirum Dei pertinebãt. Nec mora, undarum moles adfuit, carinamq; ad alta prouexit. Mirantes itaq; omnes, cognouere non eſſe uoluntatem Dei, ut retrò amplius repedaret. Ad metatum ergo ſuũ, quo prius fuerat, redijt nullo iam obſtante, quò uellet ire: ſed magis prout quiſq; poterat, uirum Dei honoribus ac ſumptibus fulciebat. Nec defuit quicquam præſidij, dum in omnibus conditoris manebat auxilium: quia prorſus nunquã obdormiet, qui ſub alarum ſuarũ umbra Iſrael degit. Sic nẽpe omnibus omnia largiendo demonſtrat, ut ab omnibus pro munerum ſuorũ glorificetur largitione.

CAPVT XXIII.

MOratus ergo paululũ ibidem, poſt ad Clotharium Helperici regis filium, qui in Auſtraſijs Francis regnabat, in extrema Gallia ad Oceanum poſitis pergit. Porrò Clotharius audierat, quantis qualibus'ue iniurijs uirum Dei Brunehildis ac Theodericus fatigauerant: quẽ cum uidiſſet, uelut cœleſte munus recepit, ouansq; precatur, ut ſi uelit, intra ſui regni terminos reſideat, ſeq; ei, prout uoluerit famulaturũ. At ille, Nequaquam ait, his in locis ſe conſiſtere uelle, uel ob ſuam peregrinationem augendam, uel illis inimicitiarum occaſionem ſedandam. Tenuit ergo eum Clotharius quantis potuit penes ſe diebus, caſtigatusq; ab eo pro quibuſdam erroribus, quibus uix aula regia caret, ſpondet ſe Clotharius iuxta eius imperium omnia emendaturum. Erat enim Clotharius ſolers in amore ſapientiæ: inuentum ergo optatũ munus gratificabatur. Morãte igitur eo penes Clotharium, lis oritur inter Theodebertum & Theodericum, diſceptãtibus utriſque de regni termino: & utrique ad Clotharium legatos dirigunt, uterq; aduerſus parem auxilium poſtulat. Quod Clotharius beato Columbano inſinuare procurat, conſulens ut ſi uideretur eius conſilio, ſe uni conſentiendo, contra alium dimicare. Ad quem ille prophetico repletus ſpiritu ait, neutris eum fore pariturum conſilijs, ſuam autem intra triennij tempus in ditionem, utrorumque regna uenire. Videns autem Clotharius à uiro Dei talia ſibi prophetis/

phetico ore dici, neutri parere uoluit: ſed promiſſum ſibi tempus fideliter expectãs, pòſt potitus eſt triumpho uictoriæ.

CAPVT XXIIII.

POſt hæc egit apud Clotharium uir Dei, ut ſibi ſolamen largiretur, quatenus per Theodeberti regnum ſi ualeret, ad Italiam, alpium iuga tranſcendens perueniret. Datis ergo comitibus, qui eum uſq; ad Theodebertum perducerent, itinere arrepto, ad Pariſium urbem peruenit. Quò cum ueniſſet, occurrit ei homo in porta, habens ſpiritum immundum, debacchãs ac diſcerpens & garrulans, querulo ſciſcitatur uirum Dei affamine, Quid his uir Dei agis in locis? Raucoq; anhelitu à longe beatum Columbanum uenire iamdudum clamabat. Quem cũ uir Dei uidiſſet, ait, Egredere peſtifer, egredere, nec corpora Chriſti lauacro abluta, diu obſidere præſumas. Cede uirtuti Dei, & Chriſti nomine inuocato contremiſce. Sed cum diu ſęuis atriſq; uiribus obſtaret, uir Dei manũ ori eius iniecit, linguamq; attrectat, & in uirtute Dei imperat, ut egrediatur. Tunc horrida ui diſcerpẽs eum, ita ut uix nexibus teneretur, cum uiſcerum motione, ac uomituum motu progreſſus, tantum fœtorem adſtantibus dedit, ut ſulphureos ſe crederent facilius tolerare odores.

CAPVT XXV.

DEinde autem ad Meldenſe oppidum properat: quò cum uir quidam nobilis, nomine Channericus Theodeberti conuiua, uir ſapiens, & conſilijs regijs gratus, & nobilitatis ſapientia uallatus ineſſet: is uirum Dei miro gaudio recepit, ſeq; habere curam ſpondet, qualiter ad Theodeberti accederet aulam, non eſſe neceſſe alios comites è regio latere eum habere. Ad hoc enim aliorum differebat ſubſidium, ut uirum Dei ſecum quamdiu ualeret, teneret, & eius doctrina ſua domus nobilitaretur. Benedixit ergo uir Dei domum ſuam, filiamq; eius nomine Burgundoforam, quæ infra infantiæ annos erat, benedicens Domino uouit, de qua poſtea in ſubſequentibus narrabimus. Progreſſus autem inde, uenit ad uillam quandam Vulciacum, quæ ſupra amnem Matronam ſita eſt: ibi receptus eſt à quodam uiro, nomine Authario, cuius cõiunx Aiga dicebatur, erãtq; his filij intra infantiæ annos detenti: quos mater ad benedicendum uiro Dei obtulit. Videns ergo ille matris fidem, infantulos ſua benedictione ſacrauit: qui pòſt, mox ut pubęſcere cœperunt, Clothario regi primũ, ac deinceps Dagoberto gratiſsimi habiti ſunt. Sed poſtquam ſeculi gloria fuerant illuſtrati, anhelare cœperunt, ut per gloriam ſeculi, non carerent æterna: quorũ maior natu, Ado nomine, ſemet ſuis uoluptatibus abdicauit. poſtq; intra Iurani ſaltus, monaſterium ex beati regula Columbani conſtruxit; iuniorq; nomine Dado, intra Briegenſem ſaltum, ſupra fluuiolum Resbacem, ex ſupradicti uiri regula monaſterium conſtruxit. Tanta autem in uiro Dei gratia redundabat, ut quòſcunq; ſacraret, in boni cultus perſeuerantia dies ſuprema inueniſſet: illicq; iure dictum ſit, ut quos de induſtria monuiſſet, gauiſi ſint poſtea ſe impunitatem meruiſſe. Nec immeritò tanti uiri fultus adminiculò, paris gratiæ potitus eſt ſupplemẽto: qui eius doctrinis innexus, noluit à iuſtæ uitæ tramite deuiare.

CAPVT XXVI.

EXinde ad Theodebertũ regem uenit: quẽ cum Theodebertus uidiſſet, ouans ſuis ſedibus recepit. Iam enim multi fratrum poſt eũ ex Luxouio uenerant, quos ille uelut ex hoſtiũ præda ereptos ſuſcipiebat: pollicitusq; eſt Theodebertus, ſe reperire intra ſuos terminos loca uenuſta, & famulis Dei ad omnem opportunitatem congrua, proximaſq; ad prædicandũ nationes undique haberi. Ad hæc inquit uir Dei, Si pollicitationis tuæ adminiculum præbes, & uadimonio falſitatis noxa non opponitur, aliquantiſper me commoraturum promitto, ac probaturum, ſi in cordibus gentium fidem ſerere ualeam. Dedit ergo rex optionem, ut quacunque in parte uoluiſſet experimento quæreret locum, qui ſibi ſuiſq; placuiſſet: inquiſitũq; locum inuenerunt, quem fauor omnium reddebat laudabilẽ intra Germaniæ terminos: Rhenò tamen uicinum oppidum, olim dirutum, quod Brigantium nuncupabant. Sed quid tũc uiro Dei, dum per alueum nauigaret, actum ſit, ſilendum non eſt. Dum quodam die per Rheni, ut diximus, alueum ſcapha ueherẽtur, ad urbem quam Magontiacum ueteres appellarũt, perueniunt: quò cum ueniſſet, remigeri qui in comitatu uiri Dei à rege directi fuerant, uiro Dei aiunt ſe habere amicos in urbe, qui neceſſarios ſumptus præberent: iam enim defecerant longo itinere ſtipendia ſumptuum. Quibus uir Dei ait, Ite. Qui cum abiſſent, nihil repererunt: reuerſiq; uiro Dei interroganti reſpondent, ſe nullatenus aliquid ab amicis impetrare potuiſſe. Ad hæc ille, Sinite me, inquit, ad meum abire amicum. Mirantibus illis unde hic illo in loco, quo antea non uenerat, amicum haberet, progreſſus ad eccleſiam pergit: quam ingreſſus, pauimento inhærens, longæ orationis protractione ſuum dominum pietatis poſtulat auctòrem. Nec mora, epiſcopus urbis illius domo progreſſus ad eccleſiam uenit, repertumq; beatum Columbanum ſciſcitatur quis eſſet. At ille fatetur ſe peregrinum eſſe. cui ille, Si, inquit, neceſſe eſt ſumptuum copiam capere, propera domum, & quantum neceſſe fuerit, tecum defer. At ille, cum gratias ſimul conditori, qui ſibi hoc inſpirauerat, ac illi qui optatam neceſsitatis copiam offerebat, referret, attentius ille coëgit ac imperat, ut omnia opportuna ſumat: pueros'que feſtinè ad nauem ipſe dirigit, ut omnes ueniant, præter cuſtodem unum dimiſſum,



miſſum, & quæque uellent, ſecum deportent. Quod ne cui caſu eueniſſe uideatur, ſolitus erat poſtea idem epiſcopus proteſtari, nunquam ſe antea ſic attẽtum in tribuendo neceſſaria fuiſſe: & ſe abſq; alia opportunitate ob beati Colũbani meritũ, diuina admonitione ad eccleſiam non ueniſſe. Deinde autem ad deſtinatum perueniunt locum: quem peragrans uir Dei, Non ſuis placere animis ait, ſed tamen ob fidem in gentibus ſerendam, inibi pauliſper moraturum ſe ſpopõdit. Sunt etenim inibi uicinæ nationes Sueuorum. Quo cum moraretur, & inter habitatores loci illius progrederetur, reperit eos ſacrificium prophanũ libare uelle: uaſq; magnũ quod uulgo Cupam uocant, quod uiginti modia amplius nec minus capiebat, ceruiſia plenũ in medio poſitum. Ad quod uir Dei acceſsit, ſciſcitaturq; quid de illo fieri uellẽt. Aiunt illi, Se Deo ſuo Vadono nomine, quem Mercurium, ut alij aiunt, autumant eſſe, litare uelle. Ille autẽ peſtiferum opus audiens, uas inſufflat, miroq; modo uas cum fragore diſſoluitur, & per fruſta diuiditur, uaſq; rapido cũ liquore ceruiſiæ prorumpit: manifeſteq; datur intelligi, diabolum in eo uaſe fuiſſe occultatum, qui per profanum liquorem caperet animas ſacrificantium. Videntes autem barbari ſtupefacti, aiunt magnũ uirum Dei habere halitum, qui ſic poſſet diſſoluere uas ligaminibus munitum. Caſtigatos itaque Euangelicis dictis, ut ab his ſegregarentur ſacrificijs, domum redire imperat. Multi enim eorum tunc per beati Columbani ſuaſum, uel doctrinam ad Chriſti fidem conuerſi, baptiſmũ ſunt conſecuti: alioqui quos iam lauacro ablutos error detinebat, prophanus ad cultũ Euangelicæ doctrinæ monitis ſuis, ut bonus paſtor eccleſiæ, ſinibus reducebat. Eo itaq; in tempore Theodericus atq; Brunehildis non ſolùm aduerſus Columbanum inſaniebãt, uerumetiam & contra ſanctiſsimum Deſiderium, Viennenſis urbis epiſcopum aduerſabantur. Quem primo exilio damnatum, multis iniurijs affligere nitebatur: ad poſtremum uerò glorioſo martyrio coronarunt: cuius geſta ſcripta habentur, quibus & quãtis aduerſitatibus glorioſos apud Dominum meruit habere triumphos. Vagante itaq; beato Columbano cum ſuis penes Brigantiæ urbem, durum egeſtatis tempus obuenit. Sed quamuis alimoniæ deeſſent, manebat tamen intemerata atq; inconcuſſa fides, quę neceſſaria apud Dominũ impetraret. Cumq; iam tridui ieiunio feſſa corpora ferrent, euenit tanta copia alitum, uelut Iſraẽlitarum caſtra coturnix olim operuit, ita ut omnem paginam loci illius alitum multitudo oppleret. Intellexit enim uir Dei ob ſuam ſuorumq; neceſsitatem, has dapes terræ diffundi, nec prorſus alibi obuenire, præter eo quo ipſe moraretur in loco. Iubet ergo ſuos prius grates laudeſq; rependere conditori, ſicq; alitum dapes capere. Erat enim mirum & ſtupendum miraculum. Capiebantur aues, prout patris imperium urgebat, nec abſcedere pennigera fuga nitebantur. Manſit ergo alitum manna per triduum diffuſa. Quarto deinde die, quidã pontifex ex uicinis urbibus, frumenti copiam diuina monitus aſpiratione beato Columbano direxit: ſed mox omnipotens, qui penuriam patientibus aligeros præbuerat cibos, ut farris adeps aduenit, alitũ phalangas imperauit abire. Nam Euſtaſio hoc cognouimus referente, qui eo tempore inter reliquos, ſub uiri Dei obedientia ibidem tenebatur adnexus, quòd nullus in ea fuerit caterua, qui ante talium genera alitum ſe uidiſſe referret: & tantus ſapor in cibo aderat, ut regias dapes uinceret. O mirum diuinæ potentiæ donũ, quando terrenæ dapes cultoribus Chriſti deſunt, tunc demum cœleſtia tribuuntur: ſicut de Iſraẽl dictum eſt, Panẽ cœli dedit eis: cùm autẽ terrenæ opes ſubuenerint, tunc grates amouẽtur illatæ. Ipſo itaq; tempore, cùm ſub quodam ſcopulo, inter uaſta eremi ieiunio corpus conficeret, & nihil aliud pręter ruris poma, quorum ſuperius fecimus mentionem, in cibos caperet: uenit ad ſueta abditę uoracitatis urſus, cœpitq; neceſſarios delambere cibos, ac paſsim poma ore detrahere. Cumq; hora refectionis adueniſſet, Magnoaldum miniſtrum direxit, ut conſuetam menſuram pomorũ deferret. Qui cum abiſſet, urſum inter ruris frutices, ruboſq; peruagari, ac poma lãbendo carpere conſpexit: feſtinuſq; redijt, patriq; indicauit. Ille autem imperat ut eat, partemq; fruticum in cibos feræ dimittat, aliamq; partẽ ſibi reſeruare iubet. Abijt ergo Magnoaldus, ac iuſſa patris impleuit: diuiſitq; uirga frutices, ruboſq; quæ poma ferebant, & partem ſuam iuxta imperium uiri Dei, ait, ut fera comedat, aliamq; partem in uſus uiri Dei reſeruet. Mira in fera obedientia. Nequaquam ex prohibita ſibi parte auſa eſt carpere cibos: ſed in ſegregata & permiſſa ſibi fruticum parte, tantummodo pabula requiſiuit, quoad uſq; uir Dei in eo loco commoratus eſt. Interea cogitatio in mentem ruit, ut Veneticorum, qui & Sclaui dicuntur, terminos adiret, cæcas'que mentes Euangelica luce illuſtraret, ac ab origine per deuia oberrantibus, ueritatis uiam panderet. Cumq; hoc uotis patrandum ineſſet, angelus Domini per uiſum apparuit, paruoq; ambitu uelut paginali ſolent ſtilo orbis deſcribere circulum, mundi compagẽ monſtrauit: Cernis, inquit, quod maneat totus orbis deſertus? Perge dextra lęuaq; qua eligis, ut laboris tui fructus comedas. Intellexit ergo ille, non eſſe gentis illius in promptu fidei profectus: quieuitq; in loco, donec aditus ad Italiam uiam pandat.

CAPVT XXVII.

INterea inter Theodericũ Theodebertumq; lis firmatur, ac quiſq; aduerſus fratrem uſq; ad internecionem deſæuit, utriſq; gentium robore ſuperbientibus: inter quæ uir Dei ad Theodebertum accedit, eiq; ſuadet, ut cœptæ arrogantiæ ſupercilium deponat, ſeq; clericum faciat: & in eccleſia poſitus, ſacræ ſubderetur religioni, ne

ni,ne ſimul cum damno præſentis regni, æternæ pateretur uitæ diſpendia. Quod & regi & omnibus circunſtantibus ridiculũ excitat,aientes ſe nunquam audiſſe merungum in regno ſublimatum,uoluntariè clericum fuiſſe. Deteſtantibus ergo omnibus, beatus Columbanus ait,Si uoluntarius nullatenus clericatus honorem ſumit,in breui inuitus clericus exiſtit. His ergo dictis,uir Dei ad cellulam remeat, moxq; prophetici dicti euentum, res nõ diu dilata affirmat. Nec mora, Theodericus Theodebertum ad bellũ prouocat, & propter Tullum deuictum fugat, poſtq; collecto exercitus robore perſequitur. Simili modo gentium multarum Theodebertus robore uallatus,ad Tulbiacenſe caſtrum pugnaturus occurrit: ibi prælio inito, innumeræ gentium phalanges ex utroque exercitu perierunt, & uictus tandem Theodebertus fugit. Eo igitur in tempore uir Dei in eremo morabatur, contentus tantum unius miniſtri Chagnoaldi famulatu. Ea hora ergo qua apud Tulbiacum commiſſum eſt bellum,ſupra quercus putrefactum truncum, uir librum legens reſidebat: quem ſubitus ſopor oppreſsit, & quid inter duos reges ageretur,uidit. Moxq; excitatus,miniſtrum uocat,cruentamq; regum pugnam indicat,ac multum humanum ſanguinem fuſum ſuſpirat. Cui temerario conatu miniſter ait,Pater mi, Theodeberto tuis precibus præbe ſuffragium,ut communem debellet hoſtem Theodericum. Ad hæc beatus Columbanus ait, Stultum, ac religioni alienum cõſilium adminiſtras. Non enim Dominus ita uoluit, qui nos pro inimicis noſtris orare pręcepit. Inquiſiuit ergo pòſt miniſter temporis diẽ & horam,reperitq; ita fuiſſe,ſicut uiro Dei fuerat reuelatum. Perſecutus eſt ergo Theodebertum Theodericus, & ſuorum proditione captum, ad auiam Brunehildem direxit: quẽ cum auia recepiſſet,quia Theoderici partibus Brunehildis fauens erat,furens Theodebertum fieri clericum rogauit. At non poſt multos dies, impiè nimis poſt clericatum perimi iuſsit.

### CAPVT XXVIII.

POrrò Theodericus penes Metenſe morãs oppidum,diuinitus percuſſus, inter flagrantis ignis incendia mortuus eſt: poſt quem Brunehildis filium eius Sigebertum in regnũ ſuffecit. Itaque Clotharius memor prophetiæ uiri Dei,collecto exercitu, fines regni, quæ ſuæ ditioni debebãtur,conatur recipere. Contra quẽ Sigebertus cum hoſtiũ cuneis pugnaturus aduenit: quem Clotharius captum peremit, fratresq; eius quinque Theoderici filios cum auia Brunehilde cepit: pueros ſeparatim peremit: Brunehildem uerò primo ignobiliter camelo impoſitam,hoſtibus gyrãdo monſtrauit: poſtq; indomitorũ equorum caudis irretitã, miſerabiliter uita priuauit. Funditus ergo radicitusq; deleta Theoderici ſtirpe, Clotharius potitus eſt trium regnorum ſolus monarchia. Quo facto beati Colũbæ prophetia in omnibus impleta eſt, uno intra trienniũ cũ omni ſtirpe deleto funditus, alio uiolẽter clerico facto, tertio triũ regnorũ poſſeſsione ac dominatione dilatato.

### CAPVT XXIX.

BEatus ergo Columbanus cum uidiſſet,ut ſuperius diximus,deuictũ à Theoderico Theodebertum,relicta Gallia atq; Germania, Italiã ingreditur, ubi ab Egilolfo Langobardorũ rege honorificè receptus eſt. qui largita optione, ut intra Italiam,quocunq; in loco uoluiſſet,habitaret,Dei conſultu actum eſt,dum ille penes Mediolanum urbem moraretur, ut hæreſis eorum fraudes,id eſt Arrianæ perfidiæ, ſcripturarum cauterio diſcerpere ac diſſecare uellet: contra quos etiam libellum florentis ſcientiæ edidit. Vir quidam nomine Iocundus ad regem uenit,qui regi indicat,ſe in ſolitudine ruribus Apenninis baſilicam beati Petri apoſtolorũ principis ſcire,in qua uirtutes expertus ſit,fieri: loca ubertate fœcunda,aquis irrigua, piſcium copiam. Quem locum ueterum traditio Bobium nuncupabat, ob riuum in eo loco hoc nomine fluentem: amnemq; alium profluentem, nomine Treuiam, ſuper quem olim Hannibal hyemans,hominum,equorum,elephantorũ, atrociſsima damna ſenſit. Vbi cum uir Dei ueniſſet,omni cum intentione baſilicam inibi ſemirutam reperiens, priſco decori renouans reddidit, in cuius reſtauratione mira Domini uirtus panditur. Nam cum per præruptos ſaxorũ ſcopulos trabes ex abietibus inter denſa ſaltus, locis inacceſsibilibus cæderentur,uel alibi cæſæ,inibi caſu elapſæ aſpero, aditum plauſtrorũ denegarent,mirum in modum trabem, quã uix triginta uel quadraginta plano terræ poſitam, ſolo uehere ualebant: ibi cum duobus uel tribus,prout ardui callis meatus patebat, uir Dei accedẽs,ſuis ac ſuorum humeris immane pondus imponebat: & ubi antea pro aſperitate itineris,libero greſſu uix graderẽtur,onerati mox trabium pondere feſtini gradiebantur: ut uerſa uice qui onera ferrent,ac ſi ab alijs ueherentur, firmis ueſtigijs,uelut ocio uacantes, ouantes irent. Videns itaq; uir Dei tanti auxilij ſupplementum,ſuos hortatur, ut arreptum opus læti perficiant,animoq; roborati eò conſiſtere in eremo ſtuderent,Deiq; hoc uoluntatis eſſe affirmat. Secto itaq; templi culmine,murorũ reſtaurat ruinas,cæteraq; quæ ad monaſterij neceſsitatem pertinent,conſtruere parat. Interea memoratur Clotharius uiri Dei prophetiæ effectum in ſe fuiſſe impletum, cernens uenerabilẽ Euſtaſium,qui eius in loco Luxouienſe monaſterium regebat,ad ſe uenire imperat: quẽ pio affamine rogat, ut ſibi cum ſupplemento publico legatione fungi curet, ſociosq; quos uellet nobilium uirorum haberet, qui ſui uadimonij arbitri eſſent, poſtq; beatum Columbanũ pergerent,quocũq; reperiſſent in loco: elegantiq; ſuaſu ad ſe uenire hortarentur. Perrexit itaque





uenerabilis diſcipulus, magiſtri ueſtigia proſecutus: qui cum ad eum ueniſſet, Clotharij uerba depromit. Viſo ergo Euſtaſio,beatus Colũbanus gauiſus, recepti muneris aditu gratulabatur: retentumq; penes ſe aliquantiſper, hortatur ut ſui laboris reminiſceretur, cohortẽ fratrum diſciplinæ habenis erudiret, multorumq; collegio Chriſti plebem adunaret, ſuisq; inſtitutis educaret. Dimiſſum ergo poſt hæc ad Clothariũ ire iubet,talibusq; reſponſis regias mulcere imperat aures, ſeq; retrò repedare nullatenus ratum duceret: tantummodo poſcere, ut ſodales ſuos,qui Luxouiũ incolebant, regali adminiculo ac præſidio foueret, & literas caſtigationum effamine plenas regi dirigit. Gratiſsimum autem munus rex uelut pignus fœderis uiri Dei ouans recepit, nec eius petitioni obliuionis noxam præponit, omni præſidio ſupradictum monaſteriũ munire ſtudet, annuis cenſibus ditat: terminos undiq; prout uoluntas uenerabilis Euſtaſij erat,auget,omniq; conatu ad auxilium inibi habitantium, ob uiri Dei amorem intẽdit. Porrò beatus Columbanus expleto anni circulo,in antedicto cœnobio Bobienſe,uita beata functus,animam membris ſolutã cœlo reddidit,ix. calend. Decembris. cuius ſtrenuitatem ſi quis noſſe uelit, in eius dictis reperiet. Reliquiæ autem eius eo habentur in loco conditæ,ubi & uirtutum decore pollent, præſule Chriſto,cui eſt gloria per omnia ſecula ſeculorum, Amen.

SANCTI COLVMBANI VITAE FINIS.

## Sanɛti Attalæ abbatis uita.

CVM uenerabilis pater Columbanus de hac luce migraſſet, omni religione laudabilis Attala in locum eius ſubrogatus eſt,cuius poſt magiſtrum uirtutes claræ fulſerunt: qui Burgundionum ortus genere,nobilis natione,ſed nobilior ſanctitate,perfectè ueſtigia magiſtri ſecutus eſt. Huius autem beati uiri rudimenta, qualiter inter ipſa fidei primordia uberem à Domino profectum inuenerint,prętermittendum nõ eſt. Igitur dum à patre nobili liberalibus literis imbutus fuiſſet, Arigio quondam pontifici ab ipſo genitore commendatus eſt. Sed bonæ indolis puer,nihil ibi utilitatis,aut diſciplinæ ſpiritalis ſe agere dolẽs,cœpit mente ac ſpiritu ad potiora tendere,& ad altiora anhelare: dedit ergo operam,ut præpoſitis totius mundi phaleramentis, monachorum iungeretur cohorti. Clàm itaq; à ſodalibus progreſſus, duobus pueris contentus,ad Lirinenſe cœnobium uenit. Quo in loco aliquandiu degens,uitamq; ſuam, qua potuit innocẽtia cuſtodiens,cum cerneret monachos eiuſdem cœnobij nequaquam regulari diſciplinę colla ſubmittere uelle, cœpit anxio corde trutinare,quò potioris conſilij aditus panderetur ei. Progreſſus ergo inde,ad beatũ Columbanum Luxouium uenit: quem uir ſanctus cũ ingenij ſagacis ſolertem eſſe cerneret, ſuo miniſterio coniunxit,atq; in omnibus diuinis eruditionibus informare, & ad perfectum inſtruere cœpit. Cumq; beatus Attala in omni religione iamiam perfectus ad unguem, egregiè ac ſtrenuè poſt magiſtrum patremq; ſuum Columbanum ſupradictum cœnobium regeret, & in omnem diſciplinam regularis tenoris mentes fratrum prouocaret, cœpit contra eum antiqui hoſtis uerſutia lethiferum diſcordiæ uirus noxijs ictibus laxare, excitans & inſtigans aduerſus eum aliquorum corda ſubditorum fratrum,qui muſsitando,ac ſacræ religioni derogando, dicebant ſe nimiam auſteritatem feruoris nõ poſſe ferre,& arduæ diſciplinæ rigorẽ portare non ualere. At ille, ut erat ſacro ſemper animo diuina moderamina geſtans,pia fomenta præbere, & ſalutaris antidoti, quo ſanies putrefacta amputaretur,potum dare ſtatuens, tumentia corda mollire nitebatur: multis precibus exorans eos,ut ſe nõ relinquerent,ſed ardui itineris callem fortiter tenerent: reminiſcentes, quia ſancti patres per mortificationem carnis & contemptum præſentis uitæ regna cœlorum poſsiderent. Tandem cum nihil ſe proficere cerneret,nec eos ſanctorum patrum exemplis ad regularem diſtrictionẽ inflectere poſſet,ſinit eos pertinaces abire. Poſtquã ergo ſegregati ſunt ab eo, alij eorum marinis ſinibus recepti ſunt, alij locum eremi ob libertatem habendam petierunt,& temeritatis intenti inibi poſiti,arrogantiæ ſuæ mox damna ſenſerunt. Nam cum in eiſdẽ locis morarentur,& uirum Dei ſuis detractionibus laniarent,unus eorum qui Roccolenus dicebatur,qui & iurgiorum incrementa miniſtrauerat, ſubitò ictu febrium igneo accẽſus, inter pœnarum incendia clamare cœpit,ſe ſiua luiſſet,ad beatum Attalam uenire uelle, & admiſsi criminis damna pœnitentiæ medicamento lenire. Nec mora, uix hæc dicere licuit,ſtatimq; obmutuit, ac extremum halitum dimiſit. Aſt hi qui aderant, uidentes uiri Dei iniurias diuina ultione uindicari,plurimi eorum ad uirum Dei remeabant,ſuasq; noxas confitentur, ſe in omnibus,ſi recipiantur,emendaturos pollicentes. Quos uir ſanctus miro gaudio, ac ſi è luporum ore liberatas oues recepit, & ſuis in locis ſingulos eorum reſtituit. At uerò alij, qui uerecundia præueniente,uel arrogantiæ uicio maculati redire noluerunt,& datum pœnitentiæ locũ contempſerunt,diuerſis mortibus ſunt direpti: ut manifeſtè daretur intelligi, ſocios eos fuiſſe eius,ad excitanda contumaciæ incrementa, quem ultio diuina percuſſerit, ac propterea cum cæteris ueniam non meruiſſe,nam

unus eorũ Theodemundus nomine, ſecuri percuſſus interijt: alius dum parui fluminis alueũ trãſmearet, irretitus poplitibus, per paruulam undam necatus eſt: tertius uerò, qui Theodarius dicebatur, cum ſe carinæ credidiſſet, in mari demerſus eſt. Videntes hęc, qui adhuc ſupererant, uerecundia ſubmota, ad beatum patrem Attalam repedãt: à quo mox benignè ſuſcepti, ac ſaluati ſunt. Plura poſt hæc ab eo patrata miracula omnium in ſupradicto monaſterio fratrum teſtimonio approbantur, inter quos ego poſitus & beati uiri miniſterio deputatus, tenebar, de quibus etiam nunc aliqua diſſerere tentabo. Quodam tempore fluuiolus Bobius nomine, turbidis aquarum molibus ac rapaci curſu uiolenter defluens, ut ſolent torrentes ex alpium cacuminibus dilapſi, & imbrium effuſionibus aucti, ſaxorum rupes & arborum congeries nimia ui tumeſcens, coaceruabat, molendinumq; monaſterij impetu ualido ſuffodere, & totam iam officinam quatiens demergere nitebatur. Quo fragore audito, cuſtos molendini nomine Agibodus, ad molẽdinum uelociter cucurrit, ut uideret ſi tanti fragoris moles inibi diſpendij damna generaret. Vbi cum ueniſſet, uidit niſi celeri auxilio ſubueniret, cũcta deperire. Feſtinus igitur patri Attalæ nunciandũ credidit, ut ſolamina præbeat, quatenus ex aquarum fluctibus ſaltem ædificia molendinæ liberari queãt. Ad quem uir Dei ait, Vade, uoca mihi Sinoaldum diaconum: tu uerò ſtratu tuo receptus, ſomnum cape, nec metu aliquo detentus ſis, aut mœrori mentem ſubijcias. erat enim mane, priuſquam aurora funderet grata lumina terris. Vocatus ergo Sinoaldus, uenit ad uirum Dei: cui beatus pater Attala ait, Apprehenſo baculo, quo ſuſtentor, uade ad Bobium, imperantiſq; uoce dicito ei ſigno Dominicæ crucis prælibato, ut iſtas deſinat perfodere ripas, nec præſumptæ audaciæ modum ſuppleat, ſed ad alia cedẽs litora, iſta ſinat illæſa, imperijſq; Domini ſe agnoſcat receſſurum. Tunc Sinoaldus diaconus imperio patris obediens, cum fidei adminiculo pergit: impoſitoq; ripæ baculo, imperat fluuio ex uiri Dei pręceptis, annuente diuina potentia, ab illo loco citius promoueri, aliaq; collis latera uiolento conatu petere. Mox obediens fluuius, relicto alueo, collis ad latera cedẽs, fluendo per ardua uelut ſtrictis ripis latices ſuſtentabat, quouſq; concaua aluei paterent, quo ſuſtinente liquido fluerent. Iamq; prorumpens ſol, mundo ut lumen panderet, ſurgebat, cœpitq; Sinoaldus infra ſemetipſum cogitans dicere, Vadam, & uidebo ſi uiro Dei uiolẽtia fluminis huius obediat: uenitq; ad ripam aluei, ubi ſtetit prius pleno tũc fluctu: & cernẽs iam ſubitò uacuũ litus, ſpectabat qualiter ad alterius collis latera ex imperio patris cederet, ut ſibi alueum, quo fluere poſſet, aperiret, feſtinuſq; ad uirum Dei uenit, partæ uictoriæ trophęum nunciauit. cui uir Dei, Nullatenus inquit, me in hoc ſeculo uiuente ulli dicere præſumas, ne forte proculdubio fauor adulatorum corda plena uirtutibus maculet. Quod uitium quamuis diuerſis ſint uirtutibus ditati, ab omnibus tamen ſanctis eſt ſtudioſe uitandum atq; fugiendum. Nam callidus hoſtis, dum in maioribus culpis ſanctos Dei maculare non ualet, ſaltem in minoribus & occultis tentat ut polluat. Deinde cum in aliquo tempore unus monachorum Fraimerus nomine, ad frumenta ſeminanda uomere tellurem excoleret, mox ſtiuæ firmitatem, glebæ firmitas fregit. Quam cum prædictus frater componere conaretur, ſubitò in cippo leuato ferramento pollicem de læua amputauit, ſoloq; conditum ſuperpoſita gleba ſepulturæ tradidit: relictoq; uomere ad monaſterium pergit, patriq; factum in confeſſione humo proſtratus prodit. Quod uidẽs uir Dei, Vbi eſt, inquit, pars abſciſsi pollicis? at ille fatetur eam eſſe terræ conditam, ſoloq; ſepultã. Malè ille ait, feciſti. Cur eam ad me non detuliſti? Concito ergo gradu, nulli cauſam indicans perge, ſumptamq; eandem pollicis partem huc deporta. Egreſſus ille pergit ad locum, effoſſamq; pollicis portionem detulit ad uirum Dei Attalam. Porrò uir Dei ſuſcipiens damna pollicis, ſuiſq; ſaliuis ambo fruſta liniens ſimul cõiunxit: ſtatimq; pollex carnis glutino compactus, uelut antè fuerat, ſanus ſibi adhæſit, manuiq; & operi quolibet aptiſsimè redditus eſt. Tunc pater ſanctiſsimus imperato illi ſilentio, ne alicui hoc proderet, ut abiret, opuſq; incœptum perficeret, iuſsit. O mira uirtus omnipotentis Dei, quæ ſic ſanctos in terris glorificat, ut frigida abſciſſaq; membra, eorum interuentu priſtinę ſanitati atq; decori reddat. Idem etiam ſanctiſsimus uir, cum quodam tempore ad urbem Mediolanenſium ueniſſet, quidam ibi puerulus in extremis febriũ anxietatibus poſitus, uitæ tantum expectabat exitum: cuius parẽtes audito beati Attalæ aduentu, feſtino ad eũ properant curſu, eumq; ſupplici prece, ut eis ſubueniat, depoſcunt. At uir Domini, cum diſsimulare & ſe excuſare uoluiſſet, illi eum fletibus & terribilibus ſacramentis compellebant, ut citius puero moribũdo ſubueniat, priuſquã eum noxius ardor ſupremo hiatu uitalibus priuet auris. Anxius ergo pater ſanctiſsimus, ut eſt ſanctarũ mentiũ prudẽs & cauta circũſpectio, ne uidelicet popularis fauor bona opera uirtutũ polluat, Ite inquit, ego ſi potero, quãtocyus uos proſequar. Pergens ergo baſilicas martyrũ ac ſanctorũ loca circuit, & pro infirmo puero precatur, ut meritis eorũ ſoſpitati reddatur. Deinde ut promiſſæ fidei impleret effectum, ad infirmũ feſtinus uenit: ſed ne quis largitori ſalutis preco exiſteret laudis, latẽter domũ ingreſſus, infirmum attigit, moxq; uirtus diuina ſanctis fauens precibus ſanitati priſtinæ ægrũ reddidit: uerũ quia lumẽ in tenebris abſcõdi nõ potuit, parẽtes pueri in laudibus erũpunt, gratias ſimul cõditori referũt, qui ad ſuorũ petitiones famulorum pietatis ſuę aures accomodat. Erat nimirũ beatus pater Attala ſingularis cuiuſdã feruoris, ſingularis alacritatis, ſingularis carita-





tis in pauperibus & peregrinis. Nouerat ſuperbis reſiſtere, humilibus ſubditus eſſe, ſapientibus condigna rependere, ſimplicibus myſtica aperire, in ſoluendis ac componendis quæſtionibus ſagax, aduerſus hæreticorum procellas uigens ac ſolidus: fortis in aduerſis, ſobrius in proſperis: temperatus in omnibus, diſcretus in cunctis, redundãs amore & timore in ſubditis. Redolebat eius doctrina in diſciplinis, nullus inter eos uel mœrore terrebatur, uel nimia lætitia extollebatur. Cum ergo iam ſeruum ſuum ab ærumnis ſeculi rerum conditor liberare uellet, monſtrari ſibi per uiſionem uoluit, ut de mũdo egreſſurus, paratum in omnibus iter haberet, quinquaginta dierum ſpacio ſuſpenſo, quo pararet iter uenturũ. Verùm animus uiri Dei non cognouit apertè, an iſtud eſſet exitus uitæ eius, an ad alium locum eſſet progreſſurus. Pręparat itaq; diligenti cura ſepta monaſterij, tegmenta renouat, omnia roborat, ut ſi abiret, nihil imbecille dimitteret. Vehicula ad iter agendum componit, libros ligaminibus firmat, ſupellectilia ablui, diſſuta aſſui, corrupta renouari, calciamẽta præparari, ut in omnibus his nulla ſit tarditas, ſed ad manus præſto eſſe omnia iubet. Ipſe uerò ſe uigilijs ac ieiunijs afficit, ita ut nunquam intentius antea in oratione perſtiterit. Et ne cuiquam incredibile uideatur quod refero, apertè narro quid in me idem ſanctiſsimus pater peregit. Cum iam nouem annorum per circulũ in monaſterio conuerſatus fuiſſem, & ſæpè parentes mei poſtulaſſent, ut eos ex eius permiſsione uiſitarem, nec impetrare ualuiſſent, quadam poſtea die nullo exinde mentionem faciente, ait: Vade fili feſtinus, & matrem fratremq; uiſita, & nulla mora præpediente quantocyus reuertere. Cum autẽ ego differrem, & temporis opportunitatem euenire in proximo dicerem (erat enim tempus nimij frigoris, tempus uidelicet Februarij menſis) ille reſpondit, Accelera iter quod dixi. Nam ignoras, utrum in poſterum liceat illud agere tibi. Datis ergo comitibus Blidolfo presbytero, & Ermenado diacono uiris religioſis, ad deſtinatum peruenimus locum, à monaſterio diſtantẽ centum & quadraginta milibus. Vbi cum uenimus, gratuita pietate à genetrice poſt tantorũ interuallum annorum ſuſceptus ſum: ſed non diu genetrix optato fruitur dono. Nam eadem nocte febre correptus, inter incendia clamare cœpi, me uiri Dei precibus torqueri, ne inibi cõtra interdictum quantiſper moram facerem: & ſi non me citò ſubmouens, quocunq; cum conamine potuiſſem, ad monaſterium repedarẽ, me citò morte pręuentum. Mater ad hæc, melius eſſe me ibi ſanũ ſcire, quàm iuxta ſe mori. Fateor longum fuit diei expectare aduentum. Vix erumpente aurora, ad monaſterium repedare ſtuduimus. Nequaquam ego cibi per triduum quicquam cepi, donec medij penè itineris loca pertingeremus. Feſtinantibus ergo ac urgẽtibus me ſocijs, ſoſpitatem rurſum recepi: uenienteſq; ad monaſterium, patrem noſtrum Attalam iam febribus detentum reperimus, ac morti proximum inuentũ lugebamus: ipſe uerò uiſis nobis gauiſus eſt. Sicq; apertè cognouimus, uiri Dei in hoc præualuiſſe preces, ut me uis febrium urgeret, citò ad monaſterium ante eius exitũ redire: qui cum adhuc ingẽs halitus ſupereſſet, iuſsit ſe foris cellam fratrum adminiculo perduci. Vbi dum monachorum ſuſtentaculo fuiſſet cõſtitutus, aſpiciens crucem, quã ipſe in eodẽ loco poni præceperat, ut ingrediẽs egredienſq; cellulam eius intuitu frõtem ſuam & cor muniret, cœpit mœſtus lachrymas fundere, ac trophæũ crucis, Chriſtiq; paſsionis ſtigmata commemorare: Aue inquit, alma crux, quæ mundi precium portaſti, quæ uexilla fers æterna: tu noſtrorum uulnerum medicinam attuliſti, tu cruore eius illita es, qui ut humanum genus ſaluaret, de cœlo in hanc lachrymarum uallem deſcẽdit: qui in te primi Adæ rugam extendit, & ſecundus Adam factus, maculã generis humani lauacro baptiſmatis, & cruore ſuæ paſsionis abluit. Cum hæc & his ſimilia oraret ſanctus Attala, rogat fratres ut à ſe recederent, ſibiq; pauliſper locum ſecretũ præberẽt. Abeũtibus ergo omnibus, unus tantũ frater nomine Blitmundus poſt tergum uiri Dei tanto anhelitu ac deſiderio ſtetit, ut cogitaret, ſi uiri Dei poplites feſſos orationũ conatibus labefactari uidiſſet, ſe ad ſuſcipiendũ eũ paratũ eſſe. Cum ergo nullũ ſupereſſe ſanctus pater putaret, cœpit cõditoris clementiã cum lachrymarũ ubertate flagitare, ut largitatis ſuæ ſibi acſi indigno famulo ſuo dona largiretur, & ueteres maculas delens omnia ſaluti redintegraret: ac antiquã miſericordiã exercens, ſe à cœleſti munere non abdicaret. Inter hæc mœſta ſuſpiria & fluentes lachrymas, cœlos intuẽs, uidit ſibi eos apertos: quos multarũ horarum ſpacio affectuoſè inſpiciẽs, uberes cordis rugitus emiſit. Gratias deinde referẽs omnipotẽti Deo, qui ſibi ianuas cœli apertos adhuc uiuenti in carne demonſtrauit, quas pòſt paululũ corporis mẽbris depoſitis penetraturus eſſet, facto ſigno, ut fratres aduenirent, præcepit ut eũ cellę domicilio reportarẽt. Hæc nobis ſupradictus frater eadem die retulit, quantæ cõſolationis certitudinẽ Dominus famulo ſuo oſtenderit, ut extremũ halitũ ſecutus de futura uita ouans ad cœlũ dimitteret. Quod uir Dei libenter occultare uoluiſſet, ſi ſupradictus Blidmũdus abditè poſt eius dorſum nõ remãſiſſet. Altera die ualefaciẽs omnib. fratrib. uir Domini ſanctus Attala, exhortabat eos ut cœptũ iter ſacræ religionis nõ relinquerẽt: ſed ut meliorib. actibus roborati, quotidie perſeuerãdo firmarẽt. Conſolatis ergo cũctis, uitæ pręſentis nexibus abſolutus, animã cœlo feliciter reddidit. Meritò itaq; rerũ conditor, & humani generis reparator ſanctos ſuos uirtutũ copia adornat, ſicut ſcriptũ eſt in libr. Sapiẽtię, Spiritus eius ornauit cœlos: quia illi ad cœleſtẽ uitã anhelantes, eius præceptis parere ſemper ſtudẽt, ut de labore obediẽtiæ fructũ recipiãt palmam uitę æternæ, per Chriſtũ Dominũ noſtrũ, Amẽ.

# Beati Patricii primi prædicatoris & epiſcopi totius Britanniæ, uita & actus, Liber I.

SANCTVS Patricius, qui & Sochet uocabatur, Brito fuit natione: in qua etiam multa aduerſa in adoleſcētia perpeſſus, omni genti ſuæ ac patriȩ factus eſt in ſalutem. Hic in Britannijs natus eſt à patre Calpurnio diacono, qui fuit filius Potiti presbyteri: & matre Cōceſſa nomine, de uico Bannauȩ, Tyburniȩ regionis haudprocul à mari occidentali, quem uicum indubitanter comperimus eſſe Nentriæ prouinciæ, in qua olim gigantes habitaſſe dicuntur. Qui cū eſſet puer annorum 13. cum cæteris alijs multis captus ad barbarorū inſulam deuectus eſt, & apud quendam gentilem immitem regem in ſeruitute detentus. Quam captiuitatem ſanctus Patricius ſecundum pſalmiſtæ præceptum cum tremore & timore Domino ſeruiens, in uigilijs & orationibus multis exegit. Centies enim in die & nocte ſimiliter orabat, libenter reddēs quæ Dei ſunt Deo, & quæ Cæſaris Cæſari: incipiebatq; ſemper in melius timere & amare Dominum omnipotentem, unde & ſpiritus ſancti gratia feruebat in eo. Quotidie autem pecora paſcebat cum cæteris ſeruis regis, nec tamē quicquā minuit de opere diuino. Frequenter enim pſalmos & hymnos ruminabat, & ad uenias faciendas furabatur horas. Vnaquaque die laborabat ad opus Dei, & noctibus ſimiliter, proprio non parcens corpori, ita ut in ſyluis & montibus manens, ante lucē abſconſe ſurgeret ad orationem. Per niuem enim & gelu, per pluuiā & pruinam laborans nihil mali ſentiebat, neq; ulla pigricia erat in eo. In tali ergo labore poſitus, quadam nocte in ſomnis audiuit uocem dicentem ſibi, Bene ieiunas & oras, citò iturus es ad patriam tuam. Deinde poſt paruum tempus audiuit uocem dicētem ſibi, Ecce nauis tua parata eſt. Et ita inuenit manè, ut dictum eſt ad eū. Cucurrit igitur manè cōtra mare 200. milia paſſuum, ut ueniret ad nauē, & uenit ubi nunquā antea fuerat, nec ubi notum quenquam habebat, relinquens homines cum quibus fuerat, captiuus ſeptem annis. Sic ergo currens in uirtute Dei, qui uiā eius dirigebat, nihil metuebat, donec ueniret ad nauem à Deo ſibi præparatā. Et ipſa die qua uenit, profecta eſt nauis de loco ſuo. Nauclerus uerò cum locutus eſſet ad eū de mercede nauis, ille reſpōdit ſe non habere. Quod uerbum gubernatori ſatis diſplicuit, & grauiter eum, quòd ſine naulo ſuam ingreſſus fuerat nauim, cum indignatione corripuit, & de naui mox proturbauit, dicens, Nequaquam tu nobiſcum ibis ſine naulo. Hæc audiens & ſentiens, ac patienter perferens, ſeparauit ſe ab illis cum gemitu & lachrymis, orās ad Dominū, ut ſui miſereretur, & iter eius diſponere dignaretur. Sed antequam orationē conſummaſſet, audiuit unum ex illis fortiter exclamātem poſt eum, & dicentem, Reuertere iuuenis, quia uocant te homines iſti. Qui ſtatim Deo gratias agens reuerſus eſt. Et cœperūt nautæ dicere ad eum, Veni nobiſcum iuuenis, & eſto nobis in auxilio: uidemus enim uirtutem Dei tui tecū eſſe. Quapropter ex fide recipimus te, ut facias nobiſcum amicitiam contra incommoda & pericula maris, ac uaſtitatem longæ ſolitudinis, quam tranſituri ſumus. Eadem die cœpit Patricius prædicare nautis uerbum Dei, & timorem eius. Nā ſperabat illos ad fidē Chriſti uēturos, quia gentes erant: & hoc ordine cōuerſatus cū illis, accipiebat ab eis fructū prædicationis, uictū uidelicet ſuæ neceſsitatis. Nauigātes ergo per uaſtū æquor, poſt triduum ceperunt terrā cōtra ſolitudinē: ſtatimq; exeuntes de naui, 28. dies ambulauerunt per deſertū, & cibus defuit illis, famisq; afflictio inualuit ſuper eos. Tunc cœpit gubernator dicere ad Patriciū, Quid eſt nunc Chriſtiane? Tu dicis, quia Deus tuus magnus eſt & omnipotens, & timentibus eum, nihil deeſt: quare ergo nō poteſt nos ſaluare à periculo famis, q uerba fidei eius per tuā prædicationē ſuſcepimus? In dubio eſt enim, ut aliquē hominē unquā uideamus, ſed potius in hac ſolitudine fame omnes moriamur. Quos ſtatim beatus Patricius cōſolās, ſic allocutus eſt, Nolite deſperare fratres, ſed conuertimini ex toto corde de infidelitate ueſtra ad Dominū Deū meū, quem prȩdicaui uobis, quia nihil eſt impoſsibile ei. Confidite ei, & orate ex corde, ut hodie cibum mittat ſufficientem in uiam ueſtram, quia omniū bonorum abundantia eſt illi. Nam eius eſt orbis terræ, & plenitudo eius: & ipſe potēs eſt ubiq; terrarū, ſpes omniū finium terræ, & in mari longè. Clamantibus autē illis & orātibus, & ſe credituros eſſe uota facientibus, ecce ſubitò grex porcorū in uia ante oculos eorū apparuit. Quod uidentes cœperunt laudare Dominum, & crediderūt Chriſto per beatū Patriciū: & expletis laudibus multis interfecerunt porcos: excuſſoq; igne de ſilicibus coxerūt carnes, & comederūt ad ſaturitatē, ſiccantesq; alias detulerunt ſecū, uſq; dū perueniſſent ad ciuitates, ad quas pergere uolebāt. Dum autē adhuc eſſent in ſolitudine, iter agentes cum Patricio, inuenerunt mel ſylueſtre, quod offerentes ei, rogauerunt ut ipſe ex hoc guſtaret: nam carnes ipſe nō comedebat. Et poſt hoc ſummas gratias egerūt Deo, ſed & Patricius honorificatus eſt ſub oculis eorū. Eadē nocte cū dormiret Patricius, grauiter tentauit eum ſatanas, fingēs ſaxa ingētia, & quaſi cōminuentia omnia membra eius. Dixitq; ad eum, Quare Patrici auertiſti à me homines iſtos? Ecce morte morieris tu, & non uiues. Expergefactus ergo Patricius ſignaculo crucis conſignauit ſe, & ſurgens ad orationem,



ſolito more proſtrauit ſe ad uenias ſuas. Et cum trina uoce inuocaſſet Chriſtum uerū ſolē, ſtatim ortus eſt ei ſol, qui reſulgens expulit omnes caliginū tenebras, & reſtitutæ ſunt uires eius, & terrores dæmonum inſidiasq; eorū amodò non pertimuit. Veniens igitur cum prȩfatis nautis ad ciuitates eorū, prædicauit ibi uerbū Dei, & multum populū conuertit ad Chriſtū. Poſt multos autē annos ſanctus Patricius captionē iterum ab alienigenis pertulit. In qua captione dum ductus eſſet in terrā longinquā, & linguæ ſuæ prorſus alienā, in una nocte audire meruit diuinū reſponſum, dicēs ſibi, Noli timere Patrici, ſed eſto fidelis in tentationibus tuis: duobus tantum menſibus eris in captiuitate, & poſt hoc ad patriā uenies: ſed & ibi cum paruo tempore fueris demoratus, tertiò captiuitatē patieris, deinde Romam uenies: exinde reuerſus, omnē terram hanc ſubiugabis mihi, reges & principes ſubiecti erunt tibi, Scotiā atq; Britanniā, Angliam & Nortmanniā, cæterasq; gētes inſulanorū baptizabis, & poſt hæc cum honore aſſumā te mihi. Quod & ita factū eſt. Sexageſima enim die liberauit eum Dominus de manibus barbarorū: & fugiens cū alijs captiuis ſaluatus eſt per miſericordiā Dei, qui & præuidit ei & comitibus ſuis cibum & ignem ac ſiccitatem quotidie, donec decima die peruenirent ad homines patriæ ſuæ. Per paucos autē annos apud parentes ſuos requieſcens, rogatus eſt ab illis obnixè, ut uel adhuc poſt tantas tribulationes & tentationes de reliquo uitæ nunquā ab eis diſcederet. Porrò ille non conſenſit petitionibus eorū. Interim oſtenſæ ſunt ei multȩ uiſiones ſpirituales. Erat iam tunc incipiens quaſi annorū 30. occurrensq; ſecundū Apoſtolū in uirum perfectū, in menſuram ȩtatis plenitudinis Chriſti. Cumq; adhuc eſſet in patria cum patre Calpurnio & matre Cōceſſa, fratre etiā Ructhi, ac ſorore Mila nomine, in ciuitate eorū Arimuric, facta eſt ſeditio magna in partibus illis. Nā filij Rethmiti regis de Britannia uaſtantes Arimuric, & alia circumpoſita loca iugulauerunt Calpurniū, & uxorē eius Cōceſſam: filios autē eorum Patricium & fratrem eius Ructi unà cū ſorore captiuos abducentes Hyberniā ingreſsi ſunt: & uendiderūt Patritiū Milchoni regi, Ructi uerò fratrē eius ac ſororē alteri principi: ubi & poſt multū tēporis data eſt fratri ſuo Ructi in coniugium. At ille ſciens eſſe ſororem ſuam, nō tetigit eam, manſit tamē cum ea in continētia. Poſt hæc uenit angelus Domini ad beatum Patriciū iuxta petrā mōtis Egli, & dixit illi, Vade ad hæreditatē tuam, de qua ueniſti. Qui ſtatim fugiens de captiuitate, perrexit iter unius diei, uſq; dū ueniret ad domū cuiuſdā uiri in Arcennacte ciuitate. De cuius domo cum exiret, ſuſcepit eum uir in nauim ſuam, & uendidit eū in Galliā, & portauit preciū eius domū, ſolidos ſcilicet 30. Suſcipientes ergo Galli beatū Patricium, duxerunt eum in naui in terrā ſuam: qui cum nauigare cœpiſſent, fuit illis uentus cōtrarius multis diebus. Rogauit autē ſanctus Patricius Dominū, & dedit illis uentū congruū. De inde uenit cum Gallis poſt dies 12. ad Brotgalū, inde Traiectū. ubi cū ueniſſet beatus Patricius, abſolutus eſt à Chriſtianis de captiuitate. Et fugiens inde, peruenit ad Martinū epiſcopū Turoni, & quatuor annis manſit cum eo: & tonſo capite ordinatus eſt ab eo in clericum, & tenuit lectionem & doctrinam ab eo. Peracto uerò quadriennio, apparuit ei angelus Domini, & dixit illi, Vade ad plebē Dei, id eſt eremitas & ſolitarios nudis pedibus, & cōuerſare cum eis, ut proberis per aliquod tempus. Et uenit in ſolitudinem, & manſit cum eremitis per octo annos. Venit iterum ad eum angelus Domini, dixitq; ad eū, Vade ad illos, qui ſunt in inſula inter montes & mare. Exiēs igitur de ſolitudine, uenit ad inſulanos, ſicut præceptum erat illi: & fuit uita quotidiana eius Domino diſponēte dimidius panis. Cumq; manſiſſet inter inſulanos illos, & longo tēpore laborē pro Chriſto ſuſtinuiſſet, dixerūt inſulani illi, Non poteſt homo habitare nobiſcū, qui non poſsit portare aquā nobis de fonte. Erat enim beſtia magna iuxta fontē in circuitu per totū annū, niſi in uno menſe, id eſt Maio. Tūc orauit ad Dominū ſanctus Patricius, & fugata eſt beſtia de fonte: ſicq; permāſit cū inſulanis illis nouē annis, habitus ab eis in magna ueneratione. Rurſus angelus Domini apparuit ſancto Patricio dicens, Vade ad ſanctū Seniorē epiſcopū, qui eſt in monte Hermō in dextro latere maris oceani, & uallata eſt ciuitas eius ſeptē muris. Cumq; ueniſſet illuc, manſit cum eo per aliquot dies. Deinde ordinauit eū epiſcopus ille in ſacerdotē, & lectitauit cum eo multis tēporibus. Dum autē ibi moraretur, nocte quadā audiuit in uiſione uoces puerorū de ſinu & de uentre matrū, qui fuerunt in Hybernia dicentiū, Veni ſancte Patrici, ſaluos nos fac ab ira uentura. Eadē quoq; hora dixit angelus ad eū, Vade ad Hyberniā, & eris apoſtolus inſulȩ illius. Patricius reſpōdit, Non poſſum ire, quia mali ſunt homines qui habitant in ea. Angelus dixit, Vade: Patricius econtrà, Nō poſſum ait, niſi uidero Dominū. Dicit ei angelus, Aſcēde cacumen montis Hermon, & uidebis ibi Dominū. Exiuit ergo Patricius cū nouē uiris, & uidit Dominū. Dixitq; Dominus ad eū, Veni ad dexteram meā. Et iuit Patricius ad dexterā Domini. Tunc ait illi Dominus, Vade in Hyberniā, & prȩdica in ea uerbū ſalutis ȩternȩ. Patricius reſpondit, Tres petitiones poſtulo à te Domine, ut homines uidelicet Hyberniæ diuites ſint in auro & argento, & ego ſim patronus eorū, & poſt hanc uitā ſedeam ad dexterā tuā in cœlo. Ait illi Dominus, Habebis Patrici, ſicut rogaſti: & inſuper qui cōmemorauerit te in die uel in nocte, nō peribit in æternū. Surgēs igitur Patricius uenit in Hyberniā, ſtatimq; uaticinati ſunt prophetæ Hybernię, quòd ueniſſet Patricius illuc. Cū autē prædicantē illū diebus ac noctibus ſpernerēt inſulani, qui tamē reſiſtere nō poterant Dei ordinationi, ſanctus Patricius fudit ad Dominū huiuſmodi preces, Domine Ieſu Chriſte, qui iter meū per Gallias atq; per Italiā ad has inſulas direxiſti, perduc me ob

ſecro ad ſedē ſanctæ Romanæ eccleſiæ, ut accepta inde autoritate prædicādi cum fiducia uerbum tuum, fiant Chriſtiani per me populi Hyberniorū. Nec multo pòſt progreſſus ad Hyberniā uir Domini Patricius, uenit ad caput, ut poſtularat, omnium eccleſiarū Romam: ibiq; benedictione apoſtolica petita & accepta, reuerſus eſt itinere, quo uenerat illuc. Trāſnauigato uerò mari Britannico & arrepto uerſus Gallias itinere, uenit, ut corde propoſuerat, ad hominem ſanctiſsimum ac probatiſsimum in fide & doctrina, omnium penè Galliarum primatē eximium, Germanū uidelicet, Autiſiodorenſis eccleſiæ epiſcopū: apud quem non paruo tēpore demoratus eſt in omni ſubiectione, cū patiētia, obediētia, caritate, caſtimonia, & omni tā ſpiritus q̃ animæ mundicia, uirgo manēs in timore Dñi, ambulans in bonitate & ſimplicitate cordis omnibus diebus uitæ ſuæ. Interim aūt dum ibi per multos dies demoraretur, angelus Dñi, qui ei indeſinenter apparuerat, etiā modò crebris uiſionibus uiſitauit eū, dicēs iam adeſſe tēpus, ut ueniret in Hyberniā, & Euangelico ore nationes feras ac barbaras, ad quas docendas deſtinatus fuerat, conuerteret ad Chriſtū. Nactus ergo tēpus opportunū, comitante conſilio diuino aggreditur iter, ad quod illū Dominus uocare dignatus eſt: miſitq; cū illo ſanctus Germanus presbyterum nomine Regirū, ut teſtē & comitē eum haberet idoneū in omnibus uijs & operibus ſuis. Nec dum tamē uir Domini Patricius ad pōtificalē gradum fuerat promotus: quod ideo nimirū diſtulerat, quia ſciebat quod Palladius archidiaconus Cæleſtini papæ, qui quadrageſimus quintus à ſancto Petro Apoſtolicæ ſedi præerat, ordinatus ab eodē papa directus fuerat ad hanc inſulā, ſub brumali rigore poſitā, conuertendā. ſed prohibuit illum Deus conuertere gentē illā, quia nemo poteſt accipere quicquā in terra, niſi datū fuerit ei de cœlo. Immites enim & feri homines recipere nolebant doctrinā eius, neq; ipſe longū uoluit tranſigere tempus in terra non ſua, ſed reuerti diſpoſuit ad eum, qui miſit illū. Cumq; aggreſſus Palladius mare tranſmeaſſet, & ad fines Pictorum perueniſſet, ibidē uita deceſsit. Audientes itaq; de morte Palladij archidiaconi, diſcipuli ipſius qui erant in Britannijs, id eſt, Auguſtinus, Benedictus & cæteri, uenerunt ad ſanctū Patriciū in Euboriā, & mortē Palladij ei denunciabant. Patricius autē, & qui cum eo erant, declinauerūt iter ad quendā miræ ſanctitatis hominem, ſummū epiſcopū, Amatorē nomine, in propinquo loco habitantē: ubiq; ſanctus Patricius ſciens, quę ſuperuētura eſſent illi, epiſcopali gradu ab eodem archipręſule Amatore ſublimatus eſt. Sed & alij nonnulli clerici ad officiū inferioris gradus ordinati ſunt. Eodem uerò die, quo ſanctus Patricius ſacris benedictionib. cōſecratus eſt, conuenienter hoc pſalmiſtæ canticū in choro pſallentium clericorū decantatum eſt, Tu es ſacerdos in æternum, ſecundum ordinem Melchiſedech. Tunc uenerabilis ſacerdos Domini Patricius nauem celeriter aſcēdit, & peruenit in Britanniā, omiſsiſq; omnibus ambulandi anfractibus, cum omni uelocitate proſpero fluctu mare noſtrū in nomine ſanctę trinitatis adijt. In diebus illis fuit quidā rex in ijſdem regionibus magnus, ferox & gētilis imperator barbarorū hominū, regnās in Themoria ciuitate, ubi etiā tunc regni Scotorū erat caput Logareus nomine, filius Nel, origo ſtirpis regiæ inſulæ illius: hic tunc ſecum magos & aruſpices ac incantatores & omnis malę artis inuētores habuit, qui omnia præſagia more gentilitatis ſcire & prouidere ſe poſſe affirmabant. Ex quibus tres præ cæteris præferebātur, quorū nomina ſunt hæc, Locri, Eglid & Mel. Iſti tres magi arte ſua magica crebrius prophetabāt regi & cunctis optimatibus ſuis, quendā prophetam exterū aduēturum fore cum ignota ac noua quadam doctrina moleſta ac dura, de longinquis regionibus trans maria aduectū, à paucis optatū, antè multis ſuſceptū, ab omnibus honorandū, regna ſubuerſurum, reſiſtētes reges occiſurū, turbas populorum ſeducturum, omneſq; deos eorum deſtructurū, & eiectis omnibus artibus & opibus in ſecula regnaturū. His & alijs uerbis magi illi concitauerūt tam regem, quàm omnē populū in odium ſancti Patricij epiſcopi, & prophetādo præcinebant quaſi in modū cantici lyrico modo compoſiti, ante aduētum ſancti uiri duobus aut tribus annis decantātes de eo. Hęc ſunt autem uerba cantici ſecundū linguæ illius idioma in Latinum tranſlata, nō tamen manifeſta: Aduenìet artis caput, cum ſuo ligno præcurui cipite: ex eo omnis domus erit capite perforata: incantabit nefas ex ſua menſa, ex anteriore parte domus ſuæ reſpondebit ei ſua familia tota, Fiat fiat. Quod noſtris uerbis poteſt manifeſtius exprimi: Adueniet totius artis magiſter cum ſigno ſuæ crucis, & quod omne cor hominum compungitur, & de altari ſacramētorum conuertet animas ad Chriſtum, & omnis populus Chriſtianorū reſpondebit, amen. Quādo erunt hęc omnia, tūc regnū noſtrū gentile nō ſtabit. Quod ſic totū poſtea completū eſt. Euerſis enim in aduentu Patricij idolorū culturis, fides Chriſti oīa noſtra loca ad aduētum ſanctiſsimi ſpiritus repleuit. De iſtis in hoc loco ſufficiat. Nam in cōſequentibus de magorū iſtorū conatu plenius exequemur. Cōſummato igitur nauigio ac labore ſanctus Patricius epiſcopus, onerata naui cū ſpiritalib. theſauris, id eſt cū armatura ſanctę prędicationis, in optatū portū regionis Euolenorū portū utiq; apud nos clariſſimū delatus eſt: ubi uiſum eſt ei nihil prius ſe facturū eſſe, quā ut ſe ipſum primitus redimeret, ſtatimq; ad illū gentilē regē Milconem, apud quem quondam in captiuitate uenditus fuerat, iter direxit, portans ei ſeruitutis preciū, terrenum utiq; ac cœleſte mercimoniū: ut de captiuitate æterna liberaret illū, cui antea captiuus ſeruierat. Cumq; ueniſſet Patricius, & qui cum eo erant, ad interiorem inſulam, quæ eius nomine uſq; hodie Milcon appellatur, abſconderunt nauiculam, & perrexerunt ambulantes in terra per regionē. Qui cū requieſcerent in quodam



dā loco, inuenit eos Porcarius Diconis cuiuſdā uiri natura nō fide boni, habitātis ibi, ubi nunc eſt Patricij horreum, ſuo nomine uſq; hodie cognominatum. Porcarius uerò putans eos fures aut latrones, uenit & indicauit domino ſuo Diconi, quòd inueniſſet homines ignotos: & induxit illū ſuper eos ipſis ignorātibus. Qui ſtatim ueniens cū armis ſuis, uolebat occidere eos: uidens uerò faciem ſancti Patricij, cōpunctus eſt corde: cōuertit enim ſubitò Dominus Deus cogitationes eius, & induxit eos in domū ſuam. Tunc ſanctus Patricius cœpit prædicare illi fidem Chriſti, & requieuit apud illum nō multis diebus. Credidit ergo homo ille primus omniū inſulanorū cum omni domo & familia ſua. uolens autē ſanctus Patricius ire, ut uiſitaret prædictum hominē Milcon, & portare ei ſeruitutis ſuę precium, relicta ibi naui apud Dicon, cœpit cum ſuis per terrā dirigere iter ſuum in regionem Cruthenorū, donec perueniret ad mōtem Egli: de quo monte multo antè tempore, quādo ibi captiuus fuerat, preſſo ueſtigio in petra, uidit angelum Domini in conſpectu ſuo aſcendere in cœlum. Audiens uerò Milcon ſeruum ſuum Patricium ad ſe uenientē, ut morem quē nolebat, in fine uitę ſuę ab eo ſuſciperet, doluit uehementer, & indignabatur ne ſeruo ſuo ſubiectus fieret, & ne ille ſui dominaretur omni niſu detrectabat. Inſtinctu itaq; diaboli, igni ſe ſua ſponte tradidit, & in domo ſua cōgregato ad ſe omni inſtrumento ſubſtantiæ ſuæ incēſus eſt. ſtans autem ſanctus Patricius in ſupradicto loco à dextero latere montis Egli, ubi primum regionem illam ingreſſus fuerat, uidit rogum, ubi nunc uſq; crux poſita uidetur ad primum ſignum illius regionis. Videns uerò ſanctus Patricius rogū incendij præfati regis Milconis, ſtupefactus eſt: ſuſpiranſq; ac gemens, & lachrymas emittens, hęc uerba protulit, Hic homo miſerrimè perijt, qui licet rex eſſet, & imperio uti potuiſſet, ſemetipſum igni tradidit, ne crederet in fine uitæ ſuæ, & ne ſeruiret Deo æterno. Idcirco de filijs eius nemo ſedebit ſuper ſedē regni eius à generatione in generationē, inſuper & ſemen eius ſeruiens erit in ſempiternū. His dictis orans & armās ſe ſigno crucis, cōuertit iter ſuum per eadē ueſtigia, quibus uenerat: rurſumq; peruenit in campū prędicti Diconis, & manſit ibi diebus multis, prædicās hominib⁹ regionis illius cū omni fiducia uerbū Dei, & multos eorū cōuertens ad fidem Dñi noſtri Ieſu Chriſti. Ad præmiſſa iterū recurrat oratio. Angelus Dñi ad eum in omni ſeptima die ſemper uenire conſueuerat, & ſicut homo cum homine loquitur, ita colloquio eius Patricius fruebatur, etiam cum in ſexto ætatis ſuæ anno captiuus teneretur. Is inquam, angelus uiginti uicibus in loco, quo tunc morabatur, apud Diconē ſcilicet, quē ad fidem Chriſti cōuerterat, apparuit ei, ubi & nunc fidelium preces fructū feliciſsimū obtinent, in oratorio inibi conſtructo. Appropinquauit autem Paſcha, quod primum in hac inſula, nō ſicut quondam in terra Geſen celebratū eſt, ſed ſicut Dei filius in cœna ſua cū diſcipulis corpus & ſanguinem ſuum in redemptionem noſtram conſecrauit. Et inierunt conſilium Patricius & diſcipuli eius, ubi primū hoc ipſum Paſcha in gentibus, ad quas illos miſit Deus, celebrarent. Multis ergo ſuper hac re cōſilijs habitis, poſtremò diuinitus inſpirato ſancto Patricio, uiſum eſt ei, hanc maximam reſurrectionis Domini ſolennitatem, quaſi caput omnium ſolennitatum celebrari debere in campo Breg maximo, qui eſt iuxta Themoriam ciuitatem regis Logareni, ubi erat maximum regnum nationū illarū, & caput omnis gentilitatis & idolatrię: ut iuxta Pſalmiſtę uocem caput draconū confringeret Dominus, quatenus hoc in loco capite totius idolatrię deſtructo, nō poſſet ulterius diabolicus error aduerſus Chriſti fidem inſurgere. & ita factum eſt. Eleuata denique naui ad mare, & dimiſſo in fide plena & pace bona præfato Dicone, migrantes de regione illa, & ad dexterā manum dimittentes omnia loca in portum, qui uocatur Colbdi, bene & proſpere delati ſunt: ubi relicta naui pedeſtri itinere uenerūt in campū illum maximū Breg nuncupatū, fixoq; ibi tentorio, debita Paſchæ uota in ſacrificiū laudis, cum omni deuotione ſanctus Patricius cum ſuis omnibus altiſsimo Deo ſecundum prophetæ uocē reddidit. Contigit uerò eodem tempore, ut rex Logareus maximam ageret ſolennitatē idolatriæ in Themoria, quā gentiles multis incantationibus, & magicis inuentionibus, & ſacrificiorū ſuperſtitionibus ſummo ſtudio celebrare ſolebant. Congregatis ergo tunc regibus & optimatibus populi, ducibus, principibus, ſatrapis & magiſtratibus, inſuper & magis atq; incantatoribus, aruſpicibus, & omnis artis inuentoribus ac doctoribus: Logareus rex cogitabat ſolennitatem illam in Themoria, uelut quondam Nabuchodonoſor in Babylonia cum canticis & citharis, ſiſtris & lyris, & omnis generis carminibus celebrare. Eadem ergo nocte qua ſanctus Patricius ſacrū Paſcha illic celebrare decreuit, contigit etiam à prædicto rege, cum omniū gentilium congregatione, quam præfati ſumus ſolennitatem celebrari. Erat tunc quidam mos apud gētiles illos per edictum regis omnibus annis imperatus, ut quicunq; in cunctis regionibus ſiue procul ſiue iuxta, nulla nocte incendiſſet ignē, antequam in domo regia, id eſt in palatio Themoriæ ſuccenderetur, periret anima illa de populo ſuo. Sanctus uerò Patricius diuinū Paſcha celebrās, accendit ſacrum ignē anteq; in domo regis, ualde lucidū & benedictū, qui in nocte refulgēs, à cunctis penè per planiciē cāpi habitantibus uiſus eſt. Accidit etiā ut in Themoria ciuitate uideretur: quē uidens rex & oēs qui cum eo erāt, admirati ſunt, cōuocatiſq; ſeniorib. & maioribus natu, rectoribus quoq;, necnō & magis ad regē, dixit ad eos rex, Quid eſt hoc? quis eſt qui hæc tanta auſus eſt facere in regno meo? Pereat ille de populo ſuo. Reſpondentibus autē omnibus ſenioribus & maioribus natu regi ſe neſcire illum qui hæc fecerit: magi reſponderunt, Rex in ſempiternum uiue. Hic ignis

quem uidemus, qui in hac nocte ſuccenſus eſt, anteq; ſuccēderetur ignis in domo tua, ſcilicet in palatio Themorię, niſi extinctus fuerit hac nocte, nō extinguetur in æternū: inſuper & omnes ignes noſtrę cōſuetudinis ſuperexcellet, & ille qui incēdit eum, regnū tuum diſsipabit. Superabitē omnes nos & te, & homines regni tui ſeducet: & cedent ei omnia regna, & implebit doctrina ſua omnia loca, & regnabit in ſecula ſeculorū. His auditis cōturbatus eſt rex Logareus ualde, & omnis ciuitas Themoria cum eo: & reſpondens dixit, Non ſic erit, ſed ipſi nos ibimus, ut uideamus exitum rei: & occidemus eos, qui faciūt tantū nefas in regno noſtro. Iunctis ergo ter nouē curribus, ſecundum reſponſa deorū, & aſſumptis duobus magis Ligitmail & Locri, in fine noctis illius perrexit de Themoria ad campū Breg. Euntibus autē illis, dixerūt magi ad regē, Rex, tu nō ibis ad locum in quo ignis ſuccenſus eſt, ne forte adoraueris illū qui incendit: ſed eris foris iuxta locū, & uocabitur ad te ille, ut ipſe te adoret, & tu ipſius domineris: noſq; ſermocinabimur ad inuicē in conſpectu tuo, ut ille uincatur à nobis. Reſpondens ad hæc rex ait, Bonum inueniſtis conſilium, ſic facietis, ut locuti eſtis. Et peruenerunt ad præfinitum locū: deſcendenteſq; de curribus & equis ſuis, nō intrauerunt in circuitū loci incenſi, ſed ſederunt iuxta locū. Tunc uocatus eſt ſanctus Patricius ad regē extra locum incenſi ignis, dixeruntq; magi ad ſuos, Non ſurgamus in aduētu uiri iſtius: nam quicunq; ſurrexerit ad aduentum eius, credet ei, & poſtea adorabit eum. Surgens deniq; ſanctus Patricius uenit ad eos, & uidens multos currus & equos eorum, hunc Pſalmiſtæ uerſiculū nō incongruè in labijs & in corde decantabat, Hi in curribus & hi in equis, nos autē in nomine Domini Dei noſtri magnificabimur. Illi uerò nō ſurrexerunt in aduētu eius, ſicut antea conſiliati ſunt: unus tamen à Domino inſtigatus, noluit obedire dictis magorū, nomine Bereg, filius Dego, cuius reliquiæ nunc uenerātur in ciuitate quæ uocatur Hylane. Hic inquā ſurrexit & benedixit Patricio, & credidit per eum Deo æterno: incipientibus autē illis ſermocinari ad inuicē, unus magorum nomine Locri procax erat in conſpectu ſancti Patricij: qui audens detrahere Deo æterno, & fidei catholicę, tumultuoſis uerbis cōtendebat blaſphemare, quæ prædicabat beatiſsimus epiſcopus. Quē intuens toruo oculo talia promit ſanctus uir: Parce contentioni atq; blaſphemiæ contra Deum cœli, quia ecce adeſt tēpus uindictæ & iudicij eius. Et ſicut quondam Petrus & Paulus contra Simonē magum dimicauerant, ſic beatus Patricius epiſcopus cum fiducia & clamore magno orauit & dixit, Domine, qui omnia potes, & in tua poteſtate ſunt omnia, quiq; miſiſti nos huc ad deſtruendos errores iniquorum, iudica nunc cauſam tuam ab homine iniquo & doloſo. Eleuetur ergo nūc impius iſte, qui blaſphemauit nomen tuum à tua potentia, & foras proijciatur, citoq; moriatur. His dictis eleuatus eſt magus in aëra, & iterū dimiſſus eſt mortuus, & foras cōcilium proiectū eſt cadauer eius: quod uidētes gentiles timuerunt ualde. Iratus autem rex cum ſuis, cogitauit occidere beatū Patriciū ſuper hac re: & dixit miniſtris ſuis, Inijcite manus in hominē iſtum perdentem nos & amicos noſtros. Vidēs ergo ſanctus Patricius, quòd irruerēt in eum, ſurrexit & dixit clara uoce, Exurgat Deus, & diſſpētur inimici eius. Quo dicto, Dei iudicio ſtatim irruerunt in ſeipſos gētiles, & cōmotio quædā horribilis facta eſt inter eos: & expugnauerunt impij ſemetipſos, alter aduerſus alterum inſurgēs: & terræmotus factus eſt magnus, ita ut præcipitarent ſeſe currus & equi per planiciē campi maximi, & uix pauci ex omnibus mortē euaderent. Deniq; proſtrati ſunt ibidem corā rege ſepties ſeptē uiri. Porrò ipſe rex cum ſeptē tantum hominibus remāſit illæſus, uxore uidelicet ſua & duobus regibus, necnō & quatuor uiris. Veniens ergo regina ad ſanctum Patriciū dixit, Homo iuſte & potens, noli perdere regē. Nam ipſe ueniēs ad te, flectet genua ſua, & adorabit Deū tuū. Hæc ea dicēte, ſuperuenit rex timore coactus, & flectens genua corā ſancto Patricio, finxit ſe adorare quē nolebat. Et poſtq; ſeparauerunt ſe ab inuicē paululum iter gradiētes, uocauit rex ſanctum Patricium ſimulato uerbo, uolens interficere eum. Sciens autē ſanctus Patricius cogitationes regis peſsimi, benedictis ac conſignatis in nomine Domini ſocijs ſuis, viij. uidelicet uiris & puero, uenit ad regē: numerauitq; eos rex ad ſe uenientes cum iniqua & peſsima ira, uolens occidere omnes. Statim ergo nō cōparuerunt, ſed ſublati ſunt ab oculis regis, & pro eorū perſonis uiderūt gentiles, qui parati erāt ad interficiendū eos, viij. ceruos cū hinnulo euntes, & quaſi ad deſertū tēdētes. Rex uerò Logarenꝰ mœſtus tumiduſq; & ignominioſe cōfuſus, cū paucis qui mortē euaſerāt, ad Themoriā reuerſus eſt. Sequenti etiā die ſuæ ſolēnitatis, hoc eſt in die ſancto Paſchæ, noſtræ ſummę feſtiuitatis, recumbētibus ſimul regibus & principibus, & magis totius Hybernię apud Logarenū regē. feſtus enim dies maximus ab eis tunc agebatur Themorię, mādūcantibuſq; illis & bibentibus uinum cum iucunditate, tum pro feſtiuitate regis, tum quia mortē euaſerāt perendie, ſermocinantibus alijs, & alijs cogitātibus de his quę facta fuerāt à ſancto Patricio, repētè inter omnes ipſe ſanctiſsimus pontifex cum duobus tm̄ uiris, ut cōtenderet de fide ſancta, & uerbum Dei prædicaret in Themoria corā omnibus nationibus, Hybernienſiū: tūc illic collectis, oſtijs clauſis, ſecundū hoc quod de Chriſto legitur, apparuit. Eo igitur intrāte cœnaculum Themorię, nemo de omnib. ad aduētum eius ſurrexit, præter unū, hoc eſt Dubtag poëtā optimum, apud quē tunc tēporis erat quidā adoleſcēs poëta, nomine Pheg, qui poſtea mirabilis epiſcopus factus eſt in Themoria, cuius reliquię nunc uenerātur ibidē. Hic uidelicet Dubtag ſolus exigētib. illo die ob honorē ſancti Patricij ſurrexit: unde & benedixit ei uir dn̄i Patricius, credidítq; deo primus in illo die, & reputatum eſt ei ad iuſtitiam.





Vocatus eſt autē ſanctus Patricius à gentibus ad ueſcendum cum eis, ut probarent eum in futuris rebus. At ille per ſpiritum intelligens quę uentura eſſent, nō renuit ire cum illis. Cœnantibus ergo omnibus, prędictus magus Ligitmail, qui fuerat in nocturna conflictatione quā prędiximus, ſolicitus erat, extincto ſocio ſuo confligere aduerſus ſanctum Patriciū: qui tamen ut initium cauſæ haberet, intuentibus alijs immiſcuit aliquid de uaſe ſuo in poculum uiri Dei, ut probaret quid faceret. Videns uerò ſanctus Patricius hoc genus probationis, orauit ad Dominum, & uidentibus cunctis, benedixit poculū ſuū, uerſuſq; eſt liquor in gelu, & cōuerſo uaſe, cecidit guttula illa, quā immiſerat magus. tunc iterū benedixit poculū, cōuerſuſq; eſt liquor in naturā ſuā, & mirati ſunt uniuerſi. Fruſtratus in hoc auſu magus ille, uertitur ad alia dicens, Faciamus ſigna in campo iſto. Reſpondēs ſanctus Patricius dixit, Quæ? Ego, inquit magus, inducā niuē ſuper terrā uidentibus cunctis. Sanctus Patricius dixit, Noli cōtraria uolūtati Dei inducere. Magus dixit, Ego inducā ut dixi. Tunc inuocatione magica niuē induxit ſuper totū illū campū, q̃ intuētes oēs admirati ſunt. Sāctus aūt Patricius dixit ad magum, Ecce uidimus ea quæ feciſti, fac ergo nūc ut amoueatur nix quā induxiſti. Dicit ei magus, Ante hāc horā craſtinam nō poſſum amouere niuē iſtā. Sanctus Patricius dixit, Vt uideo malū potes facere, & nō bonū: ego autē nō ſic. Tunc benedicēte eo per circuitū totū campū, dicto citius abſq; ulla pluuia, aut nebulis aut uento euanuit nix: quo uiſo exclamauerūt turbæ, & mirati ualde, cōpuncti ſunt corde. Paulo pòſt inuocatis dęmonibus, induxit magus denſiſsimas tenebras ſuper terrā, & murmurauerūt omnes. Ait aūt ſanctus Patricius ad magū, Expelle tenebras. Quod cum ille nullatenus facere potuiſſet, ſanctus Patricius orauit ad Dominū, & facto ſigno crucis, pulſæ ſunt tenebrę, & refulſit ſol: & exclamauerūt omnes, & gratias egerunt, quòd à tenebris denſiſsimis liberati ſunt. His ergo omnibus in cōſpectu regis mirabiliter geſtis inter magū & Patriciū, ait ad eos rex, Libros ueſtros in aquā mittite, & illū cuius libri illæſi euaſerint, adorabimus. Reſpondit ſanctus Patricius, Paratus ſum ego hoc facere. Reſpōdit magus, & dixit ad regē, Nolo ad iudiciū aquæ cū ipſo ire: aqua enim Deū habet. Audierat em̄ baptiſma à Patricio per aquā datū eſſe, & ideo timuit aquā, ne fortè incideret in baptiſmū. Tunc ait rex, Mittite in ignē. Sanctus Patricius dixit, Prōptus ſum. Nec hoc quidem uolens, magus dixit, Hic homo uerſa uice in alternos animos agitatus, nūc aquā nūc ignē ueneratur. Sanctus Patricius dixit, Non ſic erit ut tu uis: ſed ibis in ignē, & unus ex pueris meis ibit tecū in ſeparatā & clauſam domū, & meū apud te, & tuū apud meū puerū erit ueſtimentū, ſicq; ſimul incēdemini, & iudicabimur in cōſpectu altiſsimi. His uerbis uiri Dei cōſenſit magus, & ædificata eſt eis domus dimidia ex materia uiridi, & dimidia ex arida: miſſuſq; eſt magus in partē domus uiridē cū caſula Patricij, & unus è pueris Patricij, Beneneus nomine, cum ueſte magica in partē domus aridam. Concluſa itaq; domo extrinſecus, corā omni turba incēſa eſt ex omni parte, orāteq; beato Patricio, factū eſt eadē hora, ut cōſumeret flamma ignis magū cū uiridi parte domus, Patricij caſula permanēte intacta. Beneneū autē cū arida parte domus, ſecundū quod de tribus pueris dictū eſt, nō tetigit ignis, neq; contriſtauit, nec quicq; moleſtiæ intulit, ueſtimēto magi quod circa eū fuerat, nō ſine Dei nutu exuſto. Iratus eſt itaq; rex ualde aduerſus Patriciū de morte magi ſui, & uoluit eum occidere: ſed prohibuit illū Deus. Ad precem deniq; Patricij deſcendit ira Dei in populū impiū, & perierūt multi ex eis. Ait ergo ſanctus Patricius ad regē, Niſi iam nūc credideris, morieris, quia deſcendet ira Dei in uerticē tuum. tunc extimuit rex uehemēter, & omnis ciuitas cum eo: cōgregatiſq; ſenioribus & omni populo, dixit ad eos rex, Melius eſt enim mihi credere, q̃ mori. Conſilio igitur inito cū optimatibus ſuis, cōuerſus eſt rex ad dn̄m Deū ęternū, & alij multi crediderunt eodē die. Et ait ſanctus Patricius ad regē, Quia reſtitiſti doctrinę meæ, & fuiſti ſcandalū mihi, licet prolongentur dies regni tui, nullus tamē erit ex ſemine tuo rex in æternum poſt te. His ita geſtis, ſanctus Patricius ſecundū præceptū Domini noſtri Ieſu Chriſti, docere diſponēs omnes gentes baptizandas in nomine patris, & filij & ſpiritus ſancti, profectus eſt à Themoria, & prædicauit ubiq; in Hybernia, Domino cooperante, & ſermonem confirmante ſequentibus ſignis.

# De miraculis & tranſitu S. Patricii, Lib. II.

DOMINI & Apoſtolici uiri, patris noſtri Patricij, cuius laborum & itinerū mentionē fecimus in priori libello, nunc miraculorum & tranſitus eius ſeriē, prout poſſumus, enarrare proponentes, opuſculū paruulū Deo adiuuante aggrediamur cōtexere: in cuius initio quoddā miraculū, quod ei & Stephano puero contigiſſe legitur, breui relatu retexā. Quodā tēpore cum orationis cauſa ad locū ſolitum per nocturna ſpacia comite prædicto puero pergeret, uidit magnū in cœlo miraculum, ſuumq; chariſsimum ac fidelem probare uolens ſanctū puerū dixit, Fili mi dilectiſsime, dic mihi quæſo, ſi ſentis aut uides ea quæ ego ſentio & uideo. Tunc prædictus puer Stephanus, qui & Benignus, incunctāter dixit, Iam pater chariſsime, de tuis meritis præſumenti ex Domini gratia cognita ſunt mihi ea quæ ſentis & uides. Nam uideo cœlum apertum, & filium Dei in maieſtate reſidentem, & angelos eius corā eo. Tunc ſanctus

Patricius dixit, Iam te fili meum ſucceſſorem dignum eſſe ſentio futurum. Nec mora, gradu cõcito, ad conſuetum locum orationis peruenerunt. His uerò in oratione in medio fluminis alueo conſtitutis puer dixit, Pater adiuua me, nã algorem aquaticum ſuſtinere non poſſum. erat enim illa aqua nimis frigida. Dicit ei Patricius, Deſcende fili chariſsime de ſuperiori loco ad inferiorem: & nihilominus ille ibi diu præſtare non potuit. Nam aquam nimis calidam ſe ſentire teſtabatur. Tum ille non ſuſtinens in eo loco diu ſtare puerum, exiuit de aqua cum eo ſuper terram. Fuit homo quidam diues & honorabilis in regionibus orientalium, cui nomen erat Daire: quem rogans ſanctus Patricius petijt ab eo, ut aliquem locum daret ei, ubi monaſteriũ conſtrueret, & ſanctæ conuerſationis religioſe uiuentibus manſionem præpararet. Reſpondit diues ille, dicens ad ſanctum Patricium, Ecce terra coram te eſt. Dic ergo mihi, quem locum deſideres ad inhabitandum? Peto, inquit ſanctus Patricius, ut illam altitudinem terræ, quæ nominatur Saileg, dones mihi ad inhabitandũ, ut cõſtruam ibi locum ad cultum diuinum. At ille noluit dare ſancto uiro terram altam quam petierat, ſed dedit illi locum alium in inferiori terra: & habitauit ibi ſanctus Patricius cum ſuis. Poſt aliquot dies uenit eques Dairi, diuitis præfati, ducens equum domini ſui ſatis opimum, ut paſceretur in herboſo loco Chriſtianorum: & offendit Patricium talis depaſtio equi in loco ſuo, dixitq́; Stulte fecit Daire, mittens bruta animalia turbare locum paruum, quem obtulit Deo. At uerò eques non attendit uerba iſta, ſed dimiſſo ibi equo nocte illa, diſceſsit: craſtina uerò die ueniens uidere equum, inuenit eum iam mortuum: reuerſusq́; ad dominũ ſuum cum feſtinatione dixit ei, Ecce Chriſtianus ille occidit equum tuum, offendit enim illum turbatio loci ſui. Et dixit Daire ſeruis ſuis, Dignus eſt morte homo iſte, qui reddidit nobis malũ pro bono: ite ergo occidite eum. Euntibus uerò ſeruis ad interficiendum eum, dicto citius repẽtina mors irruit ſuper Daire: dixitq́; uxor ſua, Cauſa Chriſtiani eſt hæc mors. Eat quis citò, & portentur ei beneficia noſtra, & reuocentur qui exierunt occidere eum. Exeuntes ergo duo uiri ad ſanctum Patricium, dixerunt ei, Ecce infirmatur Daire: portetur illi aliquid à te, ſi fortè ſanari poſsit. Sanctus autem Patricius ſciens quæ facta ſunt, benedixit aquam, & dedit eis, dicẽs, Ite aſpergite dominum ueſtrũ, & equum eius hac aqua. Et fecerunt ſicut præcepit eis ſanctus uir, ſanatusq́; eſt Daire, & reuixit equus aſperſione aquæ ſanctæ. Venit ergo Daire ut honoraret ſanctum Patricium, portãs ſecum æneum cyphũ mirabilem ac precioſum, capientẽ metretas ternas: dixitq́; Daire ad ſanctum Patricium, Ecce hic æneus ſit tecum ob memoriam meam. Et ait ei ſanctus Patricius, Grazagam. Reuerſus autem Daire domum, dixit ad ſuos, Stultus eſt homo, qui nihil aliud mihi reſpondit, cum darem ei æneum uas precioſum, præter ſolum uerbũ Grazagã. Addiditq́; Daire dicens militibus ſuis, Ite reportate nobis æneum noſtrum, quia ingratè accepit eum homo ille. uenerunt itaq́; miniſtri Dairi, & dixerunt patricio, Miſit nos dominus noſter, ut reportemus ei æneum ſuum, quia ingratè accepiſti eum. Et illa uice ſanctus Patricius nihil aliud dixit, præter Grazagam. Reportantibus aũt illis, interrogauit Daire ſeruos ſuos, dicẽs, Quid dixit Chriſtianus ille, quãdo reportaſtis æneũ? At illi dixerũt, Grazagam. Et ille reſpondens dixit, Mirabilis eſt homo iſte, qui nihil aliud dixit, q̃ Grazagam in dato, Grazagã in ablato. ut uideo bonum eſt eius dictũ Grazaga, & non malum. Reportetur ergo illi rurſum æneũ uas. Et remiſit illi rurſum cyphum argenteũ, dicens ei. Sit tecum æneus tuus: conſtans enim & incõmutabilis homo es, & uerbũ bonũ, nõ malũ profers. Inſuper & partem illam agri, quam olim petiſti, do tibi nunc, quã meliorẽ habeo, ut inhabites eam. Accepit ergo ab eo ſanctus Patricius prædium optatũ & placitũ ſibi, & ædificauit in eo monaſteria, & habitationes religioſorum uirorum. In quo loco nunc ciuitas eſt Arithmache nominata, ubi ſedes epiſcopatus & regiminis eſt Hyberniæ. Et exierunt ambo, ſanctus Patricius epiſcopus & Daire, ut conſiderarent prædium illud, optabile uidelicet & beneplacitum oblationis munus. Aſcendentes igitur altitudinem terræ, quam conſiderare uenerant, inuenerunt ibi ceruam cum ſuo hinnulo, iacentẽ in loco, in quo nunc eſt altare ſiniſtralis eccleſiæ in Arithmache. Videntes aũt comites beati Patricij ceruã & hinnulũ, uoluerunt tenere & occidere: ſed ſanctus Patricius prohibuit eos, & cõprehendens uitulum, portauit eum in alterũ ſaltũ denſiſsimi nemoris, ſequente cerua uelut oue mitiſsima ac manſuetiſsima, ubi uſq́; hodie ſigna eius & uirtutes monſtrantur. Erat homo quidã in regionibus Vltorũ, tẽporibus beati Patricij epiſcopi Macfil nomine: hic homo erat ualde impius, uerbis intemperatus, ac ſpiritu malignus, menteq́; crudelis, ita ut quotidie in montuoſo aſperoq́; loco ſedens, tyrannidem ſuã exerceret, & tranſeuntes peregrinos crudeliter interficeret. Is ergo cum ſanctũ Patriciũ claro fidei lumine radiantẽ, & miro quodam cœleſtis gloriæ diademate fulgentẽ uideret fortè prope ſe tranſeuntẽ cum incõcuſſa doctrinæ fiducia, cogitabat eum interficere dicẽs, Ecce ſeductor ille & peruerſor hominũ uenit, cui mos eſt facere præſtigia, ut decipiat homines, multosq́; ſeducat: eamus & tentemus eum, ut ſciamus ſi aliquã habet poteſtatẽ ille Deus, in quo ſe ſigna facere gloriatur. Tẽtauerũt itaq́; ſanctũ Patriciũ hoc modo: poſuerũt quendam ex ſuis ſanũ in medio eorũ ſub ſago, infirmitatẽ mortis ſimulantẽ, ut probarent hominẽ Dei in huiuſcemodi fallacia. Adueniente uerò ſancto Patricio cũ diſcipulis ſuis, prædictus ille tyrannus & alij gẽtiles qui cũ eo erãt, dixerũt ad eũ, Ecce unus ex nobis infirmatur, accede & canta ſuper eũ aliquas incantationes ſectæ tuæ, ſi fortè ſanari



tè ſanari poſsit. Sanctus uerò Patricius ſciẽs dolos omnes & fallacias eorũ, conſtanter & intrepidè ait, Non eſt mirũ ſi infirmus eſt, quia iam moritur. Quo dicto ſocij releuantes faciẽ eius, qui ſimulauerat infirmitatẽ, iam eum mortuũ inuenerunt: & obſtupeſcẽtes admirantesq́; tale miraculũ, dixerũt inter ſe gementes, Vere Dei homo eſt iſte, male fecimus tentantes eum. Sanctus aũt Patricius cõuerſus ad Macfil ait, Quare me tentare uoluiſti? Reſpondens ille crudelis tyrannus ait, Pœnitet me domine facti huius, & quodcunq́; mihi præceperis, faciam, tradens me nunc in pœnitẽtiam Dei tui. Sanctus Patricius ait, Confitere primũ peccata tua, & credens Domino meo Ieſu Chriſto baptizare in nomine patris, & filij & ſpiritus ſancti. Conuerſus igitur eadem hora Macfil, baptizatus eſt, & egreſſus de lauacro regenerationis, dixit ad hominẽ Dei, Confiteor tibi domine mi Patrici, quòd propoſui interficere te: iudica ergo quantũ debeam puniri pro tanto crimine. dicit ei ſanctus Patricius, Non ego, ſed Deus iudicabit: attamen ſi conſiliũ meũ habere uolueris, egredere nunc inermis ad mare, & tranſi uelociter de regione hac Hyberniæ, nihil tollens tecũ de omni ſubſtantia tua præter uile & paruũ ueſtimentũ, quo poſsit corpus tuum tegi: nihilq́; comedens aut bibens de fructibus huius inſulę, abiẽsq́; ſigna peccata tua in capite tuo: & poſtquam perueneris ad mare, colliga pedes tuos compede ferreo, & proijce compedis clauẽ in mare, immitteq́; te in nauem unius pellis abſq́; gubernaculo, & quocunq́; te duxerit uentus, eſto paratus ire ad terram, in quam te deferat diuina prouidentia, ut exerceas ibi diuina mandata. Reſpondens autem Macfil, cum lachrymis ait ad beatũ epiſcopum Patricium, Faciam domine ſicut præcipis, ueruntamen rogo ut ores pro me, ut ſuſcipiat Deus pœnitentiã meã. Sed de uiro hoc mortuo quid facies? Dicit ei beatus Patricius, Noli timere, quia reſurget ſine dolore. Et ſtatim ſuſcitauit eum Patricius epiſcopus, reuixitq́; ſanus, & lætificati ſunt omnes. Tunc migrauit Macfil ſecundum uerbum ſancti Patricij ad mare, habẽs fiduciam magnã in Domino, colligabatq́; ſe in litore, proijciens clauem uinculorum ſuorum in mare, ſicut iuſſus fuerat. Cumq́; eſſet ſuper mare in naui pellea, aſpirante aquilone, proiectus eſt in inſulam Euaniam nomine: quò cum diuino gubernaculo perueniſſet, inuenit ibi duos uiros mirabiles ualde in fide & doctrina fulgẽtes, qui primi docuerunt uerbum Dei, & baptiſmũ in Euonia, et per eos conuerſi ſunt homines inſulæ ad catholicam fidem. Sancti ergo prædicatores Chriſti, quos præfati ſumus, quorũ nomina ſunt Conindrus & Romulus, cũ uidiſſent uirũ huius habitus, mirati ac miſerti eius eleuauerunt eum de mari, ſuſcipientes pœnitentiam illius cum gaudio. Igitur Macfil ubi ſuſceptus eſt ab eis, ad regulam eorũ corpus & animam ſuam exercitauit, & totũ uitæ tẽpus apud iſtos duos ſanctos epiſcopos exegit, uſq́; dũ ſucceſſor eorũ in eodem epiſcopatu Deo cooperante fieri promeruit. Hic eſt Macfil epiſcopus clarus ac ſanctus, poſtmodũ effectus in Euonienſium ciuitate, cuius nos adiuuent ſancta ſuffragia. Quadã uerò die requieſcens ſanctus Patricius ſupra mare, iuxta ſalſuginẽ, quæ eſt ad aquilonarẽ plagam: uenit ad eum locũ qui Collũ bouis nũcupatur, diſtantẽ à mari nõ magno ſpacio, audiuitq́; ſonitum intemperatũ gentilium, in die Dominica agricultura laborantium: quos cõuocans ad ſe Patricius prohibuit ne laborarent in die Dominico. At illi nõ conſentiẽtes uerbis ſancti pontificis, deridebant eum. Et ait ſanctus Patricius ad eos, Modebroth: quod interpretatur, Quod laboratis, non proderit uobis. hoc etiam ſtatim completũ eſt. In ſequẽti enim nocte uentus ualidus à Deo miſſus, turbauit mare, ita ut ebulliret, & omnes agros pertranſiret, & ita omne opus gentilium tempeſtas maris ſecundũ uerbũ uiri Dei deſtruxit. Venit aliquando ſanctus Patricius epiſcopus per alueũ fluminis Synone, per uaſtũ cantũ auiũ ſecedens in campũ Hair. Audientes aũt duo magi regis Themoriæ filij, ſcilicet Nel, Caplis & Caplid nũcupati, qui nutrierãt duas filias Logareni regis, Aethne albã, & Fethlen rufam, omnia quæ facta ſunt regi, & magis cũctisq́; qui in cãpo Themoriæ à ſancto Patricio ceciderũt, indignati ſunt ualde, & timẽtes ne præfatæ filię regis quas nutrierãt, mores Chriſtianorũ acciperẽt, induxerũt denſiſsimas tenebras, & noctuales caligines ſuper totũ campũ Hair ſuis magicis artibus, neſcio cuius poteſtatis permiſsiõe: ſed notũ eſt omnib Hyberniorũ populis, quia nox illa triũ dierũ & tot noctiũ erat. tũc ſanctus Patricius uidẽs malitiã illorũ, arripuit arma ſpiritalia. i. ieiuniũ, uigilias & orationes, & tribus noctib. cũ cẽtenis uenijs, ac precibus aſsiduis perdurans, Deũ regũ rogabat, ut diſcuteret omnẽ grauitatẽ magicæ caliginis à cãpo Hair. Exaudiuit dñs preces beati Patricij, & diſcuſsit oẽs tenebras illas, refulſitq́; ſol ſuper terrã, & lętati ſunt homines gẽtis illius. Hoc cũ uidiſſet beatus Patricius, gratias egit Deo: deinde ſanctiſsimus epiſcopus Patricius uenit ad fontẽ, qui dicitur Debach; in laterib. Crochon cõtra ortũ ſolis, cũ trib⁹ epiſcopis & multis clericis, ut haberẽt cõciliũ de Eccleſiaſticis rebus, & ſederũt iuxta fontẽ. Et ecce duæ filię, quas p̃diximus Logareni regis, Aethne alba, & Fethlẽ rufa, ad fontẽ illũ more mulierũ, mane ad lauandũ uenerũt, & ſanctã ſynodũ epiſcoporũ cũ Patricio iuxta fontẽ inuenerũt: ſed unde eſſẽt, aut de qua plebe uel regiõe, nõ cognouerũt, ęſtimãtes eos deorũ terrenorũ ſacerdotes aut phantaſiã eſſe. Quap̃pter interrogauerũt eos dicẽtes, Vnde eſtis, & unde ueniſtis? Sanctus Patricius reſpõdit, Melius erat uos deo noſtro cõfiteri, q̃ de genere noſtro interrogare. Prima filia dixit: qs eſt deus, & ubi eſt deus, & cuius eſt deus, & ubi eſt habitaculũ eius? ſi habet filios & filias, aurũ & argẽtũ, ſi uiuit ſemp, ſi pulcher: ſi filiũ eius nutrierunt multi, ſi filię eius claræ & pulchriores ſunt hominibus mundi; ſi in cœlo eſt, an in

terra,

terra, in æquore, in fluminibus, in montanis, in conuallibus edicito nobis. Quomodo uidebitur, quomodo inuenitur, in iuuentute an in ſenectute? Reſpondens ad hæc ſanctus Patricius, plenus ſpiritu ſancto dixit, Deus noſter, Deus omnium hominum, Deus cœli & terræ, maris & fluminum, Deus ſolis & lunę, omniumq́; ſiderum, Deus eſt montium ſublimium, ualliumq́; humilium, Deus ſuper cœlos & in cœlis, & ſub cœlo habet habitaculum. Ergo cœlum & mare, & omnia quæ in eis ſunt, inſpirat, omnia uiuificat, regit omnia, gubernat omnia: ſolis lumen illuminat, lumen noctis ſplendore ſuo perluſtrat: fontes fecit in arida terra, & inſulas ſiccas in mari, & ſtellas in miniſterium omnium hominum poſuit, coæternum etiam conſimilemq́; ſibi genuit filium, qui tamen filius nõ minor eſt patre, nec pater filio ſenior, & ſpiritus ſanctus ſpirat in eis: nec abinuicem ſeparãtur pater, & filius & ſpiritus ſanctus, quomodo hæ tres perſonæ, unus & uerus Deus eſt: quem & ego fiducialiter annuncio uobis, hortans & obſecrans, ut ad notitiam nominis eius fideliter accedatis. Reſponderunt ambæ filiæ regis, quaſi ex uno ore dicentes, Doce nos diligentius, quomodo ad notitiam nominis eius pertingentes, uerum Deum habere poſsimus, uel qualiter credere debeamus in eum, & quicquid dixeris nobis, faciemus. Sanctus Patricius dixit, Creditis in Deum poſt patris & matris peccatum? Reſponderunt, Credimus. Creditis ait uitam poſt mortem? Reſponderunt, Credimus. Creditis reſurrectionem in die iudicij? Reſponderunt, Credimus. Creditis unitatem ſanctæ eccleſiæ? Reſponderũt, Credimus. Tunc baptizauit eas ſanctus Patricius, & induit eas ueſte alba & candida. Quæ cum eſſent baptizatæ, poſtulauerũt uidere faciem Chriſti. Et dixit eis ſanctus Patricius epiſcopus, Niſi guſtaueritis de corpore & ſanguine Chriſti, & niſi mortem corporis ſenſeritis, non poteſtis Chriſtum uidere in gloria ſua. Dixerunt, Da nobis ſacrificium corporis & ſanguinis Chriſti, ut ſoluamur à corruptione carnis, & uideamus ſponſum noſtrum qui in cœlis eſt. Tunc miſſam celebrante ſancto Patricio, communicauerunt filiæ regis cum ſpe magna & fide perfecta: & cum communicaſſent, ſtatim requieuerunt in pace. Poſita ſunt autem corpora earum in lectulo uno, uno ueſtimento cooperta: feceruntq́; planctum magnum amici earum. Venit ergo magnus Caplid, qui nutrierat primam filiam regis: cui cum prędicaret ſanctus Patricius uerbum Dei, credidit ipſe Domino noſtro Ieſu Chriſto, & capilli capitis eius ablati ſunt à ſancto epiſcopo, in teſtimonium prioris infidelitatis illius. Frater etiam eius Caplis, qui filiam alteram nutrierat, uenit & dixit, Ecce frater meus Caplid credidit Patricio, ſed de me ita non erit: nam ego faciam eum reuerti ad gentilitatem. Et conuerſus ad Patricium, protulit uerba dura & blaſphema aduerſus eũ: ſanctus autem Patricius patienter pertulit blaſphemiam ab eo illatam, prædicauitq́; etiam ei uerba ſalutis & uitæ, & conuertit illum in pœnitentiam & compunctionem cordis. Tunc iubente ſancto Patricio, ablati ſunt capilli capitis eius, id eſt norma magica, quæ prius in capite illius uidebatur. Completi ſunt itaq; dies luctus filiarum regis, & ſepultæ ſunt iuxta fontẽ Clebach, feceruntq́; eis foſſam rotundam in ſimilitudinem petræ inciſæ: quæ foſſa conſecrata eſt à ſancto Patricio cum ſanctarum uirginum oſsibus, & celebrata eſt eorum memoria ab eodem ſancto uiro, & ab hæredibus eius epiſcopis poſt ſe in ſecula. nam eccleſiam uirginum cõſtruxit in eodem loco. Poſt hæc perrexit Patricius epiſcopus ad montem Crocanegli, ut ieiunaret in illo quadraginta diebus & quadraginta noctibus, Moyſaicam tenens diſciplinam, & Heliacam atq; Chriſtianã. Ibi cum moreretur auriga illius, ſepeliunt eũ in loco qui dicitur Croconegli: congregauitq́; lapides contra ſepulchrũ eius, & dixit, Hic anima requieſcet, & uiſitabitur à me in nouiſsimis diebus. Tunc aſcendit Patricius ad cacumina montis Croconegli, & multitudo auium uenit circa illum, ita ut nõ poſſet uidere faciem cœli & terrę ac maris, propter aues. Manſit ergo ſanctus Patricius in mõte quadraginta diebus orans, & reſponſa diuina frequenter accipiens. Exinde facta eſt conſuetudo omnibus ſanctis Hyberniorum, ut aſcẽderent ſuper eundem montem, dicente ad eos Domino, Aſcendite ò ſancti mei ſuper montẽ hunc, qui imminet cœlo, & altior eſt omnibus montibus qui ſunt ad occidentem, ad benedicẽdos Hyberniæ populos. Vt ergo uideret ſanctus Patricius fructum laboris ſui, aſcendit in montem hũc, & chorus ſeniorum omnium Hyberniorum uenit ad eum, quaſi ad patrem eorũ chariſsimum uiſitandum. Hæ ſunt tres petitiones ſancti Patricij, quas petijt à Domino Deo cœli, in monte Croconegli. Prima eſt, ut unuſquiſq; fidelis homo Hyberniorum, per pœnitẽtiam & confeſsionem Deo ſatisfaciens, licet in extremo uitæ ſuæ ſpatio, ab ipſo clementer ſuſcipiatur. Secunda eſt, ne barbari irruptionem in eos facientes, dominentur in ſempiternũ illis. Tertia eſt, ne aliquis Hyberniorum ſuperuiuat in hac uita uſq; in diem iudicij, quia delebũtur omnia æquora quarto anno ante diem iudicij. Poſt hęc uenit ſanctus Patricius per campos regionis ad locum qui Dicfil appellatur, & ſepulchrum magnum miræ magnitudinis, immẽſæq́; longitudinis inuenit in eodem loco: quod cum uidiſſent ſocij ac diſcipuli qui erant cũ eo, mirabantur nimis, atq; ſtupebant, metientes in lõgitudine ſepulchrum illius pedes quaſi xxx. dixeruntq́; ad beatum Patricium, Non credimus hominem aliquem huius longitudinis extitiſſe. Reſpondit eis ſanctus Patricius, dicens, Si uolueritis, uidebitis illum. Et dixerunt, Maximè ac libentiſsimè uolumus. Tunc ſanctus Patricius percuſsit lapidem ſepulchri baculo ſuo, iuxta caput ſcilicet hominis ſepulti: ſignauitq́; ſepulchrum ſignaculo crucis, & dixit, Aperi Domine ſepulchrum uiri huius: & ſtatim di-

uina



uina uirtute apertũ eſt, & ecce uir magnus ſurrexit ſanus, dixitq́; ad beatum Patriciũ, Bene ſit tibi ò uir bone & ſancte, quòd ſuſcitaſti me, ut una hora requieſcam à laboribus & pœnis meis. Hæc dicens fleuit amariſsimè, & dixit, Si ambulabo uobiſcum? Reſpondit ei ſanctus Patricius, & dixit, Nõ poteris ambulare nobiſcũ, quia non poſſunt homines uidere faciem tuam propter timorem tui: ſed potius crede Deo cœli, & baptiſmum Domini accipe, & ſic reuerteris in locũ ubi ſepultus eras: indica tamẽ prius nobis, cuius ciuis antea fueris. Et dixit, Ego ſum macmaic cais maicglais. quod poteſt dici, ego ſum maximus uirorum inſulanorũ, qui fui Porcarius Ricrote regis: & iugulauit me dormientem femmaic magus in anno chorbri nuotfer, qui eſt annus centeſimus uſque hodie. His dictis baptizatus eſt à beato Patricio, facta confeſsione, dictoq́; ſymbolo fidei ac Dominica oratione, prædicente ſancto epiſcopo atque mergẽte eum in aqua profundiſsima ter, in nomine ſanctæ trinitatis. Cũq́; fuiſſet baptizatus, læto animo intrauit ſepulchrũ ſuum, & requieuit in pace. Venit iterum ſanctus Patricius in alium campum in regionibus maritimis, & inſulis Hyberniæ, inuenitq́; in eo loco ſignaculũ crucis Chriſti iuxta duo ſepulchra noua infixum, & de curru ſuo proclamans dixit, Quis eſt ſepultus hic? Reſpõdit ei uox de ſepulchro dicens, Ego ſum gentilis homo, & paganus. Cur, inquit, iuxta te crux Chriſti infixa eſt? Et iterum reſpondit ei uox de ſepulchro. Quia, inquit, uir qui ſepultus iuxta me eſt, Chriſtianus fuit, rogauitq́; mater eius ut hoc ſignum crucis poneretur iuxta ſepulchrum filij ſui: ſed uir quidam fatuus & inſenſatus poſuit illud iuxta me. Quod audiens Patricius, exiliuit de curru ſuo, auferensq́; crucem de gentilis tumulo, infixit eam ſepulchro baptizati: aſcenditq́; iterum ſuper currum ſuum, & receſsit, orans Deum pro anima baptizati: & decantans apertè Dominicam orationem. cumq́; dixiſſet, Libera nos à malo, interrogauit illum auriga illius, & dixit, Quare non reſuſcitaſti & iſtum hominem paganum, ut per baptiſmũ poſſet ſaluari? & quare iſte non ſicut prior per baptiſmum poterat ſaluari? Et non reſpondit ei Patricius. Puto enim ideo reliquit illum non ſuſcitatum & non baptizatum, quia Deus illum ſaluare noluit, ſicut priorem. Cum aliquando ueniſſet ſanctus Patricius in regiones filiorum Amalgit, congregata eſt multitudo magorum. Ad primum magum Recraidum nomine, rogantes ut ulciſceretur ſe de inimico deorum ſuorum: at ille ſtatim ſurgens ambulauit cum illis, habens erga ſe artem magicam ſcriptam in ueſtimentis ſuis albis. Cumq́; uidiſſent eos uenientes ad ſe Patricius & Endeus filius Amalgit, & Conallus filius Endei, dum iam baptizaret Patricius multitudinẽ barbarorum, arripuere arma ſua Endeus & filius eius, ut repellerent magos à ſancto Patricio: uir autem Domini Patricius eleuauit manum ſuam ſiniſtrã in cœlum, & maledixit Recraidum præfatum principem magorum. Qui ſtatim morte pręuentus, cecidit in medio magorum, qui uenerant cum eo, & exuſtus eſt antè faciem omniũ eorum, & in ſignũ uindictæ Dei, terra deglutiuit eum: quo uiſo cæteri diſperſi ſunt per totum campum Damnon, & territi ſunt uehemẽter à facie Dei cœli. Quodam tempore cum tota Britannia incredulitatis algore riguiſſet, & pauci eſſent qui fidei ſemina perfecto corde ſuſcipere uellent, beatus Patricius fleuit ad Dominum, & dixit, Domine Deus tolle me, quia fruſtra prædico uerbũ tuũ. Nolunt enim per me credere homines iſti. Cui reſpõdit Dominus, Noli turbari Patrici, quia ego noui quos elegerim. Non enim per te, ſed per me credere habent: ſed & labor tuus non erit inanis. Craſtina enim die audies filiam regis uirginem, ſine omni prædicatione perfecte in me credere: quam tu cum baptizaueris, mitte ad me. & ita factum eſt. Cuiuſdam enim regis filia egregia facie & perfecta uirtute, cui nomen tum erat Muneria, ſpiritus ſancti ſubitò repleta eſt gratia. cuius multi nobiles ac diuites expetierunt amplexus coniugales, & non adquieuit eis, licet adhuc non eſſet baptizata, nec fide imbuta. Nam ad id quod nolebat, à parentibus compelli non poterat: quæ uidelicet cum inter uerbera & crebras increpationes interrogaret matrem & nutricem, ſi compertum haberent rotæ factorem, cuius luce mundus illuminatur: & cum reſponſum ab eis acciperet, ſolis factorem eſſe eum cui cœlũ ſedes eſt, rogauit ut illi copularetur coniugali uinculo, qui tam decorum lumen poſsideret in cœlo. Intellexit ſiquidem uirgo præfata per naturã totius creaturæ factorem, in hoc patriarchæ Abrahæ ſecuta exemplum: parentes autem eius quid agerent, quò ſe uerterent neſciebant. Tandem inito conſilio à Deo ſibi tradito, ſanctum Patriciũ acceſſiri fecerunt, ut ſuper hac cauſa conſulerent illum. At ille per ſpiritũ ſanctum edoctus omnia, ſtatim ad præfatam uirginem acceſsit, & eleuata uoce dixit ad eum, Si credis in Deũ ex toto corde tuo? Puella reſpondit, Credo. Tum uir Domini Patricius ſacro lauacro ſpiritus & aquæ regenerauit eam. Nec mora ſolo proſtrata, ſpiritum tradidit in manus angelorũ: & ubi moritur, ibi & ſepelitur. In ipſo quoq; loco, cellulam poſtmodum futuram eſſe ſanctus Patricius prædixit, in qua uirgines Deo famulaturæ cõgregari deberẽt. quod & factũ eſt, nõ lõgè ab illo tempore: nam eiuſdẽ ſanctę uirginis memoria colitur in eodem loco uſque in præſentem diem. Item mirabile quoddam geſtum ſancti Patricij ſilentio non tranſibo. Nunciatum eſt ei aliquando nequiſsimum opus cuiuſdam Britannici regis, nomine Chairtic, infauſti crudelisq́; tyrãni, qui erat maximus perſecutor & interfector Chriſtianorum. Sanctus igitur Patricius per epiſtolã ſuam ad uiam ueritatis eum reuocare tentauit, ſed ille ſalutaria eius monita deridebat. Quod ubi nũciatum eſt homini Dei, flexis genibus orauit & dixit, Do-

mine ſi fieri poteſt, expelle perfidum hunc de præſenti ſeculo & futuro. Nec multo pòſt præfatus ille tyrannus Muſicam artem à quodam ſibi pręcantari fecit, à quo audiuit, quòd citò de ſuo regali tranſiturus imperio eſſet: omneſq; chariſsimi eius in hanc ipſam uocem proruperunt. Tum ille, cũ eſſet in medio foro, ilicò uulpeculæ miſerabiliter arrepta forma profectus eſt in præſentia ſuorum, quò eum impetus animi duxit: & ex illo die illaq; hora uelut à diabolo raptus, nuſquam comparuit. Virum aliquẽ ualde durum & auarum in campo Hanyr habitantem, in tantum ſtultitiæ auaritiæq; incurriſſe crimen periti ferunt, ut duos boues à carro Patricij auferret uiolenter, & ad ſuum uſum transferret: cui iraſcens ſanctus Patricius, cum maledictione dixit, Madebrot. Quod poteſt intelligi, Male feciſti, nunquam proficiet tibi, ſed ager hic tuus neque tibi neque ſemini tuo in ęternum unquam utilis erit. & factum eſt ita. Inundatio enim tam abunda maris eodem die circuiuit atque perfudit eiuſdem uiri agrum, ut nunquam amodò faceret fructum: poſitaq; eſt iuxta Prophetæ uerbũ, terra fructifera in ſalſuginem, à malitia inhabitãtium in ea. Arenoſa ergo & infructifera eadem terra facta eſt à die qua maledixit eã ſanctus Patricius, uſq; in hodiernũ diem. De diligentia orationis eius pauca de multis, quæ enarrare poſſumus, ſcribere conabimur. Omnes pſalmos & hymnos, & Apocalypſin Iohannis, & omnia cantica ſpiritalia ſcripturarum quotidie decantabat, ſiue in uno loco manens, aut in itinere pergens. Per trophæum quoque Dominicæ crucis in omni hora diei noctiſq; centies ſe ſignabat, & ad omnes cruces quaſcunque uidiſſet, dum aliquod iter perageret, orationis gratia ſe inclinabat: & interdum de curru deſcendẽs in terram ſe proſtrauit, manuq; tangens crucem, ſignum eius ſibimet impreſsit. Conſuetudo illi erat, ut à ueſpera Dominicæ noctis, uſque ad mane ſecundæ feriæ propter honorem ſacri diei nullum omnino iter perageret. Accidit ergo quodam die Dominico, ut dum pro reuerẽtia ſancti diei pronoctaret in campo, grauis pluuia cum tempeſtate ſubitò inſtaret: per cuius inundationẽ, dum tota illa prouincia depopulata eſſet, in loco ubi ſanctus Patricius manebat, ſiccitas erat. Tunc eadem nocte auriga eius murmurare cœpit, equos amiſſos, & eos quaſi amicos charos plangit, quia illos quærere tenebris arcentibus uiſum non poterat. Vnde pietas beati Patricij permota eſt, & flebili uoce aurigæ dixit, Deus in anguſtijs & tribulationibus opportunus adiutor eſt, ipſe promptus adiutorium tibi præſtabit, & citius equos amiſſos inuenies. His dictis manum de manica extulit, & quinque digitis eius, ſicut tot luminaribus noctis tenebras illuminauit, ita ut non tantum proxima, ſed & longinqua atque remota omnia regionis illius illuminarentur loca. Tunc auriga lætus effectus de luce conceſſa, equos amiſſos inuenit, & Deo gratias retulit, quod miraculũ eidem ſancti patris indiuiduus comes, ſimul & auriga, uſque ad obitum Patricij ſilentio abſcondit. Appropinquante die mortis beatiſsimi patris noſtri Patricij, uenit ad eum angelus Domini, qui ante ſæpiſsimè apparuerat, & dixit ei de morte ſua, & de exequijs eius, ac de alijs ſecretis Dei: ille uerò ad Arthmache uoluit ire, ut ibi moreretur atque ſepeliretur, ueneruntq; ad eum uiri familiares eius, & amici nominis Chriſti ad deducendum eum quocunq; uellet: cumq; ad Arthmache cœpiſſet ire cum multis ſocijs ſe comitantibus, ecce iuxta uiam rubus quidam apparuit ardens, & tamen non comburebatur, ſicut quondam Moiſi apparuit Dominus in igne rubi. Erat autem in rubo angelus ille qui eum uiſitare ſolebat: qui uocans ad ſe Patricium dixit illi, Quare ſine Dei conſilio proficiſceris ad locum, quem non præelegit Dominus? Reuertere ad locum unde uenis, hoc eſt ad Sabul. Illic enim morieris, nec Arthmache adibis: unde pręmoneo te ut Domino Deo tuo gratias referas, quia datæ ſunt tibi petitiones quas petiſti. Prima petitio eſt, ut in tota Hybernia fiat à Domino ſalutis præſtatio de meritis tuis: ſecunda petitio tua, ut quicunq; hymnum, qui de te compoſitus eſt, in die natalis tui decantauerit, tu eius pœnitentiam de peccatis ſuis ſuſcipias: tertia petitio tua eſt, ut qui tuam memoriam benignè celebrauerint, miſericordiam Dei mereantur, ut non pereant in futuro: quarta petitio eſt, ut Hybernienſes omnes in die iudicij à te iudicentur, ut uidelicet eos quibus apoſtolus fuiſti, iudices, ſicut dictũ eſt à Domino ad apoſtolos, Sedebitis ſuper ſedes duodecim, iudicantes duodecim tribus Iſrael. Reuertere igitur ſicut dixi tibi, & ingredieris uiã patrũ tuorum. Hæc angeli dicta poſt ſeptem dies, in die ſcilicet xvj. Kalend. Aprilis expleta ſunt circa beatum Patricium, peractis totius uitæ eius cxxx. duobus annis, ſicut in omnibus Hyberniæ finibus celebratur. Magnum autem & inauditum miraculum tunc per totam Hyberniam factum eſt. Per duodecim enim dies in prouincia illa, ubi mortis eius exequiæ factę ſunt, nox non erat, nec pallor ueſperi, neq; crepuſculi umbra uidebatur: plebs etiam illius loci, in quo ſepultus eſt, certiſsima confirmat atteſtatione, quòd uſq; ad finem totius anni, in quo obierat, nunquã nocturnales tenebræ tales extitiſſent, quales antea fuerunt. Quod nimirum ad tanti uiri meritum declarandum accidiſſe non dubium eſt. Siquis autem cõtra noctis huius claritatem contendere uoluerit, & hæc eadem lucis indicia, quæ morte beati Patricij peracta ſunt, fideliterq; oſtenſa miracula infideliter negare præſumpſerit, diligẽter attẽdat, qualiter Ezechiæ langtuenti in horologio ſanitatis indicio demonſtrato, ſol per x. lineas recurrens oſtenſus ſit, penè duplicato die: recẽſeat etiam, quòd ſol cõtra Gabaon, & luna cõtra uallem Achilon ſtetit duplicato die ſine nocte, quando Ieſu Naue pugnans contra inimicos Iſrael deleuit eos, Sed hoc miraculũ per





totum clarum fuit mundum, & ideo minimè dubitãdum: iſtud uerò miraculum ſancti Patricij, quod geſtum eſt in iſta prouincia tãtum, ad hoc à ſolis nobis uiſum eſt, ut fideles animæ tantum Hyberniorũ his patris ſui ſanentur exẽplis. nã cęteræ gentes, ſi minus ſancti Patricij miraculũ credunt, ſuorum apoſtolorum ac prædicatorũ exemplis ac miraculis credant. Igitur ægrotauit ſanctus Patricius, ut dictum eſt, 7. dies, & diſpoſuit pacem & concordiam per omnes eccleſias ſuas: appropinquante autem hora exitus ſui, ab epiſcopo Thaſſach uiaticum beatæ memoriæ accepit: & exinde poſt mortuos ſuſcitatos, poſt populum multum ad Chriſtum conuerſum, poſt epiſcopos & presbyteros in eccleſijs ordinatos, poſt totum eccleſiaſticum ordinem bene ac perfectè compoſitum, poſt ætatem annorum, ut antè dictum eſt, cxxxij. peractis omnibus quæ in Deum ſunt, ad Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum, qui eum in ueſtigijs ſuorum apoſtolorum miſerat, cum beatis meritis ad beata & æterna regna feliciſsimè profectus eſt. In prima autem nocte exequiarũ eius, ſancti angeli excubias uigiliarum ibidem fecerunt, hymnorum atq; pſalmorũ modulationes in omnibus complentes: quicunq; uerò ad uigilias primę noctis clerici uel laici uenerant, ſubitò obdormierunt, & angelis excubantibus locum dabant: in cæteris autem noctibus homines religioſi orantes, ac pſalmos canentes, ſacrũ corpus ex more cuſtodiebant. Sed poſtquã peractis uigilijs angeli in cœlos profecti ſunt, odorem ſuauiſsimum quaſi mellis, & fragrantiam myrrhæ dulcedinis, & quaſi ſaporem uini iuxta corpus in terra dimiſerunt: ut impleretur quod in patriarchę Iacob benedictionibus prędictũ eſt, Ecce odor filij mei ſicut odor agri pleni, quem benedixit Dominus. Porrò ut ad ſuperiora redeamus, quãdo angelus ad eum uenit, & de ſepultura ſua ei prædixit, hæc quoq; inter alia ſubiunxit, Eligantur duo boues indomiti, & pergant quocunq; uoluerint, in plauſtro portantes corpus tuum: & ubicunque requieuerint, illic eccleſia in honorem corpuſculi tui ab hominibus ædificetur. Factum eſt ergo ſecundum præceptum angeli, & electi ſunt duo boues indomiti, & plauſtrum cum geſtamine corporis eius impoſitũ eſt eis: & à loco qui Cloch uocatur, exierunt Dei nutu regente, & ad eum locum ubi ſepultus eſt ſanctus Patricius, peruenere. Apparuit autem angelus Domini omnibus qui ad ſepulturam eius conuenerant, & dixit eis, Videte ne reliquiæ corpuſculi huius ſanctiſsimi uiri à terra uobis furtim auferãtur, & ideo profunditate unius cubiti in terra eius corpus obruatur, quod quidem Dei iuſſu neceſſariò factum, poſtea demonſtratum eſt. Nam in nouiſsimis temporibus cum eccleſia ſuper corpus eius ædificaretur, homines humum fodientes, ignẽ de ſepulchro eius exurgere uiderunt: quo timore perterriti fodere deſierunt, ac recedentes ab hac intentione, maiori ueneratione memoriam eius celebrare cœperũt. In tempore tranſitus ſanctiſsimi patris noſtri Patricij, dira quædam belli cõtentio inter orientales Britanniæ populos ex parte una, & inter Vltanos ex altera parte orta eſt de tollẽdo corpore eiuſdem ſanctiſsimi uiri, in loco qui Collum bouis nominatur: ſed meritis beati Patricij, & miſericordia Dei, ne ſanguis effunderetur Chriſtianorum, ſeditio ilico ſedata eſt. Condicto enim bellorum die, intumeſcebant ultra modum fluctus maris, quod erat inter inſulanos iſtos, prohibentes naues bellicas, ne ad inuicem conuenire ullatenus potuiſſent. Alio autem tempore cum quieuiſſent maria, ſurrexerunt iterum orientales cõtra Vltanos populos, & acriter ad certamen irruerunt, ac certatim armati in bellũ hoſtili impetu, ad locum beati corporis proruperunt, ſed felici mirabiliter ſunt fallacia ſeducti. Nam cum tali bello fortitudini ſuæ confidentes, ſanctum corpus orientales, utpote ſęuiſsimi hoſtes, ab Vltanis expeterent, corpus ilicò Dei nutu plauſtro cum duobus bobus aduectum ad ſe quaſi uenire conſpiciunt: qui nimium gauiſi, ſanctum eſſe corpus putabant, æſtimantes ſe ſua hoc uirtute rapuiſſe, & præeunte eos plauſtro, ut putabant, domum cum feſtinatione reuerti cupiebant. Sicq; cum tali apparatu & armatura uſque ad flumen, qui dicitur Caubene, cum corpore, ut putabant, peruenerunt: quo tranſito, plauſtrum cum corpore eis ultrà non comparuit. Hoc enim Dei pietas ita fieri, ut putamus, permiſit, ut de tanto ac tam beato corpore etiam inter pertinaces & contẽtioſos pax eſſet. Nam felix illa fallacia, pia propiciatione bellum prouidenter inter gẽtem & gentem ſedauit, ne quod eſſet animarum ſalus innumerabilium, in exitium & mortem conuerteretur plurimorum. Et ſicut Syri quondam excæcati, ne ſanctum Heliſeum occiderent, ab eodem propheta diuina prouiſione ad Samariam uſque deducti ſunt: ita etiam hæc ſeductio ad concordiam, non ad ſeditionem iſtorum populorum profuit. Ecce habes frater Pauline, à me humili probo poſtulatum noſtræ fraternitatis indiciũ, quo nos pauperes aliqua tibi de ſanctiſsimi patris noſtri Patricij epiſcopi uirtutibus ſcribere cupiebas. Peto ergo caritatem tuam, ut pro me Deum rogare digneris, ut meritis beatiſsimi Patricij meorum conſequi merear ueniam peccatorum, & qui noſtris culpis præpedientibus eius præmiorum non meremur æquale conſortium, ſit nobis in præmio æternum euaſiſſe ſupplicium: præſtante Domino noſtro Ieſu Chriſto, qui cum patre & ſpiritu ſancto uiuit, Deus per omnia ſecula ſeculorum, Amen.

Bedæ tom.3.

SANCTI PATRICII VITAE FINIS.

# Sancti Euſtaſii abbatis uita.

VENERABILIS Euſtaſius, diſcipulus ſancti Colũbani abbatis apud cœnobium, quod uocatur Luxouium, adhuc in carne poſito beato Columbano, monachorum cateruas regendas ſuſcepit, quas & paterno affectu, & omni æquitatis moderamine ad inſtar reuerendi magiſtri informare curauit. Euenit aliquando, ut pro communi neceſsitate monaſterij, ad regem Lotharium pergeret, qui eo tempore in ultimis Galliæ finibus, oceani maris uicina inhabitabat: in itinere uerò conſtitutus, uenit quadam ueſpera ad domum cuiuſdam Chanerici, cuius uxor Leodegunda dicebatur, Chriſtiana, & bonę mentis fœmina, quorum filiam Burgũdoforam nomine, beatus Columbanus Domino conſecrauerat. Quam uidelicet puellam, cum contra uoluntatem eius pater ad nuptias tradere uoluiſſet, dolore oculorum percuſſa, tãto febrium igne ſuccenſa eſt, ut uix ſuperis reddi crederetur: cumq; ueniſſet illuc beatus Euſtaſius, patrem puellæ increpat, dicens ſuæ noxæ eſſe, quòd ipſa tantis exureretur pœnis, qui uiri Dei Columbani interdictũ uiolare tentaſſet: at ille ſimulata compunctione, Vtinam inquit, ſoſpitati redderetur, ut diuinis famularetur obſequijs, nec ego ulterius talibus obſiſterem uotis. Accedens itaq; Euſtaſius ad ſtratum puellę, ſciſcitabatur, ſi ſuę fuerit aſſentationis, quod cõtra beati Columbani interdictum poſt uota cœleſtia rurſus iteraret terrena. Cui reſpondens puella, teſtatur ſe talibus uotis nunquã paruiſſe, ut terrenis cœleſtia commutaret, ſed paratã fuiſſe & eſſe beati uiri parere præconijs: ſeq; ait præterita nocte uidiſſe uirum ſimilẽ eidem beato Euſtaſio, qui oculis ſuis lumen redderet, & uocem ſimul audiſſe dicentem, Quodcunq; tibi dixerit uir iſte, fac, & ſanaberis. Nunc igitur infer auribus meis, quæ mihi ſunt cuſtodienda, & tuis orationibus pelle dolorem à Domino illatum. Tunc proſtratus humo uenerandus uir Euſtaſius cum lachrymis poſtulat Dominũ, ut pollicitum munus exhibeat: ſurgensq; crucem ſuper oculos exprimit, & oculos manu palpando, diuinum auxilium adeſſe deplorat. Ad cuius tactum lumen ilicò redditur, frebrium ignis fugatur: redditamq; ſoſpitati puellam matri cõmendat, donec à Lothario rege, quò iter arripuerat, rediens, religioſis eam ueſtibus ſubdat. Cum autem pater cerneret filiam ſuam ſoſpitati redditam, cæcam, obliuionis iterum foueam incidens, decernit eam ſponſo tradere priſtina pollicitatione: quo puella comperto, unius ſodalium ſuarum conſilio quæſito, & eandem aſſumens, felicem fugam inierũt, & clam elapſę, ad baſilicam beati Petri principis apoſtolorũ peruenerũt. Audiens hoc pater puellæ, dirigit cum furore pueros, iubens ut apprehenſam filiam crudeliter perimant: pergentes ergo pueri ſinibus eccleſiæ receptam inueniunt, cui & ſtatim minantur periculum mortis. at illa, Si inquit, mortem me formidare putatis, in hoc eccleſiæ pauimento probate. nam ego mortem ouans ſuſcipio, pro eo qui propter me non dedignatus eſt mori. Interea peracta legatione ſua uenerabilis pater Euſtaſius remeat, puellã à cuſtodia liberat, patrem terribiliter increpat, religionis ueſtem per pontificem urbis illius, Gundoldum nomine, induit, monaſterium uirginum Chriſti ſupra paternũ ſolum inter duos fluuios ædificat: fratres, qui ædificandi curam habeant, deputat, germanos puellæ Chagnoaldum & Vualdebertum, qui ei poſtea ſucceſsit, ut regulam doceant, decernit: in quo uidelicet Vualdeberto, quantæ uirtutes poſtmodum factæ ſint, ſi uita comes fuerit, proſequemur. Reuerſus poſthæc uenerabilis uir Euſtaſius ad Luxouium, magiſtri ſui pręceptum implere parat, ut gentes quæ uicinæ erant, fidei pabulo alerentur. Progreſſus ergo Vuaraſcos prædicando conuertit populos, quorum alij idolatris cultibus dediti, alij Fotini hæretici errore maculati erant: ubi cum multum populum ab erroribus diuerſis conuertiſſet ad Dominum, ad Boias, qui nunc Bicarij uocantur, tendit, eoſq; multo laborè imbutos, ac fidei liniamento correctos, plurimos eorum ad fidem conuertit. Vbi cum aliquantiſper moratus fuiſſet, dimiſit ſagaces uiros, qui cœpti laboris in ſtudio deſudarent, ipſe uerò ad Luxouium remeare diſponit: & dũ iter carperet, uenit ad quendam uirum nomine Gundoenum, habitantem in uilla, quæ Moſa, ab amne ibidem præterfluente uocatur: cuius ſtatim ut ingreſſus eſt domum, præmiſſa benedictione, poſcit ut liberos, quos habeat, repræſentet. At ille libenter obediens, duos bonæ indolis liberos præſentauit. Eſt inquit, tibi adhuc proles? Ille fatetur præter unam filiam luminibus orbatam, nomine Adelbergam, ſe amplius non habere: quam præſentatam cum uidiſſet famulus Dei, ſciſcitatus eſt ab ea, utrũ iuuenilis animus ad cultum diuini timoris aſpiraret. Cumq; illa ſe paratam eſſe reſponderet, ſacris præconijs obtẽperare, per duos ille dies ieiunijs corpus afficit, mentem fide armauit, ſuper oculos benedictionis oleũ effudit: ſicq; per interuentũ famuli ſui redintegrauit diuina pietas damna luminis eiuſdem puellæ: quæ nunc quoque ſupereſt, & diuinis obſequijs dedita, non ſolùm ſuæ utilitati, ſed & alijs præuidet opportuna. Progreſſus inde beatus Euſtaſius, cũ cœptum iter perageret, quendam fratrem Agilum nomine, qui modò Reſpacenſis cœnobij præſul exiſtit, uehementi febrium igne ſubitò correptum interuentu orationis ſuæ ſanauit, ac priſtinæ ſoſpitati reddidit. Deinde perueniens ad ſupradictum cœnobium, tam fratres interius, quàm uicinos populos ad Chriſtiani uigoris emolumentũ inhianter excitauit, multoſq; eorum ad pœnitentiæ medicamenta per-





traxit. De fratribus uerò ſub eius regimine conſtitutis, poſtea plures eccleſiarum præſules extiterunt: Chagnoaldus Lugduni, Acharius Viromandorum & Nouiomenſis ac Tornacẽſis epiſcopus: Rachnacarius Auguſtodoni & Baſileæ, Audemarus Bononiæ & Tharonenſis oppidi. Cumq; iam ab omnibus haberetur gratus, ut nullus ſe beatum Columbanum perdidiſſe gemeret, qui eius doctrinis imbutus fuiſſet, omniumq; Francorum procerum honore fulciretur, & pręcipuè Lotharij regis amore ac ueneratione clueret, præſertim cum cernerent in diſcipulo magiſtri inſtituta per omnia manere: exarſit more ſuo liuidus aduerſus ſancti uiri famam Chelidrus, excitans contra eum unũ è ſubditis Agreſtinum nomine, qui quondam Theoderici regis notarius fuerat, & quadam compunctione cordis tactus, omnia quæ poſſederat relinquens, & Luxouium ueniens, ſe & ſua omnia eidem uenerabili patri tradiderat. Is inquam, ut cuncta replicem, religionis ſpeciẽ in monaſterio geſtans, poſt nõ longum tempus conuerſationis eius, arrogantia mentis elatus, poſtulat ut gentium eſſe prædicator permitteretur: quem uir ſanctus diu obiurgãs increpat, dicens eum rudem adhuc in religione non debere ad tale opus idoneum ſe putare, præponens ei in exemplum Hieremiam, qui electione Domini prædicator deſignatus, ſe dignum eſſe denegat dicens, A a a Domine Deus, ecce puer ego ſum, & neſcio loqui: Moyſen quoq;, qui electus à Domino tardioris & impeditæ linguæ ſe eſſe teſtatur. His & huiuſmodi diſſuaſionibus cum nihil proficeret, quẽ tenere non ualet, ire permittit: qui cum in regionem Baioariorum ueniſſet, nullum fructum exercens ibi poſt aliquantum temporis ad Aquilegiam tranſit. Aquilegienſes etenim diſcordabant à communione ſedis Apoſtolicæ, de qua Dominus in Euangelio ad beatum Petrum loquitur dicens, Tu es Petrus, & ſuper hanc petram ædificabo eccleſiam meam, & portæ inferi non præualebunt aduerſus eam, ob trium uidelicet capitulorum diſſenſionem, quæ præſenti operi neceſſariũ nõ duximus inſerere. Itaq; ueniens Aquileiã ſocius ſtatim ſchiſmatis effectus, Romanæ ſedis à communione ſeiunctus ac diuiſus eſt, totius orbis communionem quicunque Romanæ ſedi iungeretur damnans, in ſola Aquileia Orthodoxam fidem retineri decertãs: quo ſchiſmate imbutus, epiſtolam uenenoſam & increpationibus plenam ad beatum Attalã Bobienſis cœnobij patrem, per Aureum Adaluuardi regis Longobardorũ notarium dirigit. Quam epiſtolam beatus Attala perlectam, & ridiculo habitam, mihi tradidit ſeruãdam: quã ego etiam per multorum ſpacia annorum abditam penes me habui, & poſtea mea negligentia perdidi: nec alius utique quilibet eam, ſed ipſe proprio ſtilo ſcripſit. Directa itaq; ad beatũ Attalam epiſtola, ipſe ad Luxouium properat, Euſtaſium ſchiſmatis aculeis tentat, ſi ſanã mẽtem ſua ueſania corrumpere queat: uenerãdus autem uir Euſtaſius, paternis effaminibus errãtẽ increpat, ut reſipiſcat, hortatur & obſecrat. Cumq; ſalutaribus monitis & ſalubri antidoto mentem peſte corruptam curare nequiuiſſet, à ſuo ſuorumq; collegio ſegregatũ abire coegit. Fugatus igitur ab Euſtaſio miſerabilis Agreſtinus, huc illucq; diuertit, ut aliquos ſui erroris fautores facere poſſet: ſed cum nihil eius imperitia longo tempore peragere quiuiſſet, tandẽ aduerſus regulam beati Columbani liuido dẽte garrire cœpit, ac uelut cœnoſa ſus grunniẽs, per quoſcunq; potuit parilitatis ſuæ ſimiles abominabile murmur excitauit, annuẽte ſibi Appilino Genuenſis urbis epiſcopo, qui ei conſanguinitate proximus erat. Hic deniq; Appellinus uicinos epiſcopos ſingulatim ſibi iungere in auxilium Agreſtini niſus eſt omni ſtudio, ita ut regem Lothariũ tentaret, ſi ſuæ partis aſſentator fieri uoluiſſet. At ille ſciens, & experimẽto cognitam habens beati Columbani ſanctitatem, & diſcipulorum eius doctrinam, poſtquã diu redarguere tentauit grunnientis hæretici ſectam, nec præualere potuit aduerſus eam, ſtatuit ut ſynodali examinatione probaretur, non ambigens de auctoritate uenerabilis uiri Euſtaſij, quin omnes aduerſantes ſanctę regulę ſua prudentia ſuperaret. Tunc emanante regali auctoritate, multi iam Burgundiæ epiſcopi in ſuburbio Mataſconenſis urbis conueniunt, inter quos maximus hæreticorum Vuarnacharius quidã, dum & ipſe fieri uellet aſſentator Agreſtianæ partis, ipſo die quando aduerſus Euſtaſium altercatio futura erat, morte pręuentus interijt: ſed nec eo terrore turbati cæteri confautores aduerſę partis, qui conuenerant, deductũ in medium Agreſtinũ depromere cogunt, quid contra regulam Columbani uel Euſtaſij obijciẽdum haberet. Tum ille trementibus labijs aſsiſtẽs, & nihil auctoritatis uel elucubrati eloquij habens, ait ſuperflua quædam, & canonicæ inſtitutioni contraria in eorum ſtudijs teneri, cochleam uidelicet, quam lamberẽt, crucis ſigno crebrò ſignari, & in ingreſſu cuiuslibet domus intra cœnobium, tam introeuntem, quàm egredientem benedictionem poſtulare: Columbanum etiam à cæterorum eccleſiaſticorum more deſciſcere, & ſacra miſſarum ſolennia multiplicatione orationum uel collectarum celebrare. Auditis huiuſmodi obiectionibus beatus Euſtaſius conuerſus ad ſuæ partis epiſcopos, dixit, Vos ò decus ſacerdotij probare debetis, qui in eccleſijs ueritatis ac iuſtitiæ ſeminarium diſtribuant, & qui ueritati ac religione aliena tradãt. Quicquid enim à norma ueri tramitis diſſentit, extra eccleſiæ corpus ſegregari debet: ueſtrũ eſt diſcernere obiecta, an ſint à ſcripturarũ ſerie aliena. Agreſtinus ait, Tuo ore nobis edicito: noſſe enim à te uolumus, quod dignũ ſuper hoc reſponſum reddas. Sanctus Euſtaſius reſpondit, Nequaquam, ait, reor contrariũ eſſe religioni, ſi cochlea, quam Chriſtianus lambit, uel quodcunq; uas aut poculũ crucis ſigno muniri, cum per aduentũ ſigni Dominici pellatur

peſtis aduerſantis inimici. Introeuntẽ uerò monachum cellulam, uel exeuntem benedictione Domini armari, ratũ duco, iuxta pſalmiſtæ uocem, Dominus cuſtodit te ab omni malo, cuſtodiat animam tuam Dominus: Dominus cuſtodiat introitũ tuum & exitum tuum, ex hoc nũc & uſq; in ſeculũ. Licet enim hoc ad unumquẽq; Chriſtianum referatur, ut gratia baptiſmi per fidem in eccleſia ſeruetur, in eo uidelicet, qui ad eam ingreditur, & uſq; ad finem perſeuerantiæ uigore firmetur: de quotidiano tamen motu ſiue ingreſſu uel egreſſu ſeu progreſſu unumquẽque noſtrũ ſignio crucis armari, uel benedictione ſodalium fas duco robari: multiplicationem uerò orationum in ſacris officijs credo omnibus proficere eccleſijs, quia dũ plus Dominus quęritur, plus inuenitur: & cum uberius oratione pulſatur, eo citius exaudire probatur. Nihil enim amplius deſiderare debemus, quàm orationi incumbere, ſicut Dominus ſub Apoſtolorũ numero hortatur, Vigilate & orate, ne intretis in tentationem. Sic & Apoſtolus nos ſine intermiſsione iubet orare, ſic omnis ſcriptura ſacra hortatur nos ad Dominũ ſine ceſſatione clamare. Nihil equidem tam utile, tamq; ſalutare, quàm creatorem multiplicatione precum, & aſsiduitate orationum pulſare. His & horum ſimilibus reſponſis cõfuſus Agreſtinus, addit garrulitatis noxam, calumniatur capitis comam ineptè pręcidi, & ab omnium hominum more deſciſci. Euſtaſius autem, ut erat uirtute patientiæ & ſciẽtiæ comptus, in præſentia ait, Omnium horum qui pręſto ſunt, ſacerdotũ, ego eius diſcipulus & ſucceſſor, cuius tu diſciplinam & inſtituta damnas, te ad diuinum iudicium cum eo intra præſentis anni circulum cauſaturum inuito, ut iuſti iudicis examine ſentias, cuius famulum tuis detractionibus maculare procures. His dictis metus quoſdam ebrũ, qui Agreſtianæ partis fautores erant, perculit, hortanturq; omnes, ut pacis nexu corda iungerent: & ut iſte temeritatis audaciam tolleret, & ille paterno affectu labentem pijs correptionibus foueret. Ad hęc Euſtaſius, Veſtris, inquit, libens ſatisfacerem precibus, ſi miſera mens duriciam uæcordiæ molliret, & correctis cauterio morbis, uel antidoto uiſceribus defectis, redux ad ſalutifera monita remeare nitatur. Cogentibus ergo cunctis Agreſtinus ſimulatam pacem poſtulat, quod poſtea actibus deprompſit: Euſtaſius uerò mitis animi ſuaſione flexus, poſcentium pacem tribuit, & pacis oſculum illi porrexit. Vix ad interuallum breuis ſpacij manifeſtam uæſaniam ſuam Agreſtinus uerecundiæ metu repellens, cœpit iterum monaſteria tentare, & ſub ſpecie diſcipuli preciũ proditionis taxare. ad quendam namq; uirum uenerabilem Romaricum nomine, uenit, qui primis nobilitatibus fuerat apud Theodebertum habitus, poſtq; per exemplum Columbani, ac per Euſtaſij prædicationem monitus ad Luxouium ueniens, monachicæ inſtitutioni ſe ſubdidit: quo diu ſub regulari tenore uitã agente, poſtea Euſtaſio annuente puellarum monaſterium in ſuo proprio inſeruit, & regulã Columbani illis cuſtodiendam indidit. Cumq; iam multa religione polleret, ad eum Agreſtinus pergit, ſeſeq; ſubditum atq; obedientẽ ſimulat: ſimulq; Amatum, quem ibi Euſtaſius ob imbuendam regulam præfecerat, mollibus ſuggillationibus tentat. Nam quibuſdam ſacrę religionis regulis ab eis neglectis, tam Amatus quàm Romaricus ab Euſtaſio obiurgati fuerant. Læſos ergo eos ut præſenſit Agreſtinus, exaſperatas mentes ſuis aſſertionibus iungere uolẽs, ſtimulauit uenenata uerba ſanas mentes recipere, & in contemptum regulæ Columbani, propriam uæſaniam propagare. Proh dolor, exitiale uas ac lethifera doctrina repletum, ſanas mentes diabolica inſania maculauit. abiectis etenim priſtinis inſtitutis, rudibus conati ſunt præfati iam uiri inſtruere plebẽ doctrinis: deinde nefandus Agreſtinus ad uenerabilem matrem Burgundoforam iter dirigit, ut etiam illam ſuis ſtimulationibus ſi ualuiſſet, macularet: quem beata uirgo Chriſti non fæmineo more, ſed uirili confudit reſponſione, dicens ad eum, Num tu confutator ueritatis & nouorum introductor argumẽtorum, ad hoc huc acceſsiſti, ut ueneno tuo dulcia mella perfunderes, & uitalia alimenta lethali amaritudine commutares? Miſer ac deteſtabilis tu detrahis illis, quorum ego uirtutes agnoui, quorum doctrinam ſalubrem recepi, ex quorum eruditione multos cœleſtia regna penetraſſe comperi: meminiſſe te uelim Iſaiæ dictum, Væ qui dicit malum bonum, & bonum malum. Feſtina ergo ab his uenenatis aſſertionibus recedere, ne te ira Dei comprehendat. Confutatus itaq; his famulæ Dei increpationibus impius Agreſtinus, rurſus ad Romaricum & ad Amatum repedat, ut cœptum opus erroris ad effectum nequitiæ perducat. Nec defuit illis ultio diuina, cum & ipſi & alij quãplures iam ad hoc aſpirarent, ut peruerſi dogmatis hæretici huius aſſentatores fierent. Lupi ſiquidẽ per intempeſtam noctem intra ſepta monaſterij irrumpentes, aliquos ex fratribus morſibus ſuis laniarũt, atq; in prædicta peſte derelictos, dirę morti miſerabiliter tradiderunt: quendam etiam Plereum nomine, qui adhuc diſcordię fomitem uehementer adminiſtrabat, dæmonum rabies peruaſit, & ignobiliter ad extrema perduxit. nam propria manu ipſe laqueo ſe ſuſpendit. Porrò cum hæc ultio nequaquam fieret correctio delinquentium, maior protinus uindicta ſecuta eſt. Subitò namque fulgur ingens è cœlo lapſum, tanto fragore percutit locum, deuaſtat monaſterium, tegumenta ſubuertit, plebẽ exurit, ut præſens correptio manifeſtè monſtraret, futuram debere fugere iram: mortuiq; ſunt ad præſens pluſquã xx. homines, auctore tamen totius criminis ad pœnitentiam reſeruato, ut ſi cognoſceret ſemetipſum, & rediret, ſanitatem proculdubio reciperet. nullũ etenim Dominus perire deſiderat, ſed ſemper, quãuis grauibus delictis obrutum, per pœnitentiæ fomenta



menta redire expectat. Cumq; ſibi ſæpius pœnitentiæ locum datum infelix Agreſtinus non cognouiſſet, ut Euſtaſij ſentẽtia ad iudiciũ eum inuocantis præualeret, ante triginta dierum circulum, quàm uertentis anni meta compleret, à ſeruo ſuo quem ipſe redemerat, ſecuri percuſſus interijt, & occaſio criminis dicebatur uxoris permixtio. Quod quamuis multi dixerint, & uera aſſerere uellent, noſtrum tamen affirmare nõ eſt. cuncta etenim iuxta Salomonem, Adducet Deus in iudicium pro omni reatu, ſiue bonum ſiue malum. Et Apoſtolus dicit, Vniuſcuiuſq; opus, quale ſit, ignis probabit. Hoc ſolum à nobis liberè dicendum eſt, iuſta eum ſententia diuini iudicij percuſſum, ut & aſſentatoribus ſuis à lacerationibus famulorum Dei fugere monſtraret, & ille contumaciam ſuam per meritam ultionem lueret. Poſt hæc Amatus & Romaricus Euſtaſij patris indulgentiam poſtulantes, ab eo recipiuntur, & in priſtinum gradum reſtituuntur. Appelinus quoq; & cæteri Galliarum epiſcopi, ad roboranda ſancti Columbani inſtituta aſpirant: quorum multi in amore eiuſdem ſancti patris noſtri feruentes, ſecundum eius regulam monaſteria conſtruunt, gregem Chriſto congregant, & religionẽ monaſticæ profeſsionis adaptant: inter quos uir illuſtris Elegius nomine, qui modò Veromandẽſis eccleſiæ pontifex præeſt, iuxta Lemouicenſem urbem, monaſterium nobile Solenniacum nomine conſtruxit, ſuper fluuium Vincennam, diſtans à ſupradicta urbe milibus quatuor: & alia multa in ijſdem locis cœnobia. Sed & in ciuitate Pariſienſi puellarum monaſteriũ, quod de regio munere ſuſceperat, ædificat: in quo Chriſti uirginem Auream præfecit. In Bethoricenſe uerò urbe, puellarum monaſteriũ ex beati Columbani regula, Berhtrada nobilis genere & religione, fœmina ſanctiſsima conſtruxit. In ſuburbano etiam Bethoricenſis urbis, uir uenerabilis Theodolfus, cognomẽto Babelenus, monaſteria ex regula Columbani, religione omni pollenti conſtruxit. Primum quoque in inſula ſuper fluuium Milinandram, ubi religioſorum uirorum adunauit cateruam: aliud Gaudiacum nomine, haud procul à fluuiolo Alberto: tertium uirginibus ac religioſis fœminis inſtitutum, in loco Caranthomo ſupra fluuium iam dictum Milinandram: itemq; aliud Chriſti uirginum, iuxta Niuernenſe oppidum ſub eadem regula conſtruxit. Beatus ergo Euſtaſius poſt has uictorias corrigere mentes delinquentium ſtudet, ac ſua pace, qui remanſerant, adunare decreuit: deinde monachorũ ſub eius obedientia in ſæpè fato cœnobio, quàm maxima creuerat turba, ut iam multa per uicina cõſtruerentur monaſteria, quæ eius ſucceſſor Vualdebertus firmauit atque ædificauit. Iamq; beatũ de hac uita exitum præſtolans omni intentione ad contemplanda myſticorum præconiorũ documenta deſudat, ac ſoli Deo mente intentiſsima preces effundere non ceſſat. Poſtquam per multorum circulum annorum in hoc opere uacauit intentio, aduenit tempus uocationis eius, daturq; ſententia iuſti iudicis, ut quod minus annorũ circuli diuerſis afflictionibus peracti purgauerunt, paucorum dierum corporis infirmitas ſanaret: interrogatuſq; inter pœnę incendia per uiſionem nocturnam, ſi quadraginta dierum ſpacio leuiori pœna curari uelit, an triginta feruentiori incendio. reſpondit ille, Melius eſſe quãuis duris, in breui ſubiacere flagellis, quàm leuibus conſumi longius pœnis. Expleuit ergo prouiſam atque electam corporis pœnã, & trigeſimo die omnibus ualedicit, eandem diem ultimam eſſe denuncians: & ſumpto uiatico animam cœlo reddidit, Chriſtoq; duce paradiſi gaudia penetrauit, cui eſt honor & gloria in ſecula ſeculorum, Amen.

SANCTI EVSTASII ABBATIS VITAE, FINIS.

# Sanϲtiſsimi uiri Bertolfi Abbatis Bobienſis coenobii, uita & tranſitus.

QVAM præclara ſint monimenta iuſtorum, ſtuduit declarare poſteris diligentia ſcriptorũ: quapropter & ea, quæ noſtris noſcũtur patrata tẽporibus, nequaquam negligentiæ ſomno torpentes prætermittere debemus: ut ſicut nobis præcedentium exempla uberius religionis ſtudia generant, ita noſtrorum temporum acta, uirtutum augmenta auſteritati pareant. Venerabilis igitur Bertolfus, Bobienſis cœnobij abbas, quis quantus'que fuerit, non eſt omittendum tradere memoriæ: ſed prius qualiter à ſeculo conuerſus ſit, memorandum. Fuit enim genere nobilis, licet gentilis, conſanguineus beati Arnolfi Metenſis urbis pontificis: qui cum præfatum Arnolfum pontificẽ ad cultum religionis poſt aliquos honores, poſt infulas pompaſq; ſeculi ad religionis ſtudia anhelare perſpexiſſet, niſus eſt & ipſe calcando terrena cœleſtia deſiderare. Poſtpoſuit ergo patrem natale'que ſolum & pompas urbis, iuxta Euangelij uocem, poſt rerum amiſsionem nudus tollendo crucem, ac ſibimetipſi abnegan-

negando ſe, ſecutus eſt Christum, iunctusq; ſupradicto pontifici Arnolſo, cum ipſo aliquantiſper commoratus eſt: deinde ad uenerabilem uirum Euſtaſium, cuius iam ſuprà uitam deſcripſimus, Luxouium perrexit, ubi diu ſubiectus ſanctæ regulæ, & monaſticæ religioni, omnibus inibi conuerſantibus gratiſsimus effectus eſt. Exin aduentante beato Attala Bobienſis cœnobij abbate, ex Auſoniæ partibus, cum uoluntate & pacis uinculo beati patris Euſtaſij, eius ſocietati ſubiectus eſt, quia erat illis cor unum & anima una: nec quicquam manebat diſcordiæ, ſi mutuò ac uiciſsim ſubiectos ſibi fratres commutarent. Abijt ergo poſt ueſtigia uenerabilis Attalæ, Auſoniæq; finibus receptus, in Bobienſi monaſterio ſub obedientia eiuſdem ſancti uiri permanſit. Cum autem conditor rerum beatum patrem Attalam ad cœleſtia regna poſt ærumnas huius ſeculi tranſtuliſſet, omnis monachorum concio, uoce ſimul & animo præfatum Bertolſum ſublimauerunt honore paterno: qui per tredecim annos omni diligenti e ſtudio plebem ſibi commiſſam ſalubribus monitis erudire non omiſit. Porrò quid in his temporibus geſſerit, memoriæ tradendum eſt. Cum iam egregijs moribus, bonitate, diſciplina, & omni uirtutum ornamento polleret, cœpit antiquus anguis quiddam contrarietatis aduerſus eum machinari. Excitauit enim quendam Procum nomine, Cleronenſis urbis pontificem: qui ut ſubiectum ſibi præfatum abbatem cum cœnobij ſupplemento faceret, omni niſu intendebat, uicinosq; pontifices, & alios quoslibet primates ad id peragendum muneribus attentabat. Super eadem quoque re adijt regem Auriouuardum Longobardū, qui eodem tempore regnabat: ſed cum nihil aliud à rege in reſponſis accepiſſet, niſi ut eccleſiaſtico iure probarent, utrum cœnobia procul ab urbibus ſita, epiſcopali debeant miniſtrare dominio. ille omnes quos potuit ſuo intentui iungit. Cumq; hæc agerentur, unus aliquis ex aula clàm præfato Bertolſo totius machinamenti cauſam per internuncium manifeſtauit. At ille ſtatim experiendi cauſa quoſdam de pueris ſuis direxit ad regem: quibus Auriouualdus inter alia reſpondit, Non eſt meum ſacerdotum cauſas diſcernere, quas ſynodalis examinatio ad purum debet iudicare: ſciſcitantur illi qui miſsi fuerant, utrum fautor eſſe uelit prædicti epiſcopi, an abbatis ſui. Ad quod rex, Nequaquam ſe, ait, illis fauere uelle, qui famulo Dei moleſtias aliquas aut iniurias uellent irrogare. Cum ergo uenerabilis Bertolſus regem quāuis barbarum, & Arrianæ ſectæ credulum, tam humanè de cauſa ſua locutum fuiſſe cognouiſſet, poſcit ut ſupplemento ipſius Romam ad ſedem Apoſtolicam uenire queat: quo ſtatim largis manibus impenſo, Romam iter arripiens ad Honorium papam acceſsit: cui cum rei cauſam patefeciſſet, ille de induſtria quærit, quę ſit conſuetudinis ſuæ regularis diſciplina. Cumq; cuncta alacri animo in aures præſulis digeſsiſſet, placuit beato Honorio ut regularis ſeries, religionis cultum ac humilitatis indicia teneret: at ubi hæc omnia uera relatione perdidicit, ſanctus papa quotidiano affamine uenerabilē Bertolſum roborare niſus eſt, ut cœpti itineris laborē non relinqueret, & Arrianæ peſtis perfidiam Euangelico mucrone ferire non abnueret. Erat enim uenerabilis præſul Honorius ſagax animo, uigens conſilio, doctrina clarus, dulcedine & humilitate pollens: lætabatur è gentibus ſocium reperiſſe, cum quo dulcia promeret effamina: nec prorſus delectabatur, ut citò ab eius conſortio ſegregaretur. Sed cum uehemens æſtus quieſcendi longum prohiberet ſpacium, prębuit optatum munus ſanctus papa patri memorato Bertolſo, priuilegia ſcilicet ſedis Apoſtolicæ, quatenus nullus epiſcoporum in præfato cœnobio quolibet iure dominari conaretur. Percepto ergo munere optato, ad patriā reuerſi ſumus: cumq; peracto aliquanto itineris ſpacio, Tuſcanis aruis poſtpoſitis, Apennina rura attingentes, caſtrū, cui nomen Biſmantum eſt, ueniſſemus, tanta uis febrium Bertolſum patrem oppreſsit, ut omnino morte præueniri crederetur: erat enim uigilia paſsionis beatorum apoſtolorum Petri & Pauli. Cumq; iam atra nox irrueret, ille inter ignes febrium accerſiuit me, ac curis mens dedita de nocturna uigilia inquiſiuit: ſed cum ego dicerem omnia iam bene eſſe diſpoſita, ille ait, Et tu ante ſtratum meum per totā noctis metam, quouſq; diei prorumpat crepuſculum, excuba. Cum ergo excubaſſem, quouſq; intempeſta nox irrueret, tātus ſopor oppreſsit me, ut ſurſum caput attollere non ualerē, omnesq; qui erga tentorium ſarcinas uel equos cuſtodientes excubabant, ſimili ſunt oppreſsi ſopore. Interea beatus apoſtolorum princeps Petrus aduenit, ac ſuper ſtratum ægri patris aſtans, Surge, inquit, & ſoſpes cum conuiatoribus tuis abſcede. Inquirente aūt beato patre quis eſſet, qui ſibi talia iuberet. ille reſpondit, Ego ſum Petrus, cuius hodie clara in toto orbe celebrantur ſolennia. & hæc dicens abſceſsit. At ille timore perculſus, trepido corde ſciſcitari cœpit à me, ſi audiſſem uocem, uel aſpectū alicuius uidiſſem. ad quod ego reſpondi, Minimè. Non cernis, inquit, fuluā lucē, ubi Petrus apoſtolus pergit? Tunc tandē agnoſcēs quid cauſæ geſtaret interrogatio eius, uix obtinere merui obnixis precibus, ut mihi rei panderet ueritatē. Quodam tēpore, dum expleto pſallendi officio unà cum fratribus ſecūda diei hora, de eccleſia beati Petri egrederetur, obuiū habuit hominē nomine Viatorē, dæmonis rabie plenū: quem intuens, eleuatis ad cœlū oculis, conditorē omnium poſtulauit, ut ſuis uotis clemēter adeſſet, & hominē illū de diabolica peſte liberaret. Cū igitur expleta oratione imperaſſet dęmoni ut exiret, & imaginē Dei ulterius maculare nō præſumeret, miſerabiliter diſcerpēs hominē iniqua peſtis aufugit, & eadē hora ſalus ſubſecuta eſt. Interpoſito deinde aliquāto temporum circulo, infantulus quidam uocabu

lo Do-



lo Dominicus, filius cuiuſdā nomine Vrbani, ſæua dæmonis infeſtatione oppreſſus, ad beatū uirum curandi gratia perductus eſt: quem ille protinus fuſa ad Dominum prece poſt increpationem maligni peruaſoris curauit, & ſanū ad propria abire permiſit. Quidam etiam leproſus ualida lepra perfuſus, nec prorſus ad recipiendam ſoſpitatem à medicis fiduciam gerens, ad uenerabilem uirum Bertolſum uenit, ſuisq; orationibus ut opē miſericordiæ mereretur, poſtulauit: quem ubi uir Dei fiducia plenus aſpexit, graui ultioni hominem ſubiacere ſuſpirauit, & ut ſecū quoadusq; ſoſpes redderetur, maneret imperauit. Mens ergo uirtutum conſcia cœlos penetrans, ad ſuas preces rerum conditorē excitauit, peractoq; biduano ieiunio, oleū ſuper hominē ulceribus plenum effudit. Cuius ilico membra leproſa didicere poſt uiſcerū putredinem ſanitatē puram recipere, & ad priſtinū decorem denuò reuerti: & ita ſanus æger effectus eſt, ut nec ueſtigiū lepræ in eius corpore remaneret. Sic creator omnibus ſuis famulis fauendo ſubuenit, ut ubertim uirtutum uigore roborati, calcando ſecularia, cœleſtia ſemper ſtudeant adimplere præconia. Plerunq; etiam aliorū monachorū experti ſumus flagrare uirtutes, & ideo ratum duximus, ut ex his aliqua interſeramus. Cum aliquo tempore Blidulſus presbyter à beato patre Attala ad Ticinum urbē directus fuiſſet, ibiq; perueniſſet, obuium habuit Auriouualdum regem Longobardorum, Arrianæ ſectæ credulum: is ergo cum uidiſſet Blidulſum presbyterū, ait ad ſuos, De Columbani monachis eſt iſte, qui nobis ſalutantibus apta denegant reſpondere: cumq; iam haud procul abeſſet presbyter, ſalutauit eum rex, ironicè tamē. Ad hæc Blidulſus, Salutem, inquit, optarē tuā, ſi tu ſeductoribus tuis non faueres, & alienis à ueritate Chriſti doctrinis animū non accōmodares. Iuſtum etenim eſſet, ineffabilem trinitatem una deitate confiteri, non tres poteſtates, ſed tres perſonas: nec unam trium nominū perſonam, ſed tres in ueritate patris, & filij & ſpiritus ſancti perſonas, una uoluntate, poteſtate & eſſentia. Hęc pauliſper audiens rex, cū progreſſus fuiſſet, iracundia ſuccēſus, queſtus eſt ſe nō habere miniſtros, qui obruente noctis caligine, monachum illum ita contumaciter in conſpectu ſuo locutum ſollicitarent, & fuſtibus ac ſudibus conſciſum morti traderent. Tunc unus ueſanior cæteris, ad hoc patrandum ſe reſpondit eſſe paratum. Dicit ei rex, Si uoluntati meæ ſatisfeceris in hoc, muneribus te mox illuceſcēte die craſtino ditabo. Progreſſus itaque peſsimus ille, alium ſibi ſceleris ſocium ſimilem ſibi aſſumit, & obortis tetris tenebris, uiam qua monachus à cœna cuiuſdam Chriſtiani, qui inuitauerat eum ad hoſpitium, regredi debuit, uigilanter cuſtodit. Cum ergo monachus inopinatę ueniſſet ad locum cuſtodiæ, percuſſus in cerebro, & omni compage corporis colliſus, pro mortuo cadauere relictus eſt ab ipſis ſatellitibus, nullo de populo id ſentiente. Erat enim abditus locus, ſed nec uocem dare quiuerat, anticipatus loco, & immanibus ictibus. Porrò is ad cuius domum metatus fuerat, neſciens quidem euentum rei, ſed tamen ſuſpicatus hoc ipſum quod euenerat (erat enim & ipſe presbyter) arrepto baculo uenit ad locum, reperiensq; iacētē, acſi ſomno depreſſum excitare conatus eſt. Ad cuius ille uocem uelut ab ſtratu incolumis ſurgit, nec plagarum ueſtigijs apparentibus, cū eo pariter ad hoſpitium pergit, indicans qualiter à latronibus quibuſdam comprehenſus diriſsimis plagis mactatus fuiſſet, nec tamen aliquid inde ſenſiſſet. Peractis deinde cauſis pro quibus exierat, ad monaſteriū repedauit. Poſt cuius diſceſſum protinus ille qui ſe ſpontaneū ad iniquum opus patrandum indiderat, dæmonio corripitur, & diuerſis pœnarum incendijs flagellatur, cōmiſſum facinus exitiabiliter confitetur: uniuerſus autem populus in eius cruciatibus timore perculſus clamauit & dixit, Quicunque Bobienſibus monachis malum aliquod intulerit, ſimili ultioni ſubiacebit: & qui Arrianorum perſuaſionibus acquieſcit, tales iras iuſti iudicis meritò ſuſtinebit. Videns facinus ſuum infelix Auriouualdus diuinitus manifeſtatum: confuſus inde, & metuens ne ſibi tale quid eueniat, ipſum quem uis horrida torquebat, cum conuiatoribus ad beatum Attalam dirigit, poſtulās ut commiſſum malum ignoſcat, ſpondens ſe multum eius obſequio paratum fore, ſi ſua dona dignaretur accipere. Beatus pater Attala reſpondit, ſe nunquam in perpetuū Arriani hominis dona ſuſcepturum: rogat tamen uniuerſos fratres, ut pro peſtifero, qui adductus fuerat, orationem ad Dominū fundant: quibus attentius orantibus peſtifer ille ſanitati redditur, ſed uitæ lucris nō diu potitur. Nam cum ad propria redire deſideraret, correptus igne febrium, inter pœnales incendij calamitates uita priuatus eſt: quem nequaquā iuxta aliorum ſepulchra ſepelire auſi ſunt, ſed procul ab hominibus in quodam conſpicuo loco poſuerunt, quo prætereuntes dicerent, Hic iacet ille miſer humatus, qui Bobienſibus monachis crudelitatem ſuam oſtendit. Per idem tempus alius monachus Meroueus nomine, ad Therdonam urbem à beato patre Attala directus, ad quandam uillam ſupra Yram fluuium ſitam, peruenit: ubi fanum inter arbores poſitum uidens, allatum ignem ſuppoſuit, lignorumq; cōgeriem in modum pyræ coaceruauit. Quod uidentes cultores fani, Meroueū apprehenſum, diuq; fuſtibus cæſum, & ictibus colliſum, in fluuium dimergere conantur: ſed monachum unda recipere nolebat, quanquam ille omnimodo pro tali cauſa mori paratus eſſet. Cumque cernerent non poſſe dimergi, quē Domini miſeratio cuſtodiret, proſternunt ſuper undas Meroueum, maceriamq; lapidum deſuper coaceruant, ut immane pondus corpus eius ſubmitteret undis, relictoq;, ut ipſi rebantur, cadauere ad metatus reuertūtur. Quibus abeūtibus, Meroueus nihil mali ſentiēs, incolumis à fluuio ſurgit

git

git: ac diſruptis nexibus Therdonam ingreditur, & peracto negocio ſuo ad monaſterium repedat: continuò diuina ultione proſequente, omnes qui ad opus illud patrandum crudeles ſe exhibuerant, diuerſis pœnis afflicti ſunt. Alios namq; cæcitas, alios ignis urit: alios contractio publica, alios omnium membrorum debilitas inuadit, diuerſiq; diuerſa percepere tormenta: quorum tamen aliqui ad Bobienſe cœnobium ſe deduci rogauerunt, & poſtulata iam uenia, per pœnitentiæ medicamenta illatas pœnas euaſerunt, reliqui omnes in eadem ultione mortui ſunt. Aliorum uerò monachorum in ſupradicto cœnobio felicem uitam & feliciorem exitum uidimus, qui de hac luce exeuntes diuerſa ſuperſtitibus exempla reliquerunt: ex quibus aliqua ponenda ſunt, ut uiuentibus, eorumq; uitam imitari uolētibus, adhortatio creſcat. Quidam monachus Agibodus nomine, qui ſub beato patre Attala molendinum monaſterij gubernauit, in extremis anxietatibus poſitus, horam ſui exitus expectabat: cumq; iam fratrum caterua aſtaret, quæ exeunti de mundo animæ ſupremos impenderet honores, atq; ex more ad pſallendi officium ſe præpararent, elapſa illa de corpore, uidit æternam lucem ſibi præparatam, ſolemq; rutilo fulgore micantem. Tunc unus ex cœlicolis ad eum acceſsit, ſciſcitatusq; quid attonitus intueretur: reſponſum accepit ab eo, ſolis ſe fulgorem uidere micantem, & talem eius eſſe ſplendorem, cui nunquam uiderit parē. Ille ait, Noueris te hac die ad nos uenturum eſſe, & huius fore lucis habitatorem, ſeptiesq; ſuper hunc ſolem noueris animas iuſtorum choris inſertas ſplendere. Reuerſus ergo ualedic fratrū tuorū cœtui, & ſic deinceps redies ad nos. His dictis frater ille redijt ad ſuperos, & ultimū uale omnibus fecit: quē dum unus ex aſtantibus interrogaret, ubi tamdiu ancipiti exitu moratus eſſet, exponit quid uiderit, & quanta ſibi claritas promiſſa eſſet, edicens, quod eadem hora iturus eſſet denunciat, uiaticum tantum capere, & ualedicere fratribus regreſſus. Sumens itaq; ſacrum Domini corpus, dato pacis oſculo omnibus, poſtulat ut charitatis officium deferant corpori, animam attentius commendantes creatori. Tunc à ſeculo migrans ad promiſſæ ſibi claritatis ſplendorē euolauit, relinquens poſteris exemplum beatæ conuerſationis, ut qui eius coronam ante exitum promiſſam cognouiſſent, puritatis nihilominus eius, & religionis in omnibus imitatores exiſterent. Is etenim fuerat à pueritia ſub regularis diſciplinæ norma eruditus, ſub beato Columbano à ſeculo cōuerſus, ſimplex & omni bonitate inter fratres habitus: obediētia & religione pollens, malitia omnino iuxta Euangelium paruulus exiſtens. Et quid aliud fuerat, quod clemētiſsimus rerum creator exeunti de mundo uoluit monſtrare, qualis futurus eſſet, niſi quòd hi qui ſimili ſimplicitate uiuunt, & obedientiæ ac mortificationi uoluntariè ſe ſubijciunt, ſimilem remunerationem expectent, & æterni luminis claritate potiantur? Alium ſimilem obedientia, pietate ac manſuetudine fratrem, Theoaldum nomine, uidimus feliciter de pręſenti uita ſegregari, & cum omni lætitia atq; exultatione ad æterna gaudia properare. Nam cum lætus ſuo iaceret in ſtratu, rogabat ut omnes ad ſe uenirent fratres, omnibusq; ualedicit, iudicans ſe eadem hora egreſſurum: ſed qualiter ſuum uideret exitum, nobis nequaquā uoluit manifeſtare. Cūq; ualedixiſſet omnibus, uiaticum popoſcit: quo ſumpto, antiphonam ipſe impoſuit dicens, Ibūt ſancti de uirtute in uirtutem, uidebitur Deus deorum in Syon. Impleta autē antiphonæ melodia, lætus & omni amœnitate repletus, animam datori reddidit: ut nobis qui aſtabamus, apertè daretur intelligi, eum de diuina gloria, & promiſsi præmij lætitia fuiſſe repletum. Monachus quidam ſub abbate Bertolfo, nomine Baudacharius, cum tempore uindemiæ ordinatus eſſet ut uineam cuſtodiret, ne auium beſtiarumq; incurſus damnum inferret, euenit ut triginta fratres ad eandem uineam deuenirent: at ille charitate plenus, poſtulat ut ibi poſt laborem feſſa membra reficiant: nec tamen aliud quicquam ad manus habebat, niſi modicum panis, quem ad uſus ſuos detulerat: quem cū præpoſitus increparet, cur refectionem his quibus nihil dare habuerat, præbuiſſet, ille reſpondit, Largæ dapes mecum ſunt, è quibus multo plures ſatiari poſſunt. Inquirente uerò præpoſito, quæ eſſent illæ dapes, alitem, inquit, ſibi datam à domino, quam à nando Anatem uulgò uocāt. Præpoſitus dixit, Fac ſicut dixiſti. Ille ergo frater, qui charitatem amabat, & charitatem cum fratribus facere uolebat, diuiſit cibos quos habebat per triginta, & fiduciam habens in Domino, deſiderabat omnes ſaturari de modico cibo. Quod & ita plenariè cooperāte gratia Dei perfecit, ut dicerent omnes, nullo ſe tempore uitæ ſuæ tanta ſaturitate fuiſſe repletos. Auxit enim fides, quod in ſe non habuerant dapes. Alius item monachus Leobardus nomine, cū ad uineam cuſtodiendam aliquando deputatus fuiſſet, inuenit uulpeculam uuas uorātem: quam ſtatim comminando corripuit, ac ne amplius attingeret, imperando prohibuit. Cumq; ille abijſſet, ad ſolitum furtum fera regreſſa eſt: ſed cum guſtaſſet prohibitum, in ore cibo hærente, fera expirauit, moxq; Leobardus de ſtudio uineam circuiens, reperit uulpem mortuā, prohibitos cibos in ore tenentem. Alia uice Leobardus idem cum Meroueo, cuius ſuperius fecimus mentionem, ſepta uineæ ex abbatis imperio defenſabant, atq; muniebant: euenit autem ut ſecuri arborem ſuccidarent, & de ramorum congerie ſepta denſarent: cumq; iam columnam ramis ſpoliaſſent, conſilij fuit ut terræ proſtrati dominum poſtularent, ut ipſe augeret fortitudinem, quatenus ipſam columnam arboris integram ad ſepem uehere potuiſſent. Surgentes igitur ab oratione, cum inuocatione nominis Chriſti arborem arripiunt, & quamuix multi trahere quiuerant, duo homines ar-

mati



mati fide leui motu portabant. Hanc ipſam arborem multi poſtea fratres ſimul poſiti mouere tentabant, & cum minimè leuare ualerent, tum demum uirtutem omnipotentis Dei circa famulos ſuos operantis agnoſcebant. Sed fortaſſe nos aliquis reprehendendo, noſq; rodendo, quòd talia ſcripſerimus de fratribus noſtris, dijudicat atq; condemnat: nos tamen obtrectātium linguas non attendentes, quæ ad diuinam gloriam pertinēt, ſilentio tegere nequiuimus. Illi dijudicent, utrum hæc conditoris dona ſint, aut non ſint recipienda: & cum didicerint talia non poſſe niſi à Deo fieri, laudes & condignas gratiarum actiones referant ipſi, qui ſemper & ubiq; mirabilis eſt in electis ſuis: Ieſus Chriſtus Dominus noſter, cui eſt cum Deo patre & ſpiritu ſancto, honor & gloria, in ſecula ſeculorum, Amen.

SANCTI BERTOLFI VITAE FINIS.

# Sancti Arnolfi epiſcopi uita.

BEATVS Arnolfus epiſcopus, proſapia gentis Francorum, altus ſatis & nobilis parentibus, atque opulentiſsimus in rebus ſeculi fuit: ſed nobilior deinceps & ſublimior fide fuit. Huius itaque laudabilia facta quæ geſsit, nonnulla ego familiaribus illius narrantibus, pleraq; per memetipſum agnoſcēs, operæprecium reor, ut iam ab ortu natiuitatis eius, locutionis meę ſumā exordium. Erat igitur quidam peregrinus ſeruus Dei, nomine Stephanus, qui à partibus Italiæ ueniēs, habitauit in loco contiguo parentibus huius beati uiri. Cumq; reuelata fuiſſet per ſpiritum eidem peregrino natiuitas pueri, ſilentio pauliſper interpoſito, præſaga tandem uoce ſic exorſus eſt: Scitote omnes, quomodo puer iſte qui natus eſt ſummis honoribus exaltandus, magnus erit apud Dominū & homines: quod ita rei probauit euentus. Laudabilis enim indolis puer, gratia Dei præuentus, cum literarū ſtudijs imbuendus traditus fuiſſet, cæteris contubernalibus ſuis ſagaci ingenio, & capaci memoria pręcellebat, ac de die in diem per gradus uirtutum aſcendendo proficiebat. Cum autē iam bene edoctus ad perfectam ueniſſet ætatem, Gundolfo ſubregulo conſiliario uidelicet regis, exercitandus in uirtuoſis actibus commendatur: quem ille per multa experimenta probatum, Theodeberti regis miniſterio dignum adaptauit: in cuius ſeruitio commorans, quanta potentia belligerando præceſſerit omnes, quis enarrare ſufficiat, præſertim cum ſępe phalanges aduerſariorū ſuo uiriliter abegiſſet mucrone? Quapropter effectus eſt in breui omnium primus, ita ut ſex prouinciæ, quas extūc & nunc totidem agunt officiales, ſub ſolius eius arbitrio regerentur. Interea cum ſtrenuus miles iſte, quæ Dei ſunt, redderet Deo ſedulò: ſcilicet in oratione, in ieiunijs, in eleemoſynis, & quæ Cæſaris ſunt Cæſari, fortis ſcilicet in bello, prouidus in conſilio, cogentibus amicis atque parentibus, à nobiliſsima gente puellam quandam præclaris moribus ornatam, duxit uxorem. Quo in facto ſpeciale quoddam munus gratiæ ſuæ, eidem uiro Dominus indulſit, ut ex eadem uidelicet egregia fœmina duorum filiorum gaudia ſuſcipere mereretur: qui quaſi duarum gemmarum ſplendidū decus, in mundo poſtmodum clareſcere cœperunt. Temporibus illis erat in miniſterio regis, uir egregius, nomine Romaricus, familiari affectu beato Arnolfo copulatus. Hic cum ex aſsiduitate ſecum commanendi, deſiderium beati uiri, quo circa monaſteria uel loca ſancta iugis illi meditatio fuit, agnouiſſet, habito inter ſe conſilio, diſponunt ſecundum Euangelij præceptum, relinquere omnia ſua, & peregrinari pro Chriſti amore: ſed uoluntas Domini obſtitit in hac cauſa propoſito utriuſque. Nec enim fas cenſuit fore prouidētia Chriſti, ut hi duo uiri, qui quādoque ueluti duæ lampades fulgerent in ſeculo, ſub unius modij occultarentur articulo: ſed potius ſuper candelabrum poſiti, lucerent omnibus operatione ſua fideli. In illis ſiquidē diebus accidit, ut ciuitas Metenſis uiduata ſuo paſtore, una uoce pariq; conſenſu Arnolfum domeſticum atque conſiliarium regis, peterent ſibi ordinari epiſcopum. Qui licet lachrymans ac multum renitens, compulſus tandem, quia ſic placitum fuit Deo, præſatam urbem gubernandam ſuſcepit. Nec tamen primatum, quem in palatio gerebat, deſerere permiſſus eſt. Sublimatus igitur epiſcopali dignitate, tanta tāq; perfecta munificentia indigentiam pauperum releuabat, ut etiam de longinquis regionibus fama beati uiri audita, innumerabilis uirorum ac mulierum caterua ad eum refocillanda feſtinaret. Porrò normam abſtinentiæ eius quis enarrare ualeat, cum interdùm poſt triduana, uel etiam amplius protracta ieiunia, pane hordeaceo ſeu lymphæ poculo uictitaret? Indutus quoque iugiter infra tunicam ſuam occulto cilicio, geminum ingerebat cruciatum membris uigilijs atque ieiunijs uehementer exeſis. Inter has aſsiduas corporis afflictiones, quibus ob amorem cœleſtis patriæ, beatus Arnolfus ſemet ſpontanea uoluntate caſtigabat, multas per eū Dominus dignatus eſt uirtutum operationes demonſtrare, de quibus hic aliquas aggrediar enarrare. Cum in cōtiguis partibus Voſagi, in prædijs ſcilicet ſancti Stephani patroni Metenſis loci, uir Domini moraretur, & mulier quædam, nomine Becila, à dæmonio correpta, grauiter ante conſpectū eius uexaretur, ut erat omni pietate ſuffultus, cum altis ſuſpirijs dixit,

Heu

Heu miſerum humanum genus, in quô tantum præualuit inimicus, ut domiciliū ipſius exiſtat, quod potius Chriſtus inhabitare debuerat. Et hæc dicens, dedit ſe cum lachrymis in orationē: qua finita, fugato dæmonio, ſanam ilicò reddit mulierem. Eo tempore quatriduanum ieiunium uniuerſalis celebrare conſueuit eccleſia, uir ſanctus extra ciuitatem cum crucibus atq; promiſcua populi multitudine, orandi gratia ſecundum morem urbis proceſsit: & ecce mulier ex medijs cateruis uoces emiſit in cœlum. Quod audiens uir Domini, cum cognouiſſet eam arreptam à dæmonio, oppoſito crucis uexillo, liberauit eam ab hoſte maligno. Alio quoque tempore cum infra urbem orationis cauſa ad baſilicā ſanctæ Crucis acceſsiſſet, ibiq; puellam nequiter debacchantem reperiſſet, miſericordia motus, archidiacono ſuo ait, Hac nocte frater pro iſta paupercula uigilias agamus, ut ſi per gratiam Dei ſanata fuerit, craſtina die læti domum redeamus: & ita factum eſt. Temporibus Dagoberti regis, cum in palatio eius maneret beatus Arnolfus, leproſus quidam clamauit ad eum, depoſcens uictum ſiue ueſtitum: at ille ſtatim iuſsit eum ad hoſpitium ſuum duci. Vbi cum erga languidum ſecundum morem ſuū paternam exhiberet pietatē, ſciſcitatus eſt ab eo, ſi ſacra unda baptiſmatis ablutus eſſet. Nequaquam ait domine mi: nam infelici mihi abiecto à populo, quis hāc gratiam tribueret? Sanctus epiſcopus dixit, Modò dilecte frater crede in Dominum Ieſum Chriſtum, & continuò recipies corporis animæq; medelam. Accepto igitur leproſus à beato uiro baptiſmi ſacramento, liberatus eſt ab omni corporis incōmodo: atq; de reliquo factus eſt in utraq; ſubſtantia ſanus, ꝗ prius fuerat peccator & maculoſus. Poſthæc cū ad partes Thuringorū in comitatu pręfati regis ſanctus epiſcopus ueniſſet, accidit ut quidā procerum nomine Nutilo, puerum ſuum, quē ſatis diligebat, iam extremum ſpiritum trahentem, magno eiulatu defleret. Cuius doloribus compatiens beatus Arnolfus, cum ille deſperatus de ſalute dilecti pueri, nihil aliud intenderet, niſi ut amputato capite eius, more gentiliū cadauer ignibus comburendum traderetur: acceſsit ad lectulum languentis, & facta oratione, his eum alloquitur uerbis, Pœnitere fili ſi quid male geſsiſti, & reſtitueris ilicò priſtinæ ſanitati. Quid plura? Promens ille potius ſingultibus, quàm uerbis confeſsionem cuiuslibet ſuæ tranſgreſsionis, perunctus eſt oleo benedicto, per manus ſacerdotis Chriſti, atq; eadē hora ita conualuit, ac ſi nullam prorſus infirmitatem iampridem paſſus fuiſſet. Quidam homo ſceleſtus nomine Notto, auſus eſt irrogare cum complicibus ſuis epiſcopo ſancto iniuriam, aſſerens ſcilicet eum non eſſe cultorem Dei, ſed potius hominem deditum uoluptati: ad cuius lectum nocturnis horis, non ſolum rex, uerum etiam regina, tanquam conſilium flagitantes interdum properarent. Cum ergo uir ille die quadam aluo referto uino unà cum detrahente ſocio ſuo ſtrata petiſſet, iubente Domino, omnia ueſtimenta illorum uallantur undiq; flamma. Quibus ilicò cum ingenti clamore proſilientibus, & aquam circa nates ac genitalia loca, ubi camiſiæ illorum acerrimè cremabātur inijcientibus, nec omnino flammam diuinitus miſſam extinguere ualentibus, tandem ad inſtar porcorum luto uolutabri ſeſe pariter inuoluunt: & ibi diu uociferantes, uix ad ultimum pœnam, quam meritò patiebantur, euaſerunt. In quibus profectò impletum eſt hoc, quod ſcriptum eſt in Pſalmo, Detrahentem ſecreto proximo ſuo hunc perſequar: in tantū ut & illud diuina cenſura factum eſſe non ambigamus, quod detractores iſti uehementiſsimè cremabantur in partibus illis, ubi libido de qua calumniabantur uirum iuſtum, regnare nō dubitatur. Nec multo pòſt auctor huius detractionis, præfatus uidelicet Notto, in huiuſmodi criminibus diffamatus apud regem, ut ſcelera eius unà cum uita regalis gladius amputaret. Necnon & filius eius eidem ſententiæ ſubiaceret. Per idem tempus cū beatus Arnolfus iam penè omnes theſauros eccleſiæ in uſus pauperum erogaſſet, ſupererat adhuc diſcus argenteus, habens libras lxxij. Hunc quidam Hugo primas procerū dato precio comparauit, ſed omnipotens Deus non paſſus eſt, ut laicus illo frueretur, qui in honore beati Stephani protomartyris iam olim conſecratus habebatur. Prædicto ſiquidē Hugone præpeti morte proſtrato, diſcus ille Lothario regi allatus eſt: qui cum referentibus quibuſdam cōperiſſet, hunc à beato Arnolfo ob alimoniā pauperum uenundatum fuiſſe, mox tanquam cœlitus inſpiratus, iubet eum uelociter ſuperpoſitis centum aureis, ad Metenſem ciuitatem ſancto pontifici deferri. Cum igitur quàmplures uirtutes per beatum uirum crebreſcere cœpiſſent, ſoli Deo uacare uolens, remotiora quædā loca iuxta Voſagium expetijt: & ibi retruſus in cellula quadam, diebus ac noctibus cœlum ſanctiſsimis precibus pulſauit. Sollicitari uerò cœpit interea, ne plebs ſibi à Domino credita, eo remoto de æternæ uitæ pabulo aliquid iam minus acciperent: mittensq; per internuncios epiſtolas ad regem, rogabat intentiſsimè, ut alium loco ſuo ſubrogare uellet pontificem, qui prędicationis uerbo dignius ſe erudiret Chriſti plebem. Qua legatione accepta, Lotharius nō modicis repletur angoribus: & queritans ſe ab omni conſilio deſtitutum, ſi beatus Arnolfus à frequentia palatij remotus fuiſſet, reſcribit ei ſic inter cætera: Hoc quod per epiſtolam ueſtram domine pater rogare uoluiſtis, ut in loco ueſtro alter ſubſtituatur epiſcopus, nullatenus noſtra præſumptio facere præſumit: ſed potius omni deuotione rogamus, ut ſi in bonorum operum exercitio uitam alicubi ducere deliberatis, apud populum uobis commiſſum, ſicut cœpiſtis conuerſando, exemplum ei ſitis promerendæ ſalutis. Nec mirum, quòd tanta dilectione Lotharius rex beatum uirum amplexatus ſit, cui & filium ſuum Dagobertū in principatu ſub-





limatum, quaſi propriam ſobolem erudiendum commiſit: & ipſe quamdiu uixit, per eius conſilium & prouidentiam quæq; regni negocia diſponere ſatis utile duxit. Defuncto itaq; Lothario rege, cū adhuc beatus Arnolfus epiſcopus eodem deſiderio quo prius, conuerſandi uidelicet in eremo flagraret, & iterum atq; iterum à Dagoberto principe, quem ipſe diligētiſsimè nutrierat, licentiam huius rei poſtularet, inſtinctu diaboli commotus aduerſus eum rex, cum ei die quadam nimis importunus in petendo fuiſſet, arrepto mucrone uoluit eum ſauciatum à ſe remouere. Tunc ille paruipendēs iram morituri regis, conſtanter dixit, Quid agis miſer? Mala pro bonis mihi rependere uis? Nunc autem, quandoquidē ita placet, ſęuias in me quantum uelis: ego pro illius amore mori non dubito, qui mihi uitam dedit, & pro me mortuus eſt. Hæc eo dicente, cum unus aſtātium procerum blandis uerbis redargueret temeritatem regis, ſedatus eſt furor ipſius, & mediante gratia Dei, caruit effectu ſceleratus affectus. Interea ſuperueniēte regina, ut audiuit commotionem, quæ contra uirum Dei ſine cauſa incanduerat, proſtrauit ſe unà cū rege pedibus eius: & ut ſui miſereatur remittendo illatam iniuriam, cum lachrymis poſtulauere dicentes, Perge domine ad eremum, ſicut deſideras: tantum te placatū habeamus, quem iniuſtè offendimus. Data igitur illis uenia, cum egrederetur à palatio beatus Arnolfus epiſcopus, ecce pro foribus claudorum, cæcorum & uniuerſorum pauperum aſtans multitudo eleuatis uocibus clamabant ad eum dicentes, O ſancte paſtor, cur nos miſeros derelinquis? Quis miſerebitur noſtri, uel quis tribuet nobis uictum aut ueſtitum? His & huiuſmodi lachrymoſis uocibus, reſpondit eis pius pater, & ipſe flendo dicens, Nolite contriſtari filioli: dabit enim uobis Deus paſtorē, qui uos paſcat in miſeratione & miſericordia. Eſtote pacati inuicem, benigni, miſericordes, ut dū in hac præſenti uita paupertate & miſeria anguſtiemini, in futura uita felices cum Chriſto regnare mereamini. & his dictis ſtatim ad orationum pergit certamina. Poſt hęc pauco euoluto tēpore, ſanctus Goericus, cognomento Appo, huius ſucceſſor eligitur, uitæ ſanctitate admirabilis, & omnibus ſibi commiſsis amabilis. Quo audito, uir egregius Romaricus, ſcilicet beatū Arnolfum ſolitariam uitam elegiſſe, à partibus Voſagi egreſſus, pergit ad eum, atq; ex cōueniētia utriuſq; infra uaſtæ eremi ſolitudinem, aptū ſibi idem præparat locum. Sed antequam urbē exirent, ut ad eremum pergerent, quid miraculi per beatum Arnolfum in eadem urbe ſit geſtum, ſilere non debeo. Caſu nanq; cōtigit, ut in una nocte iam promptuarium regis ignis uorans uexaret, atq; eructans flamma domum circumquaq; minaciter lamberet. Repentè exurgens omnis ciuitas, cum ſui uideret exitium, in eiulatum atq; clamorem conuerſa eſt. Quo audito, præpeti greſſu ad uiri Dei domum peruenimus, & eum ſicut illi iugiter moris erat, pſalmodiæ uacantem reperimus. Statim apprehenſa manu illius, ait Romaricus, Egredere domine, ecce adſunt pro foribus equi noſtri: egredere inquam, ne quod abſit, te in hac urbe ignis iſte abſumat. Ad hæc ille, Nequaquam inquit dilectiſsime: ſed ducite me illò, & ponite prope ignem, ut uideamus hoc impium quod graſſatur incendium: & ſi ita uult Deus, ut ardeam, ecce in manu eius ſum. Nos itaq; tenentes manus illius, ad larem ardentem peruenimus: & iubente illo, ſtatim in orationem proſtrati, capitulo dicto omnes exurgimus. Tum ille eleuans manum, ſignum crucis contra flammas oppoſuit, moxq; mirum in modum tanquā cælitus percuſſus, nil alibi nocens, infra parietes totus retorſus ignis interijt. Quod nos uidentes gratias Deo egimus, & dictis matutinis ad lectulos noſtros remeauimus. Eadem hora uni è fratribus talis apparuit uiſio: intuens in cœlum, uidit tanquam flammam ignis depictū ſignaculum crucis, & uox facta eſt de cœlo dicens: Cernis hoc ſignum? Hac nocte Arnolfus epiſcopus per ipſum totam ciuitatem iſtam ab incendio liberauit. Mirātibus autem nobis omnibus uirtutē, quam uidimus de igne ſuperius ab eo extincto, frater ille hanc uiſionem narrauit, omnesq; nos in maiorē admirationem adduxit. His ita geſtis, beatus Arnolfus relictis cūctis ſeculi rebus, & facultatibus ſuis pauperibus erogatis, iam fidus & ſecurus de theſauro in cœlo recondito, pauper quidē propter Chriſtum in ſeculo effectus: ſed iam diues de uirtute Dei, ueluti nouus Helias ad eremum properat, & inter beſtias & feras quotidiana meditatione laudes Deo perſonat, aſcitis ſecum aliquātis monachis, quibus proprijs manibus fideliſſimam ſeruitutem iugiter impendebat, calciamenta à pedibus detrahens atq; detergens, capita & pedes illorum crebrius abluens, nec nō & lectos ipſorum ſingulis diebus ſtudioſiſsimè componens: coquinæ etiam ſeruitium non abhorrens, cocus ipſe ſæpè eſuriens, ſuos contubernales paſcebat. Sed & lectum ſtratus ipſius, uilem quidem in oculis hominum, ſed pulcherrimum in obtutibus angelorū, ſpretis mollibus & precioſis ueſtibus, cilicio exornabat. In his igitur atq; cæteris innumerabilibus bonis, dum angelicam duceret uitam, iamq; Deus omnipotens athletam ſuum ad deſtinatum brauium uellet uocare, aſtāte ſibi religioſo uiro Romarico, familiari ſuo cum cæteris monachis, & glorioſum eius tranſitum de hoc ſeculo præſtolantibus, electus Dei pontifex his eos alloquitur uerbis: Amabiles domini, obſecrate Chriſtū pro me. Iam enim adeſt dies, in quo iudici meo præſentandus apparebo. Quid faciam? Nihil boni geſsi in hoc ſeculo. Omnibus ſceleribus & peccatis uallatus coarctor, pro quibus Dominū, ut ueniam merear, obſecro poſtulate. Interea uenit hora, ut ſancta illa anima manibus angelorum ad Chriſtum geſtaretur. Fit ilicò gaudium magnum ſupernarum uirtutum in cœlo, ſed ingens luctus pauperum Chriſti, atq; monachorū

in ſeculo. Audiẽs autem uenerabilis Goericus epiſcopus tranſitum beati pontificis Arnolfi, aſſumptis ſecum duobus alijs epiſcopis, & coaceruata ingenti caterua clericorum & laicorũ pergit ad eremum, & cum magna reuerentia tollẽtes corpus uiri Dei, regrediuntur ad urbẽ. Cumq; ueniſſent ad quendam fluuium, cuius ripæ tenera tellus exeſa euntibus lubricum præbebat meatum, poſteriores qui feretrum portabãt, lapſi corruunt: ſed ut reor, ibidem ſtatim angeli adſunt. Nã priores nullo retardati greſſu, libere gradiuntur ante ſe, donec illi qui lapſi fuerant, euidenter coram omnibus aſſurgẽtes, & iterum ſe feretro ſubijciẽtes, miniſterij ſui locum, ſicut antea, ſuppleuerũt. Accidit & aliud in eodem itinere miraculum. Quidam ſiquidẽ homo in pago Caluomõtinſe, nomine Centa, inceſtuoſus fuit: quem beatus Arnolfus cum in hac uita poſitus eſſet, ſępius ad emẽdationẽ perducere uolens, nec ualens, ſine pœnitentia reliquit. Venientibus igitur illis, qui beati uiri funus portabãt, ad terminos huius inceſtuoſi hominis, repente membra portantium obriguerunt, ita ut ulterius nullo modo procedere poſſent. Quo uiſo ſacerdotes & uniuerſi populi, cũ non modicum anguſtiari cœpiſſent, quid facerent, quò diuerterent, præſertim cum iam dies declinata eſſet ad ueſperam, Notto dux, qui unus erat de ſimul gradiẽtibus ait, Manifeſtum eſt, quia ſanctus iſte terram huius inceſtuoſi hominis ingredi deſpiciat: & ideo, ſi ad manſionẽ meam, quę aliquantulum hinc remota eſt, antequam nox initium ſumat, uenire poſſemus, de his quæ mihi de inſtanti ſuppetunt, licet diffidã tãtam multitudinem me iam poſſe reficere, utpote ex improuiſo aduentantẽ, & me prorſus imparatum inuenientem, neceſſaria miniſtrarem. His auditis, uniuerſus populus arripiunt iter uerſus oppidum eiuſdem ducis: & portitores feretri tãta ſunt uelocitate donati, ut ad deſtinatum locum ante terminum diei peruenientes, potius ſemetipſos portari ſentirent, quàm ipſi portarẽt. Tunc Notto ait, Quia parũ quid in promptu habemus, ſanctus Arnolfus nocte hac prouideat nobis. cuius fidei uerba ſecuta eſt rerum efficacia. Tanta nanq; abundantia cibi & potus excreuit, ut medietas illius omnibus ad ſufficientiam ſatiatis, adhuc in craſtinũ ſupereſſet. poſthæc cum magna proſperitate & lætitia ad urbem perueniunt. Hac fama prouocati ciues, cum crucibus & cereis, atq; ingenti gaudio & admiratione obuiam currunt, paſtoremq; ſuum, quem dudum iudicio Dei fugacẽ amiſerant, cœlo iam regnantem recipiunt, atq; ſacrum corpus illius in baſilica ſanctorum apoſtolorũ cum magna reuerẽtia recondunt. Quo ſepulto, quid apud Chriſtum in eremo mercatus fuerit ciuibus ſuis, miraculis demonſtrauit. Nam mulier quædam nomine Iulia, luminibus olim cæcata, cum ad ſepulchrum uiri Dei accedens fiducialiter oraſſet, abſq; mora lumen longo tempore deſideratum recepit: atq; per exitus uiarum, quos non niſi aliena manu auxiliante calcare conſueuerat, proprijs cernens luminibus, ad diuerſoriũ læta remeabat. Aliud rurſum miraculum non ſileam, quod nuper narrãte uiro religioſo Arnegaudio abbate cognoui. Cum per idem tempus mulier quædam in ſuburbano degẽs, Dominica die operari auſa fuiſſet, iudicio Dei tacta, utraq; manu cõtracta eſt: unde illa nimijs uallata angoribus ad prædictũ abbatem peruenit, miſericordiamq; ab eo flebiliter poſtulauit. Qui mox pręcepit ei, quatenus ad ſepulchrum ſancti antiſtitis cum fide feſtinaret. Quò cũ perueniſſet, oſtia monaſterij clauſa inuenit, ſeq; cum lachrymis in orationem dedit, orãs ſanctũ Arnolfum, ut ſe ſanaret. Cumq; diutius illa Dominum deprecata fuiſſet, ſuffragantibus meritis beata pontificis, contracti digiti reſoluuntur, & optata remedia celerrimè ſubſequuntur. Per idem quoq; tempus homuncio quidam nomine Cero, ita contractos habens pedes, ut ex utroq; latere ſuſtentatus baculis, miſerabilem pedetentim regeret greſſum, ſanatus eſt ad uiri Dei ſepulchrum: & reuertitur ad domicilium ſuum ſolidatis plantis naturalibus, qui illuc uenerat non innatis ſibi pedibus. Hæc pauca de plurimis huius beati pontificis miraculorum exhibitionibus, ſcriptis, utcunq; potuimus, indidimus: cæterum ſi omnia quæ egit, ſtylo proſequente chartis inſerere ſtatuiſſemus, enorme uolumen, & nimis faſtidioſum compoſuiſſemus. Nunc interim iſta ſufficiãt beneuolo lectori, qui pro beneficijs circa multorum ſalutem per merita ſancti præſulis exhibitis benedicat nomen Domini noſtri Ieſu Chriſti, cui eſt poteſtas & imperium in ſecula ſeculorum, Amen.

SANCTI ARNOLFI EPISCOPI VITAE FINIS.

# Sanctæ Burgundoforæ abbatiſſæ uita.

BEATA Burgundofora monaſterium, quod Euoriacas appellatur, cui ipſa uenerabiliter præerat, omni intentione ac deuotione ſecundũ regulam ſancti Columbani inſtituit, & ad exemplum ſanctorum præcedẽtium patrum cum alijs ancillis Dei religioſam uitam inibi duxit: ſub cuius magiſterij tempore quanta & qualia rerum ſator ob eiuſdem famulæ ſuæ merita dignatus ſit in monaſterio illo demonſtrare miracula, non eſt ſilentio prætereundum, imò potius ob roborandam ſpem fidelium, tenaci memoriæ commendandum. Cum ſub regulari diſciplina multarũ adunatam ſecum puellarũ regeret Chriſto duce cohortem, tempore quodam una de ſubiectis nomine Siſindrudis cellararia monaſterij,

exitum



exitum uitæ per reuelationẽ agnouit, atq; per interiectum ſpacium xl. dierum mores corrigere, uitam emendare, & ſe in omnibus præparare monetur & imperatur. Tranſierant xxxvij. dies cum omni religione & oratione, cum fluẽtis lachrymarum uigiliarumq; labore, & ecce duo iuuenes candidis circumamicti ſtolis uenientes ad eam, animam à corpore ſegregant, quam uacuum ferentes per aerem, multis diſcuſſionibus inquiſitam ad cœlos deportãt: permixtamq; angelicis choris, & cœleſtium omnium inſertam multitudini, cohortantur capere lætos de ſeculo triumphos: cumq; iam ouans uberi exultatione inter æterna gaudia haberetur ſecura, & uirginum choris inſerta, excellenti gloria tripudians gauderet, & ante tribunal clementis iudicis aſtaret, iubetur reduci in corpus, & tertia die denuò redire à corpore, quatenus ſe uberius præparatam poſt triduũ habeat, ut quadraginta dierum curriculus impleatur. Reuerſa itaq; in corpus, uenerandam matrem ancillarum Dei Burgundoforam, & omnem ſororum cateruam ad ſe uocat, & orationibus earum ſe attentius commendans, tres adhuc dies ſibi uitę conceſſos eſſe teſtatur. Adueniente igitur tertia die, cum & mater & alię ſimul ſorores adeſſent, conſpicit illa duos iuuenes ſuperius uiſos ad ſe uenire, & ſi iam abire uellet, ſciſcitari. At illa, Vadam inquit, domini mei, hinc uadam, nec amplius in hac ærumnoſa uita detinebor, ſed ouans fuluæ luci, de qua redij, reddar. Sciſcitante ergo matre Burgundofora, quibus talia proferret dicta, Non cernis inquit, ſtola indutos, qui me nudiuſtertius ad cœlos uexerãt uiros, & nunc paratos eſſe eodem me itinere reducere? Quibus in uerbis mirante matre, & omnibus circumſtantibus ultimum ualefaciẽs præſentis uitæ terminum clauſit: omnes autem qui eius funeri intererant, choros angelicos audierunt pſallere, & dulci modulamine animam eius in cœlum deferre, metuſq; ſimul & gaudia omnes perculere. Hanc primam exhortationẽ pręfati cœnobij, Dominus famulabus ſuis ideo uoluit tam euidenter demõſtrare, ut quotquot ſuperſtitęs eſſent, omni intentione ad cultum religionis aſpirarẽt. Alia rurſus poſt hæc oritur exhortatio. Quędam etenim uirgo Gibitrudis nomine, in genere & religione nobilis, ſupradictum cœnobium cõuerſa à ſeculo petijt: quam uelut munus gratum ouans monaſterij mater Burgundofora recepit. Erat enim conſanguinitate ei proxima, quæ tãti ardoris igne feruebat, ut in omnibus ſancti ſpiritus gratia uideretur flagrare. Nam cum adhuc paterna detineretur domo, & ſpiritu ſancto monente cultui ſe religionis dicare uellet, poſtulat patrẽ matremq; ut ſibi oratorium, quo ſuo conditori exhiberet famulatum, conſtruerent: ſed cum ægrè parentes ferrent petitionem filiæ (erant enim ambo genere Francorum nobiles) nec prorſus eo itinere, quod ad regna perducit cœlorum nitebantur ingredi, immò fulgere magis ſecularibus deſiderabant phaleramentis, & ob hoc ſobolem magis deſiderabant à filia, quàm ſua tradere pignora monaſterio, nitebantur animum eius ab hac intentione reuocare. Quorum perſuaſionibus cum illa nullatenus adquieſceret, paruum admodum ei conſtruunt oraculum: ubi cum in bona conuerſatione per aliquantum temporis degiſſet, parentibus per aſpirationẽ Dei circa uoluntatem filiæ amplius iam aliquid inclinatis, obtinuit interuentu eorum, ut ſupradicto cœnobio Euoriacas mereretur aſſociari: in cuius recluſione monaſterij cum per multa annorum ſpacia religioſam uitam duxiſſet, cõtigit ut uenerabilis mater Burgundofora febribus ualidis correpta, præſentibus uitæ nexibus crederetur abſolui. Quod animaduertens uirgo Domini Gibitrudis, baſilicã ocyus ingreſſa, flebilibus Deum uocibus exorat, ut antiquam reminiſcens miſericordiam, matrem monaſterij mori non ſinat, ſed prius ſe ac ſodales ſuas ſuſcipiens cœlo recondat, & ſic demum matrem ſubſequi iubeat. Audiuitq; uocem poſt lachrymas deſuper dicentem, Vade famula Chriſti, quod petiſti, obtinuiſti. Illa etenim ſoſpes adhuc iungetur ſuperis, tu uerò prior carnis uinculis abſolueris. Nec mora uenerabilis uirgo morte corripitur, ac ſupremis functa exequijs animam reddidit: cumq; iam ab angelis ſuſcepta ſupra æthera ueheretur, & ante tribunal æterni iudicis poſita candidatorum, ut ipſa pòſt referebat, cateruas aſpiceret, audiuit à throno uocem dicentem, Reuertere ad ſeculum, quia necdum illud plenè dereliquiſti. Scriptum eſt enim, Date, & dabitur uobis: & alibi in oratione, Dimitte nobis debita noſtra, ſicut & nos dimittimus debitoribus noſtris. Hoc tu nõ impleuiſti, quia ſodalibus tuis contumelias tibi illatas ab eis, non dimiſiſti. Reminiſcere aduerſus tres cõpares læſos te portaſſe animos, nec omnino medicamine pœnitentiæ uulnus illatum ſanaſſe: corrige igitur mores, cõpone animos, quos tempore uel negligentia maculaſti. Mox itaq; reducta eſt ad corpus, ac priſtinæ reddita uitæ, triſtibus lamentis illatam depromit ſententiam, reatumq; ſuum confitetur: & accerſitis ſodalibus, contra quas motos animos portarat, ueniam poſcit, ne tacita doloſitate damna incurreret uitæ æternæ. At poſtquam integræ reddita eſt ſanitati, menſibus ſex præſenti uixit in ęuo: quibus expletis, febre correpta diẽ prædicit exitus ſui, & horã de hoc mundo prænunciat abeundi: quæ uidelicet uirgo Domini tam felicem exitum peregit, ut intra cellulam, qua eius corpus iacebat exanime, balſamum crederes deſudare. & hoc omnibus nobis qui tunc ibidem affuimus, maximum miraculum generauit. Die autem xxx. cum eius commemorationẽ ex more priſtino ageremus, & miſſarum ſolennia celebraremus, tanta fragrantia repleuit eccleſiam, ut omnium unguentorum ac pigmentorũ copiam putaremus adeſſe. Meritò enim rerum ſator animas ſibi dicatas ſuis muneribus hic facit effulgere, quæ ob amorem eius ſeculum iſtud noluerunt diligere uel ama-

re. Quædam puella in infantiæ annis adhuc detenta Erkantrudis nomine, parentibus nobilibus orta, ſupradictum monaſterium conuerſa à ſeculo introiuit: quæ cum uitam religioſam ageret, uolens eam iuſtus arbiter per præſentis corporis pœnas probare, tantis teneram ætatē flagellis attriuit, ut exemplum in eā Iob ex pœnarum immanium multitudine crederes redūdare. Sed mira in iuuenili ætate patientia reperiebatur, mira uirtus humilitatis, mira manſuetudo, mira pietas, mira lenitas, mira charitas pollebat: & inter pœnarum incēdia uirtus animæ manebat inconcuſſa, fides ſtabilis, immobilis bonitas, & incomparabilis lachrymarum ubertas. Quantum enim corpus angebant pœnæ illatæ, tantum animam lætificabat ſpes gaudiorum, & exultatio uitæ æternæ. hæc tempore quodam ſacri corporis participationem interdictam ſibi ſciens propter illuſiones nocturnas, grauibus percuſſa doloribus flere cœpit. Erat in craſtino ſacrata ſolennitas beati antiſtitis Martini. Peruigilans itaque ea nocte, & ablutionem culpæ exorans, ne tanti damni incurreret cauſam, ut à corpore Chriſti ſua culpa ſegregaretur, meruit tādem poſt lachrymas uberes, luctus ac crebra ſuſpiria, uenerabilem à Domino conſolationem habere: Vade inquit, & in hac die reconciliare corpori Chriſti, quia delictum, pro quo poſtulaſti, dimiſſum eſt tibi, matriq; indicans mane patefacito, quod dixi. Quæ gaudens & exultans in Domino, ſummo diluculo per humilem confeſsionem, quæ uiderat matri patefecit, ſacroq; corpori Domini noſtri Ieſu Chriſti recōciliata, diſtrictius aliquid, quā antea, uixit. Poſt multorum autē circulos temporum cum iam eam creator omnium cœlo cōdere uellet, igne ualidæ febris arrepta eſt: cūq; iam in extremis eſſet poſita, ſubitò exclamauit, Citò currentes unam è conſortio ueſtro mortuam ſegregate, atque deijcite. Non enim eſt dignum, ut quæ crucifixę mundo, Chriſto, non ſibi uiuunt, mortuam, & à uita ſegregatam habeant inter ſe. Conquirētibus itaque omnibus inter ſe ſororibus, & quidnam dicere uellet ſciſcitantibus, una earum confuſa, ac terrore perculſa ſolo proſternitur, noxam ſuam cōfitetur, & in omnibus ſe de reliquo emendaturam pollicetur. Erat enim ſeculo uacans, & ſecularem uitam deſiderans, nec mortificationi omnino prębebat ſtudium, ſed tota uiuebat ſeculo. Poſt hæc Erkandrudis, cum iam nox incumberet, in cellula qua iacebat, lumen ignis rogat extinguere: cumq; cæteræ ſciſcitarentur, quid uellet dicere, Non uidetis, inquit, quantus ſplēdor aduenit, & choros canentium non auditis? Quærentes illę, quid cantari audiret. Illa ait, Confitemini Domino, quoniam bonus, quoniam in æternum miſericordia eius. Confitemini Deo deorum, & cætera quæ ſubſequuntur. Hæc, inquit, omnium ora concinunt. Admirantibus ergo omnibus tam matre quàm ſodalibus, ultimum uale dicēs, emiſit ſpiritum. Alia quædam Chriſti uirgo in eodem monaſterio cum extremos halitus dimitteret, ut pro damno uitæ præſentis lucra caperet uitæ æternæ, lætaq; carnis nexibus ſepararetur, ſimilis meruit exiens de æuo præſenti habere cantus melodiam. Nam apertis auribus, quę procul ab eius excubijs aberant, audierunt canere cantus, & has uoces prærumpere, Aſperges me hyſſopo, & mundabor: lauabis me, & ſuper niuē dealbabor. Sed dum rerum repertor maieſtatis ſuæ ornamentum, per animas iuſtorum innocentiæ plenas munere, per ſeculorum uices accumulare non deſineret, uidelicet ut renouādi hortaminis ac religionis accreſceret ſupplementum, euenit ut ſupradicto in cœnobio quædam adoleſcentula cum genetrice conuerteretur: multis itaq; diebus peractis, ipſius adoleſcentulæ genetricem tentator aggreſſus eſt, ut cœptum eius opus bonum præpediret: ſed quantum genetrix imbecillitati obtemperabat, tantum uerſa uice malorum coaceruationē adoleſcentis filiæ cor diſsipauit. Cumq; iam per multa temporum curricula mens adoleſcentulæ tota Deo dedita uberes fructus redderet conditori, quadam die uidit cœlos apertos: & æternarum rerum ſatorem aſpectibus contemplata, ad cœleſtis claritatis lumē intenta audire meruit, Veni ad nos dilecta, & corporeis nexibus abſoluta, æternā ſuſcipe claritatem. Quod cum hæ quæ audierant, mirarentur, & ſimul intendentes ad cœlum oculis aſpicerent, nec omnino palpebris mouentibus, quid oculi contemplarentur cognoſcerent, ait ſe rurſum uocari, & à præſentis uitæ nexibus abſolui erat enim dies ſabbati. Illuceſcente ergo in craſtinum Dominico die, febre correpta adoleſcentula, ſupremum expectat exitum: uidens autem anxia genitrix incumbentem unicæ prolis exitum, inter ſingultus ac gemitus filiæ poſcit, ut ſi ualeat impetrare, ſuperis reddatur: aut ſi ſuæ uitæ metam ſuppleat, ſe citò de hac uita poſt ſe ducat, quia non poſsit poſt eius uiuere exitum. Ad hæc illa, Carnalibus, inquit, licet adhuc plus iuſto deſiderijs ſtimuleris, ego tamen ſi ualuero, tuis obſecrationibus ſatis faciens, poſt digna pœnitentiæ medicamenta, poſt me te Chriſto fauente adtraham. Nec mora in extremis horis poſita, beatam Burgundoforam uocat: cumq; feſtina mater ad egreſſuram animam de mundo extremos honores impendere adueniret, cōſpicata in eam puella ouans gratulatur, ac ei & omnibus ualedicens, genitricem commendat, interimq; ſilentium fieri poſtulat. Facto igitur ſilentio expectantibus omnibus animæ egreſsionē, illa ait, Date locum, ecce iam creator meus uenit, ſaluator ad me properat: rogatq; matrem ut Dominicam orationem ſymbolumq; dicere iuberet, quia ipſa trementibus labijs immobili effamine exprimere uerba nequiret: quibus peractis, nimia amœnitate ac reluſtratione cellula renitente, animam cum laudibus reddidit creatori. Nec mora genitrix corripitur, quadragintaq; dierum ſpacio in corpore flagellatur: quo completo primùm terribilibus dæmonum



aſpectibus territa eſt, deinde largitoris ope conſolata, ueniam ſe interceſsione filiæ ſuæ meruiſſe fatetur, animamq; deinceps carnis nexibus ſolutam cœlo reddidit. Nulli dubium eſt, quod aliorum damna pleroſque monendo ad capienda lucra uigilantiores reddant. Dominico quodam die cum miſſarum ſolennia in collegio famularum Dei ex more agerentur, & iam ſacri corporis communioni participarentur: quædam ex his nomine Domna, cum iam corpus Domini accepiſſet, ac ſanguinem libaſſet, globus igneus candido fulgore rutilans micabat in ore ipſius. Quod infantulæ duæ cominus aſtantes, quas innocentia reddebat immaculatas conſpicantes, nec ea quæ uidebant ſilere ſcientes, dicere cœperunt ad alias ſorores, Aſpicite globū ab ore ſororis noſtrę Domnæ rutilantem. Audiens hoc uenerabilis mater Burgundofora, increpando adoleſcentulas imperat ſilere, ne uanitatis noxa cor eius uiolaret, per cuius os affluens gratia Dei lumen reddebat amœnum. Nam inſtigante diabolo proh dolor hoc ita contigit, ut præſagus animus beatæ matris formidoloſe præuidit. Mens ſiquidē præfatæ ſororis fragilitate conditionis humanæ corrupta, cœpit poſt ſpiritus ſancti lucra elationis ac ſuperbiæ ſtimulis pungi, contumaciæ crimen incurrere, arrogantiæ concilium præferre, ita ut matrem cōtemneret, ſodales deſpiceret, & omnium monita ſperneret. Nec mora febre correpta, & ad extremum deducta, nec ſic quidem mores ſuos ſtuduit emendare. adoleſcentulæ uerò illæ quas prædiximus, una capitis dolore, altera febrium incommodo detenta ſupremum exitum præſtolabantur. Cumq; iam adeſſet ſodalium cohors, & ad pſallēdi officium in earum exitu ſe præpararent, cœpit una earū humanis auribus inaudita dulcia modulamina pio ore canere, orare conditorem miris ſermonibus, inauditis precibus, ineffabilibus ſacramentis. Odor autem miræ ſuauitatis quaſi odor balſami totam cellulam replebat, & ab hora nona uſque ad horam nonam ſequentis diei unà cum modulamine cantus perſeuerabat. Deinde matrem aſtantem canere poſcunt, & ſe iam abituras prædicunt: ſicq; reddito ſpiritu cum earum deceſsione receſsit & odor fragrantiæ. Indubitanter uerò credendū eſt, quòd gloriam felicis exitus, quem iſtæ habere meruerunt, ſupradicta Domna habuiſſet, ſi per elationis & arrogantiæ uitium ſe extollendo non perdidiſſet. Virgo quædam Quiliſinda nomine, in ſupra memorato cœnobio conuerſationis initium ſumpſit: quę cum per multos annos uitam religioſam egiſſet, laborans die quadam in horto intra monaſterij ſepta, ſodalibus locuta eſt, Citò à nobis quæ in hac area olus excolit, de hac uita exitura eſt: & ideo paratæ ſimus ne per negligētiam ſuſtineamus damna uitæ æternæ. Quęrentibus illis quæ eſſet, nequaquam promere uoluit: nec multo pòſt corporis infirmitate correpta, cum diuerſis anxietatibus angeretur, cœpit lætos ad cœlum uultus referre, & ignotas ſibi dudum ſcripturarum paginas enarrare: exorſaq; à principio libros Moyſi cum eos per ordinem recitaſſet, & deinceps Euangelij uitalia ſacramenta, atque ſimul Apoſtolica documenta, monuit ſorores, ne ſe triſtitiæ ſubdant: certum habentes, quia citò de aduerſarijs ſuis Dominus ultionem eſſet daturus. Erat enim tunc aduerſarius monaſterij Egon nomine, uir in ſeculo ſublimis, cui Dagobertus moriens filium ſuum Clodoueum cum regno commendauit: is ergo aduerſabatur ſupradicto cœnobio, terminoſq; uiolabat, & omnem familiam eius circummanentem, quacunque potuit, occaſione perſequebatur: ſed non diu ut ceperat, pertinaciæ potitus eſt uoto. nam mox poſt promiſſam ultionē percuſſus interijt. Cœpit autem uirgo orationes & deprecationes, & quęris ſacerdotum officia depromendo dulci modulamine canere: unde dum multum admirarentur aſtantes, unam de ſororibus ſic allocuta eſt, Eia, inquit, ſoror foras iacta quiſquilias. Cum igitur alię conquirerent, quid ſibi uellent uerba iſta: rurſus adiecit, Non aſpicitis quātis ſordibus mentem habeat occupatam & cœnoſam? Nec enim omnino per confeſsionē pectoris ſui aream purgatam reſtituit, quam in ſeculo poſita priuſquā hic clauderetur omni ſpurcicia maculauit. Perculſa metu, uerecundia correpta, & à lumine ſpiritus ſancti deprehēſa cui talia dicebantur, ſolo proſternitur, celataq; uitia matri humillimè cōfitetur. Cœpit poſt hæc quæ uitæ exitum expectabat rogare, ut ſpacio facto locum uenientibus darent: obtemperantibus ilicò ſororibus inclinato capite hilari uultu dixit, Benedicite dominę meæ. Inquirentibus quæ aſtabant, quibus ſalutationis uerbum exhiberet, reſpondit, Non agnoſcitis ſorores, quæ de collegio ueſtro ad cœlos migrauerunt? Cumq; ſciſcitarentur, ſi ipſa cognoſceret eas, increpantis uoce ad unam earum Antrudem nomine, loquitur dicens, Vel tu non agnoſcis ſororem tuam Anshildem, quæ dudum ad cœlos migrauit candidatorum choris inſertam? Hæc ea dicente, anima è carne lapſa eſt: qua egreſſa, cantus angelicus mox in aere eſt auditus. Quædam etiam ſorores longius à cellula qua corpus iacebat exanime remotæ, audierunt angelorum cœtus per aera reſultantes, atque canentes: ex quo cantu compererunt beatam uirginem Quiliſiudam carnis nexibus abſolutam, & ilicò currentes repererunt membra defuncta, atque cœtum ſororum exequiarum obſequia implentem, agnoſcuntq; pſallentium cantum, quem per auras audierant concrepare, eius exequiarum ſupplementum extitiſſe. Aliam uirginem eiuſdem monaſterij, Leudebertam nomine, monitis ſalubribus ac cœleſtis proſapiæ documentis beata mater Burgundofora non ceſſauit aſsiduè monere uel præmunire: hæc dum per aliquod ſpacium temporis uitam egiſſet honeſtæ cōuerſationis, in ſomnis admonita eſt, ne à reuerendæ matris ſuę monitis aliquo modo deuiaret, quia citò à ſuperis

ſegreganda eſſet. Nec diſtulit diu promiſsi largitor muneris donum, quod pollicitus erat accumulare, correptamq; uirginem ægritudine ſoluere dignatus eſt à corporea mole: cumque iam extremos tam mater, quàm ſodales rependere aſtarent honores, ſubitò poſt longum ſilentium uocem depromit dicens, Qua hora glorioſe apoſtolorum princeps Petre, uis ut eamus? Sororibus itaque quid diceret, noſſe uolentibus, ait, Non uidetis patronum ueſtrum Apoſtolorum principem Petrum inter uos aſtare, & me de hac uita ducere uelle? Vix hæc dicere licuit, læto omnes circumſpectat uultu, extremosq; dimiſit halitus, ac ſuperas linquẽs auras, ad æternæ uitæ gaudia eſt prouecta. Nã ideo rerum ſator poſt longa ſilentia in hanc uocem flebilem promouere linguam permiſit, ut alias ad eius uitæ exempla prouocaret, & tantorum munerũ copijs ſuperis demõſtraret, quibus ſub hac luce in ſuo timore uel amore migrãtes ditare non deſinit. Efferbuerat contra hanc plebem Chriſti nequitia diabolicæ fraudis, & dum pollere uirtutibus cerneret, aggreſſus eſt tentationibus maculare quaſdam ex his, quas noua conuerſatio rudes reddebat, & à cæterarum conuentione niſus reuellere, ac ſepta monaſterij uiolare, tentauit præcipitare eas, quæ exitiabilem uitam ſeculi deſiderarent, & canonico more reiecto, uiſcerum putrimenta denuò ſumere uellent. cumq; iam per opacas umbras & ſilentia fuſca nox adeſſet, & mane perficiendi conſilium aſpirarent, ſeptaq; monaſterij per repagula ſcalæ tranſilire conarentur, ſubitò è medio dormitorij maſſa ignis in modum modij egreſſa totam domum perluſtrauit, ac illuminauit, & pòſt in tres diuiſa globos, per oſtiorum meatus cum magno tonitrus fragore progreſſa eſt: totidem enim oſtia domus habebat, per quæ ſuos ignis globos proferret. Qui tonitrus fragor & dormientes excitauit, & egredientes ſepta monaſterij correxit. Cum autem iam aliquæ earum per uallum pedes traieciſſent, & tanto fragore perterritæ intra ſepta redire uellent, uelut plumbo aggrauatas plantas nequaquam ualebant reducere: quia diabolus arte qua potuit, ſtudebat aggrauare, quas diuina correptio noluit perire. Confuſæ ergo culpas ſuas agnoſcunt, matriq; reuerſæ per humilem confeſsionem lachrymabiliter produnt. Aggreſſus deinceps duas eiuſdem cœnobij ſorores antiquus hoſtis, quas nouiores ac multo imbecilliores conuerſatio reddebat, primùm ad hoc impulit, ut nulla hora ueram depromerent confeſsionem. Erat enim cõſuetudinis monaſterij & regulæ, ut ter in die per confeſsionem unaquæque earum mentem purgaret, & qualemcunque rugam mens per fragilitatem attraxiſſet, pia proditio ablueret. In talem igitur labem mentes prædictarũ puellarum diabolus merſerat, ut nulla confeſsio uera prodiret ab ore, ſeu eorum quæ in ſeculo cõmiſerant, ſeu quę quotidiana fragilitas attrahebat, in cogitatione, in ſermone uel in operatione. cumq; lethifer anguis paulatim corda obdurando uirus ſuæ malignitatis infudiſſet, & mentes earum in omnibus ſibi parere comperiſſet, tunc ſuggeſsit, eis ut quadam nocte extra ſepta monaſterij progreſſæ fugam arriperent, & ad propria remearent. Hoc itaq; apud ſe deliberato, cum per denſam noctem abirent, nec prorſus pro denſitate caliginis uiam tenere quiuiſſent, aſtitit ad læuam diabolus, ac lumen in modum lucernæ arte qua ualuit, aſsimilans tergiuerſationi uires auxit, monſtrans reducem ad ſeculum uiam. Poſtquam autẽ peruenerunt ad locum deſtinatum, ſubſequentibus inquiſitoribus ad cœnobium ſuum rugata fronte regreſſæ ſunt: ubi dum à matre monaſterij beata Burgũdoſora alijsq; ſororibus diligenti ſcrutamine percontarentur, quæ cauſa coegiſſet eas diſcedere, reſpondent ſe telis diaboli fuiſſe ſtimulatas, & ideo mentes nequaquam habere poſſe directas. Cum itaque multum ab omni congregatione obiurgarentur, nec tamen aliquid huiuſmodi proficeret in eis obiurgatio, diuinæ ultionis gladio percuſſæ ambæ meritas pœnas perſoluere: de tanti uerò euentus lue uehementer anxia mater monaſterij, hortatur eas indeſinenter, ut uel adhuc inter ſupremas horas cõſtitutę, facinus ſuum pandant humili confeſsione: ſed obdurata corda nihil remedij capere ualentia, inter flagella clamare cœperunt, Suſtinete paululum, ſuſtinete, nec prorſus expectantes arguite. Inquirentibus ergo quæ aderant ſororibus, à quibus ſuſtinere rogarent, aiunt illæ, Non aſpicitis turbas Aethiopum aduentantium, quæ nos rapere & abducere uolunt? Inter hæc auditus eſt fragor maximus ſupra cellulam & tegumenta perſonãs, oſtiumq; cellulæ ui patefactum eſt, ita ut nigreſcentes umbras aſtantes cernerent, & clamantes eas nomina febricitantium ſororum audirẽt, adeò ut uix quæ aderant ſigno crucis armatæ, & pſallẽdi officio detentæ ualerent aſtare. Tanti doloris ac mœroris euentu anxia mater Burgundofora urget in extremo conſtitutas, ut uel adhuc per cõfeſsionem pandantur uitia, & ſacramento Chriſti corporis animæ roborentur. At illæ ut infelices, & à diabolo penitus poſſeſſæ audita ſacri corporis mentione garrire, dentibusq; frendere cœperunt, & ſtridentes dicere, Cras, cras: & iterum ſupradictam uocem repetere, Expectate, ſuſtinete paululum, ſuſtinete. Inter quas uoces extremum halitum dimiſerunt. Quas cum in collegio cæterarum ſepelire mater monaſterij beata Burgundofora nequaquam ratum duceret, ſegregatim humandas, ac in extremo loco cœmiterij ſepeliendas fore iubet: ſuper quarum tumulum globus ignis in modum clypei intra triennium crebrò apparuit, maximè Quadrageſimæ diebus uſq; ad aduentum ſanctũ Paſchæ, uel etiã ante uigiliã natalis Domini feruẽtius apparebat, ſimulq; uoces tumultuantis turbæ multæ perſonabãt. Inter quas duæ ululantes erumpebãt, uelut in tormentis reſonare ſolẽt, Væ mihi, uæ mihi, uæ mihi. Cernens itaq; præ-





dicta mater monaſterij iuſtam ſententiam à iuſto iudice ſuper iniuſtas animas illatam, manifeſtius damnatarum ſentẽtiam eſt aggreſſa cõperire, accedensq; ad tumulum, experimento quærit, ſi cadauera quamuis putredine corrupta in ſepulchro maneant. Iam menſis, ex quo defuncta corpora fuerant condita, præterierat: & ecce, reperit interius ſepulchrum igne exuſtum, nec quicquam ſupereſſe cadaueris, præter fauillæ ueſtigium. Manſit ergo per trienniũ illatæ ſententiæ tanta ſeueritas, ut terror damnatarum, timorẽ præberet ſodalium remanentium, eſſetq; correptio uiuentium illata pœna mortuarum, & ex negligentia, imò duritia mẽtis pereuntium, ſalus propagaretur ſuperſtitũ. Interpoſito deinde temporum aliquanto ſpacio, quædam uirgo nomine Landeberta, cum extremas uitæ præſentis expectaret amittere horas, ualidis icta doloris ſtimulis, ſolum uitæ exitum, ſolamen habebat ægritudinis ſuæ. nocte igitur, qua iam eius imminebat uocatio, ſororibus quæ circa ægram excubare debebãt, ſopore depreſsis, cum una tantum earum Gernomeda nomine, & ipſa ægritudine feſſa, peruigil inter ſodales eſſet, nubes ſubitò denſa, atque rutilo quodãmodo fulgore permixta, ſtratum prędictę uirginis operuit, ſimulq; uoces ita canentiũ auditæ ſunt, Cantemus Domino, glorioſe enim honorificatus eſt. Quod ſtatim ut audiuit Gernomeda, cœpit anxia ſodales excitare, ſed nulla prorſus earũ potuit euigilare: uidit interim illa paulatim nubem à lecto ſubleuari, & tunc demum intermiſſo cantu excitatas per clamorẽ ſuum ſorores, monet & obſecrat, ut ſuper defunctę uirginis membra debitũ exoluerent cantum exequiarum, indicans quę uiderat & audierat circa ſtratum illius. Ipſa nihilominus per ſeptem deinceps dies grauibus febrium exagitata doloribus, octauo die uitã in pace finiuit: poſthæc bonitatis ac munerum inſtitutor Deus, rurſus pietatis ſuæ munera largiri non diſtulit. Nam quædam puella nomine Bitihildis, in eodem cœnobio, intra adoleſcentię annos conuerſa, cum diu regularis diſciplinæ habenis confecta, immobili deſiderio cœleſtia ad prēmia anhelaret, euenit ut iuſtus arbiter iuſtam animam, iuſtitiæ copia plenam, cœlo condere uellet: cumq; iam in extremis poſita poſceret per ſucceſsiones noctium lumen coram ſe accendi, & ſacræ lectionis præconia ante ſe legi, & una aſsiſtentium uas quoddam oleo limphaq; repleſſet, omnis ſopor oppreſsit ſorores, ſicq; traiecta noctis meta, abſq; ſodalium ſolamine ægra noctem peregit. Reuertente autem diei crepuſculo, cum matutinas laudes Domino ceciniſſent, ægra quæ iacebat, intuita lucernam, quæ oleo limphaq; repleta erat, in lac cõmutatam, quęrit utrum hoc aliqua ſodaliũ commutaſſet. illę inquiſit, An neſcis, quia hic lac nõ fuerit? Aegra ait, Nequaquam hoc labore animam meam conſumite, ſed quid rei ueritas habeat, ſimpliciter indicate. Affirmantibus itaq; ſororibus, quia nil prorſus inde certum haberent, matrem monaſterij uocant, & rei cauſam indicant: at illa protinus, ut diligẽtius agnoſceret, oleum à lacte ſepararare iubet: cumq; ſegregatum fuiſſet oleum, & nihil exinde ſuper ſpecie lactis remanſiſſet, cœpit oleum denuò creſcere, & uberius à uaſe manare. Tum demum hæ quę aſtabant, Dei uirtutem agnoſcentes, omni ſtudio collegerunt oleum illud, & in ſacrario condiderunt, ex cuius olei perunctione quædam infirmæ ſorores poſtmodum attactæ priſtinę ſanitati redditæ ſunt. illa uerò quæ felicem expectabat exitum, omni iucunditate repleta, cum animam cœlo reddidiſſet, tanta ſuauitas odoris cellam repleuit, ut balſamum inibi crederes deſudare. Quid autem aliud fuit, ut creatura aquę in lactis ſpeciem uerteretur, uel oleum multiplicaretur, niſi quòd miſeratio diuina alijs oſtendere uoluit, qualiter ægram uiſitauerit, & dum illa ſodalibus noluit indicare quid uidiſſet, ueſtigium uiſitationis ſuæ reliquit. Teſtes ſunt huius rei, uenerabilis mater Burgundoſora, pontifex Meldenſis urbis, & beatus Vualdebertus, abbas cœnobij Luxouienſis: ſicut ob religionis ſtudium, & piæ conſolationis incrementum præmiſſa miracula diſſeruimus, ſic ob terrorem duræ & ignauæ mentis aliqua intimare curamus. Quędam puella nobilis genere, ad ſuprà memoratum cœnobium regulari diſciplinæ colla ſubmittere uenit: ſed bonæ uitæ conuerſationem antiquus hoſtis aggreſſus euincere, excitauit in ea gulæ auiditatem, ita ut eſuriẽ furtiuo cibo ſemper exatiare ſtuderet. quod facinus per longa ſpacia temporum non deprehenſa patrauit, nec prorſus alicui ſodalium patefactum eſt. Cum ergo diu gulæ auiditas animam maculaſſet, dedit iuſtus arbiter iuſtam ſententiam ſuper animam iniuſtam: corripuit grauiſsimum facinus pœna grauiori, ac ſuper feſſos artus excitauit odium liciti cibi. Nec alio quoquã genere ciborum alebatur, niſi furfurũ frondiumq; & herbarum agreſtium more pecudum alimẽto. Cumq; iam multis diebus hæc ultio ſuper animam tranſgreſsione deceptã maneret, & ſibi hora refectionis ſupradictum cibum adduci poſtularet, uidit ſpeciem apri magni ſecum comedere, & morticinoſos cibos porci grunnio uentilare. At illa pauefacta, interrogauit quid eſſet. Reſpondit quæ uidebatur beſtia, & ait, Aper ego ſum, cibos quos hactenus per tranſgreſsionẽm comediſti, tecum ego comedi, & modò per iſtius anni circulum hunc cibum habebis. Permanſit ergo cibus ille per metam uertentis anni, nec prorſus aliud quicquam edebat, quàm furfures frondesq; arborum, atq; herbas agreſtes, & quodcunq; ex cęterarum radicum reliquijs proijcitur. Quid enim fuit, ut diaboli uoce fragilis mens miſeræ tranſgreſsionis conſcia obiurgaretur, niſi quia per præſentium pœnarum immanitatem non ſineret animã poſtmodum cruciatibus damnari, & diuina pietas per eum uoluit improperia cõſtituẽdo depromere, per quẽ fuerat trãſgreſſio propagata, & hunc habere indicem, cuius

ſuaſionibus malis diu decepta obtemperauerat. & poſt pœnas illatas cognoſcere, non diabolo, ſed creatori creaturam debere obedire. Similiter alia puella nomine Baractrudis, cum diu in ſupradicto cœnobio conuerſaretur, & nequaquam regularis diſciplinæ omni conatu intẽderet pręcepta ſeruare, miſit diabolus in mentem tranſgreſsione correptam, ut quæque potuiſſet, furto rapere occultè comederet: quem cum diu hac tranſgreſsione animam maculare, dedit iuſtam ultionem de ea arbiter iuſtus. Corripitur enim repentè ignitis febribus, ac inter incendia clamare cœpit, Væ mihi, uæ mihi. Et poſt has uoces ita ſopita iacuit, ut mortua ab omnibus crederetur: cumq; poſt multum horarum ſpacium anhelaret, febris ab igne uexata, clamare cœpit, Veniat mater, ueniat mater. Concito ergo gradu, quæ audierant, matrem monaſterij beatam Burgundoforam uocant: quæ cum ueniſſet, ægra quæ iacebat, tota intentione cordis facinorum ſuorum cõiecturam per confeſsionem pandit. Omnes uerò aſtantes, cũ iam finem uitæ expectarent, ſubitò illa diuina miſeratione conualeſcens, melius habere cœpit, & ita paulatim ſubtracta periculo mortis beatam uitam poſtea duxit. Poſtquam enumeratæ ſanctimoniales fœminæ ſub magiſterio beatæ Burgundoforæ conſtitutæ, diuerſo ac diſpari, uti diximus, pro meritorũ qualitate tranſitu uitam hanc corruptibilem exuerunt, ipſa quoque uenerabilis mater earum cœleſti uocatione digna, cum multis annis ſuprà memorato monaſterio Euoriacas decentiſsimè præfuiſſet, corporis tandem infirmitate correpta, III. non. April. diem clauſit extremum, cœtibus aggregata uirginum, quæ ſequuntur agnũ quocunque ierit, cœleſtem uidelicet ſponſum, Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum, qui cum patre & ſpiritu ſancto uiuit & regnat Deus per omnia ſecula ſeculorum, Amen.

SANCTAE BVRGVNDOFORAE ABBATISSAE VITAE, FINIS.

# Sancti ac beatiſsimi Iuſtini martyris paſsio.

QVando Chriſtus Deus noſter
Natus eſt ex uirgine,
Edictum imperiale,
Per mundum inſonuit,
Quatenus totius orbis
Fieret deſcriptio;
Nimirum quia in carne
Tunc ille apparuit,
Qui in cœlo uniuerſos
Electos aſcriberet,
Quos ſacræ commendauiſſet
Fidei profeſsio,
Quam qui dignè obſeruarint,
Cum bonis operibus, quæ ſunt,
Velut quidam cenſus
Domino amabiles,
Ciuitatis deſcribuntur,
Cœleſtis municipes.
Quos cenſus uterq; ſexus,
Omnis ætas exhibet,
Vt teſtatur plurimorum
Martyrum exercitus:
Non ſolum conſtans ex uiris,
Verum & ex fœminis:
Nec æuo tantum maturi
Subibant martyrium,
Sed & multos propter Chriſtum,
Et fidem catholicam,
Legimus fuiſſe paſſos
In ætate tenera:
Ex quibus ſanctus Iuſtinus,
Nouennis puerulus,
Qualiter per paſsionem
Migrarit ad Dominum,
Sequens textus demonſtrabit
Scire cupientibus.
Dum crudelis Diocletianus,
Romani imperij,
Simul cum Maximiano
Teneret monarchiam,
Talis eſt in Chriſtianos
Mota perſecutio,
Vt darentur ad pœnarum
Vniuerſa genera,
Vbicunq; comprehendi
Aliquem contingeret,
Quem huius profeſsionis
Obligaret titulus.
Et ne quiſquam potuiſſet
Contutari latebris,
Vbiq; componebantur
Hoc modo inſidiæ,
Quæ euntes compuliſſent
In ius idolatriæ.
Non illis emendi quicquam,
Aut uendendi copia,
Nec ipſam haurire aquam
Dabatur licentia,
Antequam thurificarent
Deteſtandis idolis.
Ea tempeſtate fuit quidam
Præfectus in Gallia
Perfidus, ferox, immitis,
Chriſti nomen odiens,
Et in Chriſtianos furens,
Riciouarus nomine:
Quem cum ſuprà nominati
Principes dirigerent,
Vt ſanctos perſequeretur
Poſitos in Gallia,
Cupidus cædis ſanctorum
Protinus efficitur.
Et ingreſſus ciuitatem,
Baſileam nomine,
Qua ſuos curſus in Rhenum



Inſert Ara fluuius,
Multos ibi Chriſtianos
Dimergi præceperat.
Sic per loca uniuerſa
Edictum dat impium,
Vt nullus Chriſtianorum
Sineretur uiuere,
Quibus uitam ſtatuebat
Per tormenta adimi.
Erat ea tempeſtate
In Autiſiodoro
Quidam uir bonus & iuſtus,
Matthæus uocabulo,
Illiq; Iuſtinianus
Et Iuſtinus filij.
Sed Iuſtinianus ortu
Carnali præceſſerat:
Iuſtinus uerò ætate
Morum anteierat,
Per uitam immaculatam
Senectutem induens.
Qui in breui conſummatus,
Longa explet tempora
Meritorum eius laude
Manente in ſecula:
Quia placuiſſe Deo
Eius conſtat animam.
Hic antequam naſceretur,
Frater eius ſenior,
Iam dictus Iuſtinianus,
Capitur ab hoſtibus,
Atq; à domo paterna
Longius abducitur.
Beatus uerò Iuſtinus
Mox à pueritia
Rebus animum diuinis
Inceſſanter dederat,
Profectum quotidianum,
Dante Dei gratia.
Qui cum polleret uirtutum
Donis ſpiritalium,
Inter cætera hoc primum
Illi Deus contulit,
Vt haberet futurorum
Sæpè præſcientiam.
Tum per reuelationem
A Deo inſtruitur
De fraterna ſeruitute,
Et de eius domino,
Qui appellabatur Lupus,
Ambianis habitans:
Cum hoc illi reuelatum
Fuiſſet à Domino,
Patri ſuo hoc narrare
Confeſtim ſtuduerat,
Ad redemptionem fratris
Hortans iter arripi:
Ad quod illi pater eius
Taliter reſponderat,
O, inquit, fili ignoro,
Quà ſit eò tranſitus:
Et propter hoc quid agamus,
Me neſcire fateor.
Tunc ſanctus puer Iuſtinus
Animo accenditur,
Atq; omnem peragrabat
Mox Autiſiodorum,
Sic ubi reperiretur
Dux eis itineris.
Sed cum non inueniretur,
Qui quæſitus fuerat:
Reuerſus puer beatus,
Hoc patri annunciat,
Dicens tamen non ceſſandum
Eſſe ab itinere.
Nos, inquit, pergamus pater,
Chriſto nobis comite,
Qui non ſinet nos fraudari
Noſtro deſiderio,
Quod de redimendo fratre
Habemus in animo.
Sed et tranſeundæ nobis
Chriſto uiæ præduce,
Nihil nobis aduerſatur,
Nil erit contrarium,
Quin illæſi ambulemus,
Redeamus ſoſpites.
Ad hos filij affatus,
Iſta pater reddidit:
Poſſem ait ego forſan
O fili dulciſsime
Suſtinere iter tantum,
Qui ſum fretus uiribus.
Tibi autem cum ſis puer,
Vt non poſsis timeo,
Ne fortè teneritudo
Læſa tui corporis,
Fatigatum te quod abs te,
Faciat deficere.
Reſpondens ſanctus Iuſtinus,
Patri ſuo retulit,
Famulus ait ſum Chriſti,
In quo me confidere,
Et me illi commendare
Semper pater noueris.
Eamus ergo in eius
Adorando nomine,
Illi totum committentes
Effectum itineris,
Et quod illi inde placet,
Sit nobis amabile.
Adquieuit pater iſtis
Hortamentis filij,
Aſſumptisq; ad hoc iter
Sibi neceſſarijs,
Proficiſci mox cœperunt
De Autiſiodoro.
Et cum dies declinare
Cœpiſſet ad ueſperam,
In Milidonenſi caſtro
Recepti hoſpitio,
Quieuerunt ſub eiuſdem
Ibi noctis ſpacio:
Quibus ad portam caſtelli
Pauper quidam obuiat,
Qui & claudicabat greſſu,

Et uiſu caruerat,
Quem atra uexabat fames,
Pariter & nuditas:
Cui ut innoteſcebat
Iuſtini præſentia,
Mendicabat, ut donaret
Illi eleemoſynam,
Quo penè extortam fame
Recrearet animam.
Tunc beatus puer ſuo
Genitori ſuggerit,
Alimentum fore dandum
Eidem famelico,
Obtentoq; à patre uictu
Emendat eſuriem:
Ipſe uerò ſua ſeſe
Tunica expolians,
Nuditatem eius ſimul
Operire ſtuduit,
Geminum præbens egenti
Taliter auxilium.
Tunc aduerſus illum pater
Motus aliquatenus,
Increpare cœpit eum,
Quare ita fecerit:
Eiusq; tam pium factum
Vocabat diſpendium.
Non, inquit ſanctus Iuſtinus,
Hoc uoca diſpendium,
Propter quod beatitudo
Nobis repromittitur
Spiritu ſancto dicente
Per Dauid Pſalmographum,
Felix qui ſuper egenum
Intendit, & pauperem,
Quomodo in die mala
Deus eum liberat.
Sed nec ab auditu malo
Timere compellitur.
Mala reprobis eſt dies
In die iudicij,
Cum ad æternum damnantur
A Deo interitum,
Arſuri igne æterno
Vnà cum diabolo.
A malo timent auditu,
Quibus in iudicio
Vox à tribunali Chriſti
Sonat terribiliter,
Ite à me maledicti
In ignem perpetuum.
In hac autem die mala,
Qua damnantur impij,
Liberari promeretur,
Qui dat eleemoſynam,
Vt non eum ille malus
Auditus perterreat:
Sed magis dicatur ei
Ore Chriſti iudicis,
Vt accedat regno Dei,
Propter eleemoſynas,
Fratribus quas ipſe Chriſti
Impendebat minimis.

Vides, inquit pater, quanto
Bono compenſabimus,
Dum ex his quæ nos habemus,
Subuenimus inopi:
Et idcirco quod mendico
Datum eſt, non quærere.
Igitur in Milidone
Noctu requieuerant,
Facto mane iter ſuum
Protinus accelerant:
Et Chriſto eos ducente,
Venerunt Pariſium,
Vbi à quodam excepti
Nomine Hippolyto,
Ipſi omnem prodiderunt
Cauſam, pro qua uenerant,
Scilicet quia captiuum
Fratrem ſuum quærerent.
Proinde ſatis humanus
Fit eis Hippolytus,
Et cum eos refeciſſet,
In pace dimiſerat,
Vt cœptum iter egiſſent
Cum Dei auxilio.
Tunc illi profecti, flumen
Attingebant Iſeram:
Et dum tranſire per illud
Ipſos oportuerit,
Non inueniebant illic
Aliquam nauiculam.
Quod cum moleſtè tuliſſet
Pater ſancti pueri,
Ipſe beatus Iuſtinus
Demonſtratum cœlitus
Conturbato genitori
Protulit præſagium.
Quamuis, ait, nunc in promptu
Non adſit nauigium,
Non eſt tamen anxiandum
Nobis de itinere:
Quia mihi eſt à Chriſto
Oſtenſum ſolatium.
Quidam enim homo nobis
Cum naui appropiat,
Cuius nobis impendetur
Incunctanter commodum,
Vt tranſire ualeamus
Hunc præſentem fluuium.
Cum adhuc puer parenti
Loqueretur talia,
Ecce quidam nauta uenit
Cum ſua nauicula,
Sicut ſanctus prædicebat
In præſagio ſpiritu.
Tunc accedentes ad illum
Qui cum naui uenerat,
Se petebant adiuuari
Vt tranſirent fluuium,
Nauigationis iuſtum
Offerentes precium.
Nauta igitur petita
Satis promptè annuit,
Ipſis uerò naulum dare

Debi-



Debitum uolentibus
Non accepit, ille quicquam
Gratis præſtans commodum.
Illi autem properantes,
Ambianos ueniunt,
Inquiruntq; domum Lupi,
Fratris ſui domini:
Qua mox inuenta ad illum
Preces ferunt ſupplices.
Quem prior ſanctus Iuſtinus
His affatur uocibus:
Venimus ad tuam, aiens
O Lupe clementiam,
Vt captiuum fratrem noſtrum
Reddas nobis liberum.
Compertum eſt enim nobis,
Ipſum ſub te degere.
Et ad illum redimendum
Noſtram ſubſtantiolam
Apportauimus donandam
Nunc pro tua gratia.
Tunc Lupus, qui eſſent illi
Cœperat inquirere:
Didicitq; quòd fuiſſent
Non ficti Chriſticolæ:
Et quòd habitantes eſſent
In Autiſiodoro.
Frater autem aiunt, noſter,
Propter quem huc uenimus,
Et quem à captiuitate
Conamur redimere,
Vocatur Iuſtinianus,
Tuusq; eſt domeſticus.
Ego, inquit Lupus, uobis
Præbebo hoſpitium,
Et quos habeo, oſtendam
Omnes meos pueros:
Et ſi frater ueſter hic eſt,
Redimatur precio.
Igitur cum domum Lupi
Introiſſent ueſpere,
Demonſtrauit eis ſuos
Duodecim pueros,
Inter quos non eſt inuentus
Ille quem quæſierant.
Beatus uerò Iuſtinus
Oculos circumferens,
Vidit quendam extra ipſos
Aſsiſtentem puerum,
Cuius manibus accenſa
Ferebatur lampada.
Hic erat frater Iuſtini
Glorioſi pueri,
Captus tamen ante eius
Natalis exordium,
Nunquam ante tempus illud
Ei uiſus fuerat.
Beatus uerò Iuſtinus
Plenus ſancto ſpiritu,
Nullo homine docente,
Hactenus incognitum
Eundem germanum ſuum
Agnouit continuò.

Enimuero mens ſanctorum
Dum adhæret Domino,
De internis & occultis
Ab eo inſtruitur,
Res ignotas edocetur
Spiritu prophetico.
Oſtendit hoc liber, acta
Narrans Apoſtolica,
Vbi legitur frequenter,
Dixit ſanctus ſpiritus
Siue Petro, ſiue Paulo,
Seu cuiq; diſcipulo.
Hoc modo ſanctus Iuſtinus
Fratrem dum agnoſceret,
Lupo qui eum tenebat,
Confeſtim hoc prodidit:
Meus inquiens eſt frater,
Qui fert manu lampadam.
Pro hoc redimendo ad te
Pater meus uenerat,
Tu nobis ut promiſti,
Hinc eſto beneuolus,
Vt germano comitati
Repetamus propria.
His auditis frater eius,
Redditur attonitus,
Quòd ab eo nunquam uiſus
Taliter ſit cognitus:
Qui affuerant, mirantur
Super re inſolita.
Gratulabantur fideles,
Gaudentes in Domino,
Atq; pro tanta uirtute
Deo agunt gratias:
Et cum laude Chriſti nomen
Frequenter ingeminant.
Erant ibi in eodem
Conſtituti tempore,
Homines retiarij,
Suprà dicti iudicis:
Qui ut eos Chriſtianos
Eſſe recognouerant,
Conciti adnunciarunt
Illud ſuo domino,
Si quid forte uoluiſſet
De ipſis præcipere,
Iuxta leges promulgatas
Aduerſus Chriſticolas.
Tunc miſit confeſtim iudex
Qui eos adducerent,
Quos ſi noluiſſent ſequi,
Iuſsit claudi carcere,
Donec opportunè poſſent
Præſentari ſibimet.
Interim Lupus, qui illos
Suſcepit hoſpitio,
Sub ipſis nocturnis horis
Eos excitauerat,
Et abire hortabatur
Inde ante diluculum.
Affuerunt ſerò, inquit,
Hic præfecti homines,
Qui ut eſſe Chriſtianos

Vos

Vos primùm compererant,
Nunciare hoc præfecto
Feſtini abierunt.
Fratrem ergo quem quæſiſtis,
Vobiſcum adducite,
Redemptionis à uobis
Precium non exigam,
Tantum fugito te iſtinc
A perſecutoribus.
Illis ſicut hortabatur
Profecti, uelociter
Superuenerunt ab ipſo
Deſtinati iudice:
Qui ſi inuenire poſſent,
Ipſos comprehenderent.
Et cum non inuenirentur,
Qui quæſiti fuerant,
Regreſsi ſunt ad præfectum,
Quos illuc direxerat,
Narrantes quod iam digreſsi
Ab hac domo fuerint.
Tunc præfectus iubet citò
Equites, ut quatuor
Inſequi eos ſtuderent
Curſu uelociſsimo:
Atq; ad ſuum tribunal
Mox eos adducerent.
Si reniterentur quicquam,
Iuſsit eos perimi.
Igitur arreptis equis,
Inſequuntur properè,
Quò ſanctus puer Iuſtinus
Cum ſuis tetenderat.
Locus habetur antiquus
Lupera cognomine:
Ad quem cum appropinquarent,
Non longè abfuerant
Ipſis à præfecto miſsi
Crudeles carnifices.
Tunc Iuſtinianus ſanctum
Iuſtinum alloquitur,
Opportunitatem ait
Iſtic cernis aſſore,
Qua aqua poſsit hauriri,
Et nos cibo refici.
Si placet, conſideamus
Parum panis frangere,
Atq; aquæ hauſtu ſitis
Ardorem extinguere,
Sicq; poſtea ualemus
Proficiſci melius.
Cui beatus Iuſtinus
Iam futura præſciens,
Si guſtare, inquit, iſtic
Aliquid diſponitis,
Erit uobis hoc omnino
Faciendum citius.
Ecce enim appropinquant
Huc legati iudicis,
Qui nos ſi ualebunt, debent
Iudici adducere,
Et ad pœnas ſubeundas
Eidem contradere.

Vos ergo precor, ſi uultis,
Feſtinate refici:
Ego aſtans ſpeculabor,
Aliquis ſi uenerit,
Qui inſidietur nobis,
Ex mandato iudicis.
Et ſi quiſquam ad hoc nobis
Fortè ſuperuenerit,
Ego colloquar cùm illo:
At uos ingredimini,
Et in præſentis ſpeluncæ
Antro uos abſcondite.
Iſta prophetali more
Puer ſanctus loquitur,
Cum ecce mox adimplentur
Ipſius eloquia,
Quæ prædixit de tranſmiſsis
Sibi carnificibus.
Etenim inter loquendum
Apparebant quatuor,
Quos tranſmiſerat præfectus
Eos comprehendere:
Vel ſi hoc non potuiſſent,
Tunc eos occiderent.
Quibus uiſis, ſe in antrum
Cæteri abripiunt:
Beatus uerò Iuſtinus
Conſiſtit intrepidus
Ad martyrij à Chriſto
Deſtinatus gloriam.
Ad quem miniſteriales
Accedentes iudicis,
Sciſcitantur quis fuiſſet,
Quæ eius profeſsio,
Qui'ue, uel ubi fuiſſent,
Quos habebat ſocios.
Quibus ille referebat
Omnia per ordinem,
Ego, inquiens, Iuſtinus
Appellatus nomine,
Chriſtianum me haberi
Exultans profiteor:
Et quia perſecutores
Huius eſtis nominis,
Ob hoc prodere non poſſum
Meos uobis compares,
Ne propter me ſubigantur
Ad pœnarum genera.
Niſi, aiunt, illos nobis
Citius prodideris,
Noſtro ſcias iugulandum
Te iam fore gladio,
Tam quòd abnuis hæc nobis,
Quàm quòd es Chriſticola.
Reſpondens ſanctus Iuſtinus,
Dixit carnificibus,
Repromittit quidem ſanctum
Nobis Euangelium,
Vt qui propter Chriſtum ſuam
Animam perdiderit,
In uitam æternam uerè
Eandem cuſtodiat:
Et idcirco pœnas pati

Pro illo



Pro illo non timeo,
Dilectu eius malens mori,
Quàm offenſe uiuere.
Quod uerò iubetis à me
Prodi meos compares,
Nihilominus hoc ſanctum
Vetat Euangelium,
Ipſo Domino monſtrante
Quòd hoc nollet fieri.
Nam quando in paſsione,
Quam pro nobis pertulit,
Suos ipſe eſt exactus
Prodere diſcipulos,
Minimè eorum delator
Voluit exiſtere:
Et cum comprehenderetur
A perſecutoribus,
Præcepit ut ſinerentur
Abire diſcipuli:
Ne quenquam ut iam prædixit,
Ex eiſdem perderet.
Nunc itaq; noueritis,
Neutrum me facere,
Vt uel Chriſti nomen ſanctum
Metu mortis abnegem,
Socios'ue meos prodam
Contra Euangelium.
Aduerſum hæc documenta
Iraſcuntur nuncij,
Mutuoq; adhortatu
Necem ſancto præparant,
Quos uel parum expectare
Vetat iracundia.
Itaq; euaginato
Demum unus gladio,
Amputauit caput eius
Cæteris hortantibus:
Sic cum gloria & laude
Martyr cœlos ſubijt,
Duplici proprietate
Duplex habens brauium,
Quòd & in confeſsione
Chriſti perdurauerit,
Et uſq; ad mortem ſuos
Proximos dilexerit:
In ipſo præceptis Chriſti
Delectatus dulcibus,
Quòd nos iuſsit ante illos
Nihil fore timidos,
Qui occidunt corpus iſtud,
Textum uenis languidis.
In hoc à ſancto Iohanne
Suaſus apoſtolo,
Qui ſicut Chriſtus pro nobis
Animam poſuerat,
Sic dicit & nos debere
Facere pro fratribus.
Proindead declarandum
Quantæ eſſet gloriæ,
Idem uenerandus martyr
Occiſus pro Domino,
Glorioſum demonſtratur
Protinus miraculum.



Amputato enim eius
Sacroſancto capite,
Corpus truncum hoc in ſuis
Manibus accipiens,
Ante ſuimet lictores
Steterat immobile:
Cuius mox obſtupefacti
Terrore prodigij,
Fugiunt perſecutores,
Non auſi ſubſiſtere,
Cum ſanctum uiderent tantum
Facere miraculum.
Parentes uerò ipſius
Egreſsi de latebris,
Vident ſanctum corpus eius
Conſiſtens immobile,
Miratiq; quod abſciſum
Caput ferret manibus.
Varia in mente uerſant
De eius martyrio,
Dum talis ei gaudere
Cenſuiſſet gloria,
Et rurſum flere de illo
Natura ſuggereret:
Maximè tamen de illo
Fiunt inde anxij,
Qua ſepeliendum eſſet
Sacratum corpuſculum:
Mutuaq; inde ſibi
Conferunt colloquia.
Quæ cum agerent, diuerſa
Motione animi
Caput beati Iuſtini,
Quod geſtabat manibus,
Mirum dictu, cœpit illos
Abſolutè alloqui:
Et docens de ſepultura
Sui eos corporis,
Euntes, inquit, ad locum
Qui Lupera dicitur,
Atq; meum ſepelite
Ibidem corpuſculum:
Matri uerò meæ caput
Hoc meum aduehite,
Vt naturalem affectum
In illud exhibeat,
Et amoris mei ſecum
Iſtud pignus habeat:
Ipſa uerò ſi tenetur
Mei deſiderio,
Studeat in paradiſo
Me locatum ſubſequi,
Vbi animæ ſanctorum
Quieſcunt feliciter.
Tunc illi, ut ſanctus martyr
Iuſtinus præceperat,
Condientes corpus eius,
Ibi ſepelierant,
Vbi ipſe locum ad hoc
Signauit ex nomine:
Caput uerò eius, matri
Ipſius attulerant:
Quòd illa gaudens ſuſcepit,


Deo

Deo agens gratias,
Quia innocentem eius
Animam aſciuerit:
Tibi dicens Chriſte;honor,
Laus & iubilatio:
Quia dignatus es iſtum
Puerum aſſumere,
Et aſſociare tuis
Beatis martyribus.
Attu beate Iuſtine,
Fili mi dulciſsime,
Qui Chriſti regnum intraſti
Cum palma uictoriæ,
Ibi mei memor eſto
In tuis ſuffragijs.
Hæc ipſius genitrice
Orante cum lachrymis,
Mox reſplenduit lux ingens
Super habitaculum,
In quo ſanctum caput eius,
Habebatur poſitum.
Hæc autem lux circumquaq;
Cuncta illuſtrauerat,
Ita ut admirarentur
Qui in urbe aderant:
Erat autem nox,cum iſtud
Fieret miraculum.
In illis diebus ſedem
In Autiſiodoro
Rexerat epiſcopalem,
Amator uir Domini,
Quem diuinorum ornabant
Munera chariſmatum.
Hic dum cælitus emiſſum
Splendorem conſpiceret,
Ire ad domum Matthæi
Iuſsit tres presbyteros,
Qui de ipſo ſtudioſe
Portento inquirerent.
Quibus omnia Matthæus
Retulit per ordinem,
Vt ſe de ſancto Iuſtino
Res geſta habuerat:
Vel de paſsione eius,
Vel ſepulto corpore:
Subiungit & de allato
Matri eius capite,
Qualiter lux de cœlo
Hora noctis tertia
Domum ipſam,in qua erat,
Omnem illuſtrauerit.
Hæc presbyteri ad ſuum
Referunt pontificem,
Qui adeſſe omnem clerum
Protinus præceperat:
Gratias omni potenti
Agunt pro miraculo.
Deniq; clarificatur
Hoc factum per populum:
Concurrunt omnes gaudentes,
Martyrem glorificant,
Immò Dominum,qui illum
Sic mirificauerat.
Interim iubente ſancto
Amatore præſule,
Caput ſanctum collocatum
Condignè in feretro,
Cum honore atq; hymnis
Fertur ad eccleſiam:
Et in loco,quem parauit
Sibimet epiſcopus,
Ibi illud ueneranter
Recondi prouiderat:
Vbi plura martyr ſanctus
Præſtat beneficia.
Nam ad comprobandam eius
Cum Deo potentiam,
Sacro capiti dum dignas
Celebrant exequias,
Puella quæ cæca uenit,
Clarè uidens redijt:
Quæ cum eſſet in ætate,
Habens annos ſedecim,
Inter martyris delatum
Veniens obſequium,
Adiuua,inquit,beate
Martyr Chriſti,adiuua,
Vt uiſum diu negatum
Tuo patrocinio,
Domino Chriſto præſtante
Adipiſci merear,
Quo laudetur nomen eius
In tuo martyrio.
Dixit,atq; coram omni
Populo,continuò
Reſtituto,ut petebat
Oculorum lumine
In glorificatione
Martyris tripudiat.
Iterum plebs omnis gaudens,
Gratias congeminat,
Laudem dicens Saluatori
Ieſu Chriſto Domino,
Cui ſit honor & poteſtas
Per æterna ſecula,Amen.

IVSTINI MARTYRIS, FINIS.

# Martyrologium.

## MENSIS IANVARIVS HABET DIES XXXI. LVNAM TRICESIMAM.

## CALEND. IANVARII.

CIRCVNCISIO Domini noſtri Ieſu Chriſti ſecũdum carnem, & octaua Dominici natalis. Romæ natale ſancti Almachij martyris, qui iubente Alypio urbis præfecto,cum diceret,Hodie octauæ Dominici diei ſunt: ceſſate à ſuperſtitionibus idolorum, & ſacrificijs pollutis:hac de cau





ſa captus,& à gladiatoribus occiſus eſt. Itẽ Romæ ſanctæ Martinæ uirginis,quæ ſub Alexandro imperatore, poſt multa tormẽta gladio eſt occiſa. Eodem die apud Spoletum ciuitatem Thuſciæ,ſancti Cõcordij martyris,qui poſt plurima tormenta decollatus eſt. Item Romæ uia Appia coronæ militum triginta. Apud Affricã natale ſancti Fulgentij, epiſcopi Ruſpenſis eccleſiæ,cuius uita uirtutibus plena habetur. Apud Alexandriam ſanctæ Eufroſinæ uirginis. Ipſo die ſancti Paragodæ, ſeptimi Viennẽſis epiſcopi. Itẽ ſancti Baſilij epiſcopi, & ſancti Eugendi abbatis.

B. IIII. NON. IANVARII.

NAtale beati Macharij abbatis. & in Ponto ciuitate Thomis trium fratrũ: Argei Narciſsi,& Marcellini pueri, qui ſub Licinio inter tyrones comprehenſus,cum nollet militare, cæſus ad mortem,& diu in carcere maceratus, in mare merſus martyrium cõſummauit. Corpus eius ad litus delatum, & à religioſis uiris depoſitum, magnis coruſcat uirtutibus. Et ſancti Iſidori epiſcopi & martyris.

C. III. NON. IANVARII.

ROmæ natale ſancti Antherij papæ & martyris, qui uiceſimus poſt beatum Petrum, cum duodecim annis, menſe uno, diebus duodecim rexiſſet eccleſiam, paſſus eſt ſub Maximiano,& in cœmiterio Calliſti ſepultus eſt uia Appia. In ciuitate Pariſienſi ſanctæ Genouefæ uirginis, quæ à beato Germano Altiſsiodorenſi epiſcopo Chriſto dicata,admirandis uirtutibus latè claruit, & uſq; ad octoginta annos in Chriſti ſeruitute conſenuit. Eodem die ſancti Florẽtij Viennenſis epiſcopi,& martyris octaui eiuſdẽ urbis. Natale ſancti Theogenis martyris,& ſancti Petri martyris. In Thomis ciuitate natale ſancti Filij epiſcopi, qui poſt alia tormenta in mare eſt merſus.

D. PRID. NON. IANVARII.

NAtale beati Titi, apoſtolorũ diſcipuli, qui ordinatus eſt ab apoſtolo Paulo Cretenſiũ epiſcopus: cui ſcripſit epiſtolam omni eccleſiæ Dei utiliſsimam idem apoſtolus. Demum pòſt prædicationis officium fideliſsimè conſummatum, beatum finem adeptus: ſepultus eſt in eccleſia,ubi à beato apoſtolo fuerat dignus miniſter conſtitutus. Apud Affricam natale ſanctorũ,Aquilini,Gemini,Eugenij,Marciani,Quinti,Theodoti & Triphonis, præclariſsimorum martyrum,quorum geſta habentur. Eodem die Romę ſanctorum martyrum Priſci presbyteri, & Priſcilliani clerici,atq; Benedictæ religioſiſsimæ fœminæ, tempore Iuliani impijſsimi Auguſti,qui gladio martyrium compleuerunt. Itẽ Romæ beatæ Dafroſæ, uxoris beati Fabiani martyris, quæ poſt damnationẽ uiri ſui primũ relegata eſt exilio,deinde ab impio Iuliano capite iuſſa eſt puniri. & ſancti Ferrutij martyris.

E. NON. IANVARII.

ROmæ natale ſancti Teleſphori papę,qui ſeptimus poſt Petrum apoſtolum pontifex ordinatus, ſedit annos undecim, menſes tres,



dies uiginti unum. Hic conſtituit,ut ſeptẽ hebdomatibus ante Paſcha ieiuniũ celebraretur, & in natiuitate Domini noſtri Ieſu Chriſti miſſæ nocte celebrarentur, ac hymnus angelicus, id eſt,Gloria in excelſis Deo,hora ſacrificij miſſæ celebretur, illuſtreq; ad extremum ſub Hádriano principe martyriũ duxit. Item apud Antiochiam beati Symeonis monachi depoſitio, qui tertio decimo ætatis ſuæ anno, huic ſeculo abrenunciãs,monaſterium expetijt:ubi uix ſeptimo die cibum ſibi indulgens,pſalterium infra quatuor menſes didicit:poſtremò in columna,uſq; ad finem uitæ ſuæ ſtetit. Ieroſolymæ depoſitio Symeonis prophetæ,qui Dominum Ieſum in ulnis portauit.

F. VIII. IDVS IAN.

EPiphania Domini. Eodem die paſsio ſanctę Marcæ uirginis. Quã cum Riciouarus præſens torqueri,& in ignem præcipitari iuſsiſſet, illæſa permanſit. Deinde mamillis abſciſsis, & ſqualore carceris afflicta, ſup teſtas acutiſsimas & prunas uolutata,orans migrauit ad Dñm.

G VII. IDVS IAN.

RElatio pueri Ieſu ex Aegypto. Et natale ſancti Luciani Antiochenæ eccleſię presbyteri & martyris,uiri doctiſsimi atq; eloquentiſsimi,qui paſſus eſt Nicomedię, ſub perſecutione Maximini, ſepultusq; Helenopoli Bithynię. In Antiochia beati Cleri diaconi & martyris,qui poſt plurima tormenta decollatus eſt.

A. VI. IDVS IAN.

NEapoli Campanię ſancti Seuerini epiſcopi & confeſſoris,fratris beatiſsimi Victorini, clariſsimi uiri in miraculis: qui & ipſe fratris imitator,poſt multarum uirtutum perpetrationem, ſanctitate plenus quieuit:ſepultus in loco, ubi priuſquam ad epiſcopatum uocaretur, cõuerſatus fuerat. Bellouaco ſanctorũ martyrũ,Luciani & Meſsiani,& Timothei in Gręcia.

B. V. IDVS IAN.

IN Mauritania Cæſarienſi ſanctæ Marcianæ uirginis & martyris. Eodem die apud Antiochiam ſancti Iuliani martyris,& Baſiliſſæ coniugis eius. Hi itaq; ſanctiſsimo uoto caſti coniuges, aliquot annos pariter uixerũt, carnem ſuã uirginem Chriſto ſeruantes, & monaſteria de rebus ſuis inſtituerũt,ut ad decem milia monachorum pater beatus Iulianus fieret. Baſiliſſa uerò multarum uirginum mater, quarum multitudinẽ cum iam uictricem præmiſiſſet ad Dominum,ipſa conuerſatione uitæ probatiſsima, inter uerba orationis migrauit ad Dominum. Iulianus uerò poſtmodũ à Marciano præſide, per innumerabilia tormẽta, & cruciatus ad ultimum feriri iuſſus eſt,cum Antonio presbytero & Marcionella,& Celſo puero,filio eius.

C. IIII. IDVS IAN.

APud Thebaidem natale beati Pauli, primi eremitæ, qui à ſextodecimo ætatis ſuæ anno, uſq; ad cẽteſimum tertium decimum ſolus in eremo permanſit: cuius animã inter apoſtolorum & prophetarum choros ad cœlum ferri ab angelis Antonius uidit. Sancti Igini papæ,

qui ſedit Romæ annos quatuor. Hic conſtituit clerū, & diſtribuit gradus. Sepultus eſt in Vaticano, tertia idus Ian. Apud Cyprū beati Nicanoris, qui unus fuit de ſeptē primis diaconibus.

D. III. IDVS IAN.

APud Alexandriam natale ſanctorum confeſſorū, Petri, Seueri, Leucij, quorum geſta habētur. In Africa natale ſancti Saluij. In huius natali S. Auguſtinus uerbum fecit ad populū Carthagine. Eductio Domini de Aegypto.

E. PRID. IDVS IAN.

APud Achaiā natale ſancti Satyri martyris, ciuis Arabię, qui trāſiēs ante quoddā idolū, cū exufflaſſet in illud, ſignās ſibi frōtē, ſtatim corruit: ob quā cauſam decollatus eſt. Eodē die ſancti Archadij martyris, genere & miraculis clari.

F. IDVS IAN.

ROmæ uia Lauicana coronæ militum quadraginta, ſub Gallieno imperatore. Pictauis ſancti Hilarij epiſcopi & confeſſoris, qui ob catholicā fidem quadriēnio apud Phrygiā relegatus, inter alias uirtutes fertur quòd mortuū ſuſcitauerit. Apud Viēnā ſancti Veri epiſcopi, qui pręſedit eccleſię poſt ſanctū Euantiū. Treueris ſancti Agritij epiſcopi, & octaua Epiphanię.

G. XIX. CALEND. FEBR.

APud Nolam Campaniæ beati Felicis preſbyteri. Hic à Maximiano Nolanę urbis epiſcopo, presbyterij honore prælatus eſt. Qui cū multa à perfidis pro nomine Chriſti pateretur, uolentibusq; omnibus eiuſdem urbis, ut epiſcopus leuaretur, non conſenſit: ſed alterum eligēs ad pontificatus honorem, ipſe duodecim poſt annos, ceſſante perſecutione, Dominica die myſterijs confectis, data pace omnibus ſe in pauimentum oraturus proiecit: moxq; beati uiri anima de carnis ergaſtulo egreſſa, felicia regna ipſe uerè felix conſcendit: ſepultusq; eſt iuxta urbē ab Helpidio ſancto presbytero, in loco qui dicitur Pincis, ubi claris fulget uirtutibus. Apud Viēnam ſancti Cadeoldi epiſcopi.

A. XVIII. CALEND. FEBR.

ABacuc & Micheæ prophetarum, quorum corpora ſub Arcadio imperatore diuina reuelatione reperta ſunt. Item beati Macharij abbatis, diſcipuli beati Antonij, uita & miraculis celeberrimi. Ipſo die beati Iſidori, in ſanctitate uitæ, fide, ac miraculis præclari. Apud Bituricas ciuitatem, translatio ſancti Sulpicij epiſcopi & confeſſoris, qui à pueritia ſacris literis eruditus, & ſanctæ conuerſationis luce cōſpicuus, etiam laicus uirtutibus claruit: poſt etiā coma depoſita monachorum pater extitit, atq; inde ad epiſcopalem prouectus cathedram, uita clarus quieuit. Et ſancti Mauri abbatis.

B. XVII. CALEND. FEBR.

ROmæ uita Salaria in cœmiterio Priſcillæ, natale ſancti Marcelli papæ: qui iubente Maximiano imperatore, primò fuſtibus cæſus, & à facie eius, quem corripiebat, expulſus eſt. Hic fecit cœmiteria in uia Salaria, & uigintiquinq; titulos in urbe Roma cōſtituit, propter baptiſmum & pœnitentiam multorum, qui cōuertebantur ex paganis, & propter ſepulturas martyrum. Poſt multos itaq; annos in ſeruitio Dei indutus cilicio defunctus eſt, & cōditus aromatibus à Iohanne presbytero, & beata Lucina, ſepultus eſt in cœmiterio Priſcillæ. Apud Arelaten ſancti Honorati epiſcopi, cuius uita doctrina & miraculis illuſtris refulſit. Et ſancti Furſei confeſſoris.

C. XVI. CALEND. FEBR.

IN Aegypto apud Thebaidem beati Antonij monachi, qui ſine ulla ſciētia literarū ſcripturas diuinas & memoriter audiēdo intellexiſſe, & prudēter cogitādo tenuiſſe prædicatur, multorumq; monachorū pater uita pręclariſsimus uixit: cuius corpus ſub Iuſtiniano imperatore diuina reuelatione repertū, Alexādriā delatū eſt, & in eccleſia beati Iohannis baptiſtæ humatū. Apud Lingonas natale ſanctorū geminorū Speuſippi, Eleoſippi, & Meleoſippi. Qui cum eſſent uiginti quinque annorum, cum auia ſua Leonilla, & Lonella & Neone, martyrio coronati ſunt, tēpore Aureliani imperatoris: Gemini quidē in una arbore ſuſpenſi, ligatis manibus ſurſum, pedibus uerò deorſum ita extēti, ut pene putarentur ab ipſa membrorū cōpage ſeparari: & poſt hæc in ignē præcipitati, nec tñ læſi, inter uerba orationū ſimul migrabāt ad Dñm.

D. XV. CALEND. FEBR.

CAthedra ſancti Petri apoſtoli, qua primùm Romæ ſedit. Eodē die natale ſancti Publij Athenarū epiſcopi, qui princeps inſulę Mileti, cum nauigantē beatū apoſtolū Paulū Romā, ſub cuſtodia detentū, per triduū hoſpitio receptū, humanè tractaſſet (ut beatus Lucas refert) patrē ipſius Publij contigit febribus & dyſentēria uexatū iacere: ad quē cum intraſſet beatus Paulus, & impoſuiſſet illi manus, & oraſſet, ſanauit eum. Quē Publiū adhærentē ſibi beatus Apoſtolus poſtea ordinatū epiſcopū, ad prædicandū direxit: & præclarus uirtutibus, & doctrina præfulgens, ob Chriſtū martyrio glorioſe coronatur. Nā prius Dionyſius, inde Publius iſte Athenis præfuit. Ipſo die natale ſanctæ Priſcæ uirginis & martyris. Et in Ponto natale ſanctorum martyrū, Moſei & Ammonij: qui cum eſſent milites, primò ad metalla deputati, nouiſsimè igni ſunt traditi.

E. XIIII. CALEND. FEBR.

IN Smyrna natale ſancti Germanici martyris. Qui cum primæuæ ætatis uenuſtate floreret, per gratiā uirtutis Dei metū corporeę fragilitatis excludens, ſpontè præparatā ſibi beſtiā damnatus à iudice prouocabat: eius dentibus comminutus, uero pani, id eſt, Domino Ieſu Chriſto moriēs, pro ipſo meruit incorporari. Eodē die ſancti Pōtiani martyris. Ipſo die natale ſanctorum Marij & Marthæ, cum filijs ſuis, Audiface & Abacuc, nobilium de Perſida, qui ad orationē uenerūt Romā tempore Claudij principis: e quibus poſt toleratos fuſtes, equuleum, ignes, ungues, manuū præciſionem, Martha in puteum proiecta necata eſt, cæteri ſunt decollati, & aliorum plurimorum.

F. XIII.



F. XIII. CALEND. FEBR.

ROmę Fabiani epiſcopi: qui cum quatuordecim annos, mēſes undecim, dies duodecim eccleſiæ præeſſet, paſſus eſt martyriū, tempore Decij, & in cœmiterio Calliſti ſepultus. Hic regiones diuiſit diaconibus, & fecit ſeptē diaconos, qui ſeptē notarijs præeminerent, ut geſta martyrū in integrum colligerent. Eodē die ſancti Sebaſtiani martyris, qui in tantū carus erat Diocletiano & Maximiano imperatoribus, ut principatū ei primæ cohortis traderēt. Quem Diocletianus ubi Chriſtianū cognouit, iuſsit ligari in medio cāpo, quaſi ſignū ad ſagittā, & ſagittari à militibus. Qui cū ſagittis plenus, quaſi hericius ſtaret, putantes eum mortuū, abierūt. Nocte autē ueniens quędā mulier, nomine Hirene, tollere corpus, inuenit eum uiuū, & adduxit in domū ſuam, & curā eius egit: qui ubi conualuit, multos in fide cōfortauit. nec mora, ipſis imperatoribus apparens, hos pro ut digni erāt, corripuit. Tunc iuſsit eum Diocletianus in hippodromum palatij duci, & fuſtigari donec deficeret: quē mortuū, in cloacā maximā miſerunt. Sed ille apparuit in ſomnis ſanctæ matronæ Lucinæ, dicēs, Iuxta circū inueniēs corpus meum pendens in unco, hoc ſordes nō tetigerunt: & dum leuaueris, perduces ad Catacundas, & ſepelies me in crypta, iuxta ueſtigia apoſtolorū. q ipſa nocte ueniēs cū ſeruis, totū ita cōpleuit.

G. XII. CALEND. FEBR.

NAtale beatiſsimæ Agnetis uirginis & martyris, quæ tertiodecimo ætatis ſuæ anno, in urbe Roma paſſa eſt. Hęc dum ab ſcholis reuertitur, à præfecti filio adamatur: quā cum nullo modo ſibi aſſociare ualuiſſet, poſt multa tormēta in gutture eius gladio percuſſa eſt. Paſſa eſt autē beata Agnes ſub præfecto urbis Simphoriano, uicario eiuſdem urbis Aſpaſio. In Hiſpania ciuitate Tarracona natale ſanctorum Fructuoſi epiſcopi, Auguli & Eulogij diaconorū, qui tēpore Gallieni ſub Aemyliano pręſide primò in carcerē truſi, deinde flammis iniecti, exuſtis uinculis, manibus in modū crucis expāſis, orantes ut urerentur, obtinuerūt, & mox unus è fratribus & filia præſidis, quæ aſsiſtebat, uiderunt ſanctorū animas cœlū conſcendere coronatas. Apud Trecas ſancti Patrocli martyris.

A. XI. CALEND. FEBR.

IN Hiſpanijs natale ſancti Vincētij diaconi & martyris, qui cū Valerio epiſcopo ſuo à Cæſarauguſta ciuitate Valentiā uſq; grauibus nexus catenis, iubente Daciano, perductus eſt, ibiq; fame & ſqualore carceris diu maceratus, tormentis equulei, & ungularū horrenda laceratione uexatus, etiam grabato ferreo diutiſsimè uſtulatus, aruinæ guttis, & crepitante ſale perfuſus eſt: poſt hęc in teterrimum carcerē truſus, diuaricatis in neruo cruribus, ſuper acutiſſima teſtarum fragmēta proiectus eſt: ubi nocte lux ingēs apparuit, & uirtute Dei ſolutus martyr inter angelos, à quibus uiſitari meruit, hymnum canebat, ita ut ipſe cuſtos crederet. Mane autē facto, cum iuſsiſſet eum Dacianus in lecto molliſsimo reclinari, ut aliquantulū recreatus acrius denuò torqueretur, infatigabilē ſpiritū Chriſto reddidit. Tūc Dacianus corpus eius in cāpū feris & auibus iuſsit exponi: ſed mox coruus diuinitus ad cuſtodiā eius datus, nō ſolum alias aues arcebat, ſed & immanē lupū à ſancto corpore repulit. Quod cum nunciatū Daciano eſſet, iuſsit eum inſutū culeo, in profundū maris cum grauiſsimo ſaxi pondere immergi: ſed prius uirtute Dei ſuper undas natās ad litus delatus, & harenis cōditus eſt, quàm remiges portum tangere potuiſſent. Inde cū ſe ſanctus martyr cuidā fideli anui Ionicæ reuelaſſet, ceſſante perſecutionis rabie, à Chriſtianis reuerenter ſublatus, & in baſilica conditus eſt. In Gallijs ciuitate Ebreduno, ſanctorū martyrū, Vincentij, Orontij & Victoris. Romę ad Aquas ſalinas natale ſancti Anaſtaſij monachi, & martyris de Perſida, qui poſt plurima tormēta carceris, uerberum & uinculorū, quæ in Cæſaria Palæſtinæ perpeſſus fuerat, à Perſis poſtremò in Perſide multa pœna affectus, atq; ad ultimum decollatus eſt à rege eorū Choſroe, cū alijs ſeptuaginta. Reliquiæ corporis eius prius Hieroſolymis ad monaſteriū ſuū, deinde Romā delatæ, uenerantur in monaſterio beati Pauli apoſtoli, quod dicitur ad Aquas ſalinas: & ſancti Vincentij presbyteri & martyris.

B. X. CALEND. FEBR.

ROmæ ſanctę Emerentianę uirginis & martyris, quæ erat collactanea ſanctæ Agnetis: & dum oraret ad ſepulchrum eius, ut eam à gētiliū lęſione defenderet, lapidata eſt ab eis. Et in Mauritania, ciuitate Neocęſareæ, natale S. Seueriani, & Aquilæ uxoris eius, ignibus combuſtorum: & in Philippis beati Parmenæ diaconi, qui unus fuit de ſeptem diaconibus. Qui traditus gratię Dei à fratribus, iniunctum officium prædicationis plena fide conſummauit, martyrij gloriam adeptus, Philippis quieuit.

C. IX. CALEND. FEBR.

APud Epheſum natale ſancti Timothei diſcipuli beati Pauli, qui apud Epheſum à beato Apoſtolo epiſcopus ordinatus, poſt multos ꝓ Chriſto agones dormiuit: cuius corpus cum reliquijs beati Andreæ & Lucæ uiceſimo Conſtātij anno Cōſtantinopolim translatū eſt. Apud Antiochiā ſancti Babylæ epiſcopi, qui perſecutione Decij, poſteaquā frequēter paſsionibus ſuis & cruciatibus glorificauerat Dominū, glorioſæ uitæ finē ſortitus eſt in uinculis. de quo in decimo eccleſiaſticæ hiſtoriæ libro grande narratur miraculū. Nam cum Iulianus imperator ad idolorum cultū conuerſus, quodā tempore Daphnis in ſuburbio Antiochię iuxta fontem Caſtalium litaret Apollini, & nulla ex his quæ quærebat, reſpōſa ſuſciperet, cauſasq; ſiletij percontaretur à ſacerdotibus, reſponderūt dæmones, Babylę martyris ſepulchrum propè aſsiſtere, & ideo reſponſa non reddi. Tunc ille uenire Galilæos (hoc enim nomine noſtros appellare ſolitus erat) & auferre ſepulchrum martyris iubet. Mox igitur Chriſtiani cōuenientes magna

exultatione ſuccincti, ſuſtulere arcã martyris, & pſallentes in aurib. profani principis, per ſex milia paſſuũ ſummis uocib. & cũ exultatione dicebant, Confundãtur omnes, qui adorãt ſculptilia, & qui gloriantur in ſimulachris ſuis. Et Neocæſaria ciuitate natale ſanctorũ martyrũ, Martioni, Muſonij, Eugenij, Mitelli, qui igni traditi ſunt, & reliquiæ eorũ in Axiũ fluuiũ diſperſæ. Et natale triũ paruulorũ, Vrbani, Prilidani & Eupoloni.

D. VIII. CALEND. FEBR.

COnuerſio ſancti Pauli. Eodẽ die ſancti Ananiæ apud Damaſcũ, qui beatũ Paulũ baptizauit. Apud Gabilonẽ ciuitatẽ ſancti Seueriani epiſcopi, mirãdæ ſanctitatis & doctrinæ uiri: item natale Præiecti Aruernẽſis epiſcopi, & natale ſancti Gregorij theologi.

E. VII. CALEND. FEBR.

NAtale ſancti Polycarpi beati Ioãnis apoſtoli diſcipuli, qui ab eo Smyrnę epiſcopus ordinatus, totius Aſiæ princeps fuit: & poſt dira tormenta ad ultimũ poſitus in medio rogo, mucrone perfoſſus, tã largus profuſus eſt ſanguis, ut ignẽ extingueret. Paſsi ſunt cũ eo & alij duodecim ex Philadelphia ueniẽtes. Tũc etiã Germanicus, athleta Chriſti inſignis, glorioſo martyrij agone translatus eſt. nã cum à iudice damnatus fuiſſet ad beſtias, ultrò ſibi præparatã beſtiã prouocauit, deſpiciẽs tẽporalẽ mortẽ, & coronã uitæ æternæ ueloci fine adipiſci deſiderãs. Eodem die natale ſancti Theogenis martyris, & aliorum ſex. Apud Bituricas ciuitatem, ſancti Sulpitij epiſcopi & confeſſoris.

F. VI. CALEND. FEBR.

NAtale ſancti Ioannis epiſcopi Conſtãtinopolitani, cognomẽto Chryſoſtomi, qui uerbo atq; exẽplo plurimũ profuit Chriſtianæ religioni. Itẽ beati Mauri abbatis monaſterij Bobacenſis. Et apud Bethleẽ Iudeæ dormitio beatę Paulę matris Euſtachij uirginis Chriſti. Quę cũ eſſet è nobiliſsimo ſenatorũ genere, abrenũcians ſeculo, & opibus ſuis in pauperes erogatis, Chriſti cõſecuta eſt paupertatẽ, & apud prę fatum oppidũ Dominica natiuitate glorioſum monaſterij uirginalis extitit mater. Huius uitã uirtutibus admirandã S. Hieronymus ſcribẽs, teſtatur eam longo coronatã eſſe martyrio. Et ſanctorum Doti, Iuliani, Vincentij & aliorũ 27.

G. V. CALEND. FEBR.

NAtale ſanctæ Agnetis ſecundò. Et in ciuitate Apollonia, Leucij, Tyrſi, Calenici martyrũ, qui tẽpore Decij imperatoris ſub prę ſidibus Cũbritio, Syluano & Baudo, diuerſis tormẽtorũ generibus excruciati. Primus & ultimus abſciſsiõe capitis, medius cœleſti uoce euocatus, ſpiritũ reddẽs martyriũ cõſummauerunt, & in Chriſto quieuerunt. Apud Alexandriam beati Cyrilli epiſcopi, qui catholicæ fidei præclariſsimus extitit propugnator. Et in monaſterio Leomanenſi Ioannis presbyteri, uiri Dei.

A. IIII. CALEND. FEBR.

ROmæ natale Papiæ & Mauri, militũ, tẽpore Diocletiani, qui uidẽtes conſtantiã Saturnini & Siſinij martyrum, conuerſi ſunt ad fidẽ, statimq; iuſſum eſt à Laodicio urbis præfecto, ut os eorũ, qui Chriſtũ cõfitebantur, cũ lapidibus contũderẽtur, & retruderentur in carcerẽ: ubi baptizati ſunt à beato papa Marcello, quos poſt dies duodecim eductos iuſsit ſterni in terrã, & fuſtibus cædi: deinde leuatos de terra plumbatis cędi, donec expirarẽt. Quorũ corpora colligẽs nocte Ioãnes presbyter, ſepeliuit uia Numẽtana ad nymphas beati Petri, ubi baptizabat. Scriptũ eſt in geſtis beati papę Marcelli. Treueris depoſitio beati Valerij epiſcopi, diſcipuli ſancti Petri apoſtoli.

B. III. CALEND. FEBR.

APud Antiochiã paſsio S. Hippolyti, q Nouati ſchiſmate aliquãtulũ deceptus, operãte gratia Chriſti correctus, ad charitatẽ eccleſię rediјt, ꝑ qua, & in qua, poſtea illuſtre martyriũ cõſummauit. Hieroſolymis beatiſsimi Mathię epiſcopi, de quo mira & fide plena geſta narrãtur, qui multa pro Chriſto perpeſſus, ultimò in pace uitã finiuit, qui octauus poſt Iacobũ rexit eccleſiã. Itẽ beati Alexãdri. Hic Deciana perſecutione pro cõfeſsione fidei iudicijs ſiſtitur, & uinculis carceris traditur. Qui cũ longæuæ ętatis uenerãda canicie præfulgeret, poſtq́ frequẽter paſsionibus ſuis glorificauerat Dñm, cũ de uinculis ad tribunali, & à tribunalibus reuocaretur ad uincula, inter ipſa uiciſsim ſibi ſuccẽdentia tormenta bono fine quieuit. In Albodio monaſterio natale Aldegundæ uirginis, quæ tẽporibus Dagoberti regis Francorũ ex nobili genere progenita, uirginitatis propoſitũ elegit, in quo & permãſit, ſæpiusq; illi angelica uiſio reuelata fuit, exhortans eã, ut in ꝓpoſito permaneret. nouiſsimè uerò cum magna claritate cœleſtis luminis ad uitam migrauit æternam.

C. PRID. CALEND. FEBR.

APud Alexandriã natale S. Methrani martyris, quẽ pagani correptũ iubent impia uerba proferre. Quod illo recuſante, omne corpus eius fuſtibus colliſerunt, uultumq; & oculos acutis calamis terebrantes, extra urbem cũ cruciatibus expulerunt, ibiq; quod in eo ſupererat ſpiritus lapidibus eiecerunt. Item Saturnini, Thyrſi & Victoris. & apud Tridentinam urbẽ, beati Vigilij epiſcopi & martyris: & natale ſanctorũ, Rarſi, Zotici, Ammonini, & Publij.

FEBRVAR. HABET DIES XXVIII.

*Lunam XXIX. In biſſextili anno dies XXIX.*

D. CALEND. FEBR.

APud Antiochiam paſsio ſancti Ignatij epiſcopi & martyris. Apud Smyrnam ſancti Pionij martyris, qui perſecutione Antonini Veri, poſt inſuperabilem reſponſionum conſtantiam, & ſqualorẽ carceris, ubi multos fratrũ ad martyrij tolerantiã ſuis exhortationib. roborauit, ad ultimũ cruciatibus multis uexatus, clauis confixus, & ardẽti rogo ſuperpoſitus, beatũ pro Chriſto uitæ finẽ ſortitus eſt. Paſsi ſunt cũ eo & alij 15. Eodem die beati Effrem Ediſſenę eccleſię diaconi. Apud Scotiam ſanctæ Brigidæ uirginis, cuius uita



uita miraculis claruit. Quę cum lignum altaris in teſtimoniũ uirginitatis tetigiſſet, uiride factũ eſt. Et natale ſancti Pauli epiſcopi ciuitatis Trecaſsinę, cuius & uita uirtutibus claruit, & mors ꝓcioſa miraculis cõmẽdatur. In Græcia S. Polycarpi epiſcopi, & in Rauẽna S. Seueri epiſcopi.

E. IIII. NON. FEBR.

PVrificatiò ſanctę Marię, quãdo cum infante repræſentata eſt in tẽplo. Apud Cęſareã beatiſsimi Cornelij cẽturionis, quẽ beatus Petrus baptizauit: quiq; apud præfatã urbẽ epiſcopali honore ſublimatus, quieuit. Romę ſancti Aproniani martyris, qui ſub perſecutione Maximiani imperatoris, cũ præſentaſſet aſpectibus Laodicij præfecti beatũ Siſinium diaconũ eductum de carcere (erat enim Commentarienſis) & ſubitò factã lucẽ uidiſſet, uocemq; pariter audiſſet, tremefactus cecidit ad pedes Siſinij diaconi, dicens, Adiuro te per Chriſtũ quẽ confiteris, ne tardes me baptizare, faciasq; me pertingere ad coronã. Quẽ beatus Siſinius baptizatum, ad conſignandum ſacro chriſmate Marcello papę obtulit. Quo præfectus cõperto, iuſsit eũ capitalẽ ſubire ſententiã. Perductus eſt itaq; uia Salaria miliario ſecundo, & truncatus capite, martyr uictorq; deceſsit. Aurelianis depoſitio Siccarię uirginis deo ſacratę. In foro Sẽpronij ſanctorũ Laurentij, Hippolyti: & natale S. Fortunati.

F. III. NON. FEBR.

APud Sebaſten ciuitatẽ Cappadociæ, paſsio ſancti martyris Chriſti Blaſij epiſcopi, qui ſub Agricola præſide capite truncatus eſt cum duobus puerulis, filijs unius mulieris de illis ſeptem, quæ per prædicationẽ eius cõfortatæ, & ſub eodem præſide ſunt martyrizatæ. Lugduni depoſitio beati Lupicini epiſcopi. Viẽnę ſancti Euentij glorioſi epiſcopi. In Africa B. Celerini diaconi & cõfeſſoris: & ſanctorũ martyrũ Celerinæ auię eius, & Laurẽtini & Ignatij: q̃rũ prior patruus, ſequẽs auũculus ipſius fuit. de q̃rũ omniũ glorioſis laudib. extat B. Cypriani epiſtola.

G. PRID. NON. FEBR.

IN ciuitate Aegypti, quę appellatur Thmuis, paſsio beati Phileæ, eiuſdẽ urbis epiſcopi: & Philoromi tribuni militũ Romanorũ, cum quibus etiam innumera multitudo fidelium, ex eadem urbe paſtoris ſui ueſtigia ſequens, perſecutione Diocletiani martyrio coronata eſt. In foro Symfronij natale Gemini, Gelaſij, Mamni, Aquilini & Donati. Item Themoij, Gelaſij.

A. NON. FEBR.

IN Patras ciuitate ordinatio epiſcopatus ſancti Andreæ apoſtoli. Apud Siciliã ciuitatẽ Cathanenſium paſsio ſanctæ Agathę uirginis ſub Quintiano conſule, tempore Diocletiani: quæ poſt alapas & carcerẽ, poſt equuleũ & torſiones, poſt mamillarũ abſciſsionẽ, ſed à Domino ſanationẽ: poſt uolutationẽ in teſtulis, & carbonibus, tandem in carcere cõſummata eſt. Viẽnę beati Auiti epiſcopi, cuius fide & induſtria atq; mirabili doctrina, tẽpore Gundobardi regis, ab infeſtatione Arianæ hæreſeos Galliæ defenſæ ſũt. & ſanctorũ Felicis, Fortunati & Saturnini.

B. VIII. IDVS FEBR.

ROmæ uia Appia in cœmiterio eiuſdẽ paſſio ſanctę Sotheris uirginis. In Cęſarea Cappadociæ natale S. Dorotheæ uirginis, & Theophili ſub Apricio pręfecto. Quæ cũ cõmendata eſſet duabus ſororibus, id eſt, Chriſtę & Caliſtę, quæ à fide nuper apoſtatarant, uictę doloribus, ut eã auerterẽt à Chriſto, eas iterũ conuertit ad Chriſtũ, ita ut in cupã miſſæ per præfectũ, incẽſæ ad martyrij palmã peruenerint. Poſtea uerò Dorothea ducta ad locũ pœnarũ, ubi & paſſa eſt, cũ à Theophilo quodã ſcholaſtico irrideretur, q̃d ad paradiſum uadẽs, à ſpõſo ſuo Chriſto roſas & mala ei mitteret: quæ ſtatim promiſit ſe eſſe miſſurã. Vbi ergo uentũ eſt ad locũ, in quo iugulanda erat, pauliſper oratione facta, protulit orariũ ſuũ, & uocato ad ſe quodã puerulo annorũ ſex, miſit Theophilo, dicẽs, Dic ei, Dorothea ancilla Dei, mittit tibi mala de paradiſo ſponſi ſui Chriſti. Is accipiẽs, & gratias agẽs, ꝙ petitionẽ eius impleſſet: cœpit ſibi faciẽ tergere, tãtaq; repentè ſuauitate perfuſus eſt, ut tota mente mutaretur: & cũ grandi exultatione & clara uoce ſæpius replicaret, Benedictũ nomẽ Dñi mei Ieſu Chriſti, ob hanc confeſsionẽ mox & ipſe tentus, ac ſuſpenſus in equuleo tãta crudelitate tortus eſt, ut omnes circũſtantes horreſcerẽt, nouiſsimè cęſo capite martyriũ conſummauit. Apud Aruernã urbẽ natale ſancti Anatholij martyris. In Gallia ciuitate Aderato, depoſitio ſancti Vedaſti epiſcopi & cõfeſſoris. Et in Ellone monaſterio depoſitio ſancti Amandi epiſcopi & cõfeſſoris. Romæ Zotici, Irenæi, Iacincti & Amantij. In Oriẽte ſanctæ Sotheris uirginis, quæ grauiter & diutiſsimè alapis cæſa, cũ centum quoq; pœnarum genera uiciſſet, gladio martyrium conſummauit.

C. VII. IDVS FEBR.

IN Britannijs ciuitate Auguſta natale ſancti Auguli epiſcopi & martyris: & ſancti Moyſetis uenerabilis epiſcopi, qui primò quidẽ in eremo ſolitariã uitã ducẽs, meritis & uirtutib. ac ſignis quę faciebat per illũ Deus, magnificè innotuit, qui poſtmodũ petẽte Manuia Saracenorũ regina, epiſcopus gẽtis illius factus, fidei catholicę cuſtodiuit intemerata cõſortia, & gentẽ cui datus fuerat epiſcopus, ex grandi parte ad fidẽ Chriſti conuertit, ſicq; in pace quieuit.

D. VI. IDVS FEBR.

ROmæ natale S. Pauli epiſcopi, & Iulij papę. Apud Armeniam minorẽ natale ſanctorũ Dionyſij, Aemiliani & Sebaſtiani. Apud Alexãdriã natale ſanctæ Cointhę martyris. Hãc pagani correptã ad idola perducẽtes, adorare cogebãt. Quæ cũ illa execrãs recuſaret, uincula pedibus eius innectentes, & per plateas totius ciuitatis eam trahentes, horrendo ſupplicio diſcerpſerunt. Et ſanctæ Helenæ reginæ.

E. V. IDVS FEBR.

IN Alexandria ſanctæ Apolloniæ uirginis, cui perſecutores omnes primũ dẽtes excuſſerũt: deinde cõſtructo ac ſuccẽſo rogo, cum cõminarẽtur uiuã ſe eã incẽſuros, niſi cũ eis impia uerba pro-

 bapro-

ba ꝓferret. At illa ut rogū uidit eſſe ſuccenſum, paululū quid intra ſemetipſam deliberans, repentè de manibus impiorū prorupit,& in ignē quē parauerant,ſpontè proſiliuit: ita ut perterrerentur etiam ipſi crudelitatis authores,quòd promptior inuenta eſt ad mortē fœmina,q̄ perſecutor ad pœnā. Sueuo apud Cyprum natale ſancti Alexandri, Ammonij. Itē Ammonis, & aliorum triginta octo.

F. IIII. IDVS FEBR.

IN Campania natale ſancti Syluiani epiſcopi & cōfeſſoris. In Bethleem ciuitate Iudææ, ſub Herode rege paſsio ſancti Andreæ Apoſtoli. Sanctonis ciuitate depoſitio ſancti Troiani epiſcopi & confeſſoris,& Baldegundis abbatiſſæ. Romæ uia Lauicana militum decem, & depoſitio ſanctæ Scolaſticæ uirginis.

G. III. IDVS FEBR.

ROmæ Calocerij & Parthemij. Lugduni ſancti Deſiderij epiſcopi & martyris. Apud Viennam ſancti Simplidis epiſcopi & cōfeſſoris. Item Alexandriæ depoſitio Eufroſinæ uirginis, quæ in monaſterio mira uirtute abſtinentiæ, & miraculis claruit.

C. PRID. IDVS FEBR.

IN Hiſpanijs ciuitate Barcinomę natale ſanctę Eulaliæ uirginis, quæ paſſa eſt tēpore Diocletiani imperatoris, ſub præfecto Hiſpaniarū Datiano: quādo ſub eodē apud Barcinomā, ſanctū Cuxupatē,& apud Gerundā ſanctū Felicē glorioſas cōſtat martyrij accepiſſe coronas. In Africa paſsio ſancti Damiani militis. In Alexandria Modeſti & Ammonij infantum: & depoſitio Simplicij epiſcopi & confeſſoris.

B. IDVS FEBR.

APud Antiochiam natale Agabi prophetæ, de quo beatus Lucas ſcribit in Actibus apoſtolorum. In Militana ciuitate Armenię natale ſancti Polyocti martyris, qui Latinè interpretatur multū orans. Et natale ſancti Gregorij papæ, qui rexit eccleſiā annos ſedecim, Leonis & Conſtantini imperatorū tēpore. Hic uir caſtus, & in diuinis ſcripturis eruditus: hic in Germania per Bonifaciū epiſcopū uerbū ſalutis prædicauit: ille quadrageſimali tempore, ut quinta feria ieiunium atq; miſſarum celebritas fieret, quod non agebatur, inſtituit. Lugduni depoſitio beati Stephani epiſcopi.

C. XVI. CAL. MARTII.

ROmę natale ſancti Valētini presbyteri, qui poſt multa ſanitatū & doctrinæ inſignia fuſtibus cęſus eſt,& ſic decollatus eſt ſub Claudio Cæſare. Eodē die natale ſancti Valentini Interamnenſis epiſcopi, qui tentus à paganis ac uirgis cæſus, poſt diuturnā cædem cuſtodiæ mancipatus, cum ſuperari non poſſet, medio noctis ſilentio eiectus de carcere, decollatus eſt iuſſu furioſi Placidi, urbis præfecti. Tunc Proculus, Ephibus & Apollonius, diſcipuli eius transferentes corpus ad ſuā eccleſiam Interamnæ urbis, noctu ſepelierunt. Vbi cum quotidianis uigilijs incubarēt, tenti à gentilibus cuſtodię ſunt traditi cōſulari Leontio; quos ille iuſsit noctis medio ſuis tribunalibus præſentari,& cū à fide reuocari, nec blandimentis nec minis poſſent, iuſsit capite cædi: qui nō longè ſunt à corpore ſancti Valentini ſepulti. Eodem die ſanctorum martyrū Vitalis, Feliculæ, & Zenonis. Apud Alexandriā ſanctorū Baſsi, Antonij, Protolici, qui immerſi ſunt mari. Item Cirionis presbyteri, Moſeos, Baſsiani lectoris, Agathonis exorciſtæ, qui omnes igni combuſti ſunt. Item Dionyſij, Ammonij decollatorum.

D. XV. CAL. MARTII.

ROmæ ſancti Cratonis martyris. Qui cū haberet filiū Cerimonē nomine ſcholaſticū, qui inciderat in ægritudinē grauiſsimā, eumq; beato Valentino epiſcopo ad ſanandū obtuliſſet, ſub tali conditione: ut ſi puer ſanaretur, ipſe cum omni domo ſua fieret Chriſtianus. ſanato puero, quod promiſerat impleuit: atq; cū uxore & uniuerſa domo baptizatus, nō multis pòſt diebus martyrio eſt conſummatus. In Gallijs ciuitate Vaſionenſe, depoſitio ſancti Quinidij epiſcopi, cuius mortē in conſpectu Domini precioſam, miracula crebra teſtātur. In Antiochia natale ſancti Ioſeph diaconi, Zenonis Interamnæ, natale ſanctæ Agapæ uirginis, Saturnini & Caſtulæ. In ciuitate Prexia ſanctorum Fauſtini & Ionitæ martyrum.

E. XIIII. CAL. MARTII.

NAtale ſancti Oneſimi apoſtoli, de quo beatus apoſtolus Paulus Philemoni familiares literas mittit. Quem beatus idem apoſtolus epiſcopum ordinans, prædicationiſq; uerbū ei committens, apud Epheſiorum ciuitatem reliquit: cui epiſcopus poſt beatum Timotheū & ipſe reſedit. Hic Romam perductus, atq; ibi per fidē Chriſti lapidatus, ſepultus eſt Chriſti martyr primùm ibi, inde ad loca, ubi fuerat ordinatus epiſcopus, corpus eius delatum eſt. Et in Cumis natale ſanctæ Iulianæ uirginis, quæ tempore Maximiani imperatoris primò à ſuo patre Africano cæſa, & grauiter cruciata, deindè & à præfecto Eleuſio, quem ſponſum habuerat, nuda uirgis cæſa,& à capillis ſuſpenſa eſt,& plumbo ſoluto capite perfuſa,& rurſum in carcerem recepta, ubi palàm cum diabolo conflixit,& rurſus euocata rotarum tormenta, flammas igniū, ollam feruentē ſuperauit, ac decollatione capitis martyriū conſummauit. Quę paſſa eſt quidē in Nicomedia, ſed poſt paucū tēpus Deo diſponente in Campaniā translata. Apud Aegyptū Iuliani, cum alijs numero quinq; milibus.

F. XIII. CAL. MARTII.

IN Babylonia natale Polycronij epiſcopi eiuſdem ciuitatis, qui præſente Decio perſecutore, ore lapidibus cæſo, manibus extenſis, oculos ad cœlum eleuans, emiſit ſpiritum. Scriptū eſt in paſsione ſancti Laurentij.

G. XII. CAL. MARTII.

HIeroſolymis beati Symeonis epiſcopi & martyris, qui traditur propinquus Saluatoris ſecundum carnem fuiſſe: conſtat tamen quia Cleophas, cuius filius iſte fuit, frater erat Ioſeph. Eodem die ſanctorum martyrum Claudij, & uxoris eius Prępedignæ,& filiorū Alexādri, & Cutiæ, & fratris Claudij beati Maximi. Qui cum eſſent præclariſsimi generis, agente fratre eorū Gabinio presbytero, baptizati ſunt à beato Gaio pontifice Romano, & poſtmodū tenti ſunt, iubēte Diocletiano à iudice impio Iulio: & Claudius quidē cū uxore ſua & filijs deportatus in exiliū, deinde incendio cōcremati odoriferū ſacrificiū martyrij Deo reddiderūt, ac ſic poſtmodum apud Hoſtiam in mare iactati ſunt, quorum reliquias Chriſtiani perquiſitas iuxta ciuitatem ſepelierunt.



A. XI. CAL. MARTII.

ROmæ ſancti Gabinij presbyteri, patris beatiſsimæ Suſannæ: qui à Diocletiano diu in cuſtodia uinculis afflictus, precioſa morte cœli gaudia comparauit. In Africa natale ſanctorū Publij, Iuliani, Marubij. Item Iuliani, Marcelli, Tuli, Lampaſi, Inauli.

B. X. CAL. MARTII.

ROmę natale Gaij papę. Et in Cypro natale Potamiæ, Nemerſi & Didymi, & alibi Victoris, martyrū & coronæ,& aliorū uiginti. Apud Tyrū, quæ eſt urbs maxima Phœnicis, natale beatorū martyrū, quorū numerū Dei ſcientia ſola colligit, quos iubēte Diocletiano Veturius magiſter militię diuerſis tormentorū generibus ſibi inuicē ſuccedentibus, occidit. Primò flagris per omne corpus martyres Dei dilaniabātur, poſt hæc tradebātur ad beſtias: adhibebātur leones, urſi, pardi, apri q̄q; & tauri: ſed à nullo horū læſi, ad ultimū gladijs peragūt, quod beſtijs nequiuerūt. Hos ducebāt, Tyrānio & Syluanus epiſcopi, qui poſtea beſtiarū morſibus martyriū cōpleuerunt. Pelenus atq; Linus epiſcopi cum plurimis clericis igne cōſumpti, Zenobius presbyter capite cæſus.

C. IX. CALEN. MART.

IN Africa natale ſanctorū Veroli, Seruoli, Secūdini, Siricij, Felicis, Saturnini, Fortunati, et aliorū ſedecim. Et depoſitio Eucherij epiſcopi. Apud Siciliā ſanctorū martyrū 79. qui ſub Diocletiano per diuerſa tormēta cōfeſsionis ſuę coronā à Chriſto ſibi paratā percipere meruerūt.

D. VIII. CAL. MARTII.

CAthedra ſancti Petri, qua ſedit apud Antiochiā, ubi & primū cognominati ſunt diſcipuli Chriſtiani. Apud Alexandriā, Abilij epiſcopi, q poſt beatū Marcū ſecundus epiſcopus, tredecim annos ſacerdotiū miniſtrauit. In Ierapoli ſancti Papiæ epiſcopi, auditoris Ioānis apoſtoli. Viēnæ ſancti Paſcaſij epiſcopi & cōfeſſoris. Itē beati Ariſtionis, qui fuit unus de 72. diſcipulis Chriſti. In Nicomedia natale ſanctę Teclę uirginis, diſcipulæ ſancti Pauli apoſtoli, quę ſub Nerone imp. pro Chriſti nomine igni eſt tradita, ſed nō exuſta: poſtea ſerpentibus atq; beſtijs deputata, ſed à nullo eorū eſt læſa: ad extremū uerò in Seleucia cū uirginitatis martyrio atque uirtutum honore per ſomnum pacis migrauit ad Dominum. Romæ uia Tiburtina ad ſanctū Laurentium natale ſanctæ Concordiæ, quam Deciana perſecutio trucidauit.

E. VII. CAL. MARTII.

IN Pannonijs natale ſanctorū Seroneti, Antigonij, Rutuli, Libi. Ipſo die ſancti Polycarpi presbyteri & cōfeſſoris, qui cū beato Sebaſtiano plurimos ad fidem Chriſti cōuertit, atq; ad martyrij gloriā cohortādo perduxit. Apud Sirmiū natale ſancti Syreni monachi, qui tempore Maximiani imperatoris, cū unus ex domeſticis eius uxorē, hora incōgrua in horto, quē ipſe ſibi excolebat, deambulantē, acrius increpādo repuliſſet, iubēte Maximiano tētus,& Chriſtianū ſe eſſe cōfeſſus, capite cæſus eſt. Itē aliorū 62. q ibidē paſsi ſunt. Et uigilia S. Matthię apoſtoli.

F. VI. CAL. MARTII.

NAtale ſancti Matthiæ apoſtoli, q de ſeptuaginta diſcipulis, pro Iuda traditore ab apoſtolis electus, ſorte in apoſtolatū ſubrogatus, in Iudæa Chriſti Euangeliū pręedicauit. Et inuētio capitis pręcurſoris, tēpore Marciani principis, quando idē præcurſor duobus monachis aſsiſtēs præcepit, ut ad Herodis quondā regis habitaculū accedentes, caput ſuū ibi requirerēt,& inuentū digno honore reconderēt: quod ab eis inuentū & aſſumptū, ſed non multo pòſt culpa incurię perditū. Perlatū eſt Emeſſam ab alijs,& in quodā ſpecu in urna ſub terra nō pauco tēpore ignobiliter reconditū eſt: donec denuò ſeſe ſuūq; caput oſtēdit Marcello cuidam religioſo presbytero, dum in eo ſpecu habitaret. Ex quo tēpore cœpit in eadē ciuitate beati pręcurſoris decollatio ipſo die q̊ caput inuentū ſiue eleuatū eſt celebrari. Apud Cęſareā Cappadocię natale B. Sergij martyris, cuius geſta ꝑclara habentur.

G. V. CAL. MARTII.

APud Aegyptū natale ſanctorum Victorini, Victoris, Nicofori, Claudiani, Dioſcori, Serapionis: & Papiæ ſub Numeriano, agēte Sabino duce. Quorū primus in pilā ex robore cauā,& undiq; circumforatā miſſus, ac per ſingula foramina diutiſsimè tranſpunctus,& cum nimius ſanguis efflueret, eductus, è pila capite cæſus eſt. Secundus manibus ac pedib. amputatis, in eandē pilam miſſus, prioris tormēta ſuſtinuit,& nouiſsimè gladio cæſus eſt. Tertius cū ultro in pilā fuiſſet ingreſſus, indignatus iudex iuſsit eū inde produci,& ſuper craticulā prunis ſubſtratā aliquantiſper aſſari & inuerti. Cumq; in confeſsione perſiſteret, ſublatus inde minutatim gladio cōciſus ſpiritū reddidit. Reliquorū quatuor Claudianus & Dioſcorus, flāmis incenſi, Serapion & Papias gladio conſummati ſunt. In Africa natale ſanctorū Donati, Iuſti, Rotuli, Herenæ, Piſionis, Pamphili, Neſtoris, & Caſtæ, & ſanctæ Vualpurgæ uirginis.

A. IIII. CAL. MARTII.

IN ciuitate Pergen Pamphyliæ, natale ſancti Neſtoris epiſcopi, qui ſub perſecutione Decij cum die noctuq; orationi inſiſteret, poſtulās ut grex Chriſti cuſtodiretur: cōprehēſus à quodā Irenarcho principe ciuitatis, oblatus eſt pręſidi Pollioñi. Et cū nomē Chriſti cōfiteretur, deos gētiū dęmonia memoraret, iuſſus eſt à pſide crudeliſsimè torqueri. pręſes uerò ſtupēs ſup tolerātiā

eius

eius dixit ei, Vis nobiſcum eſſe, aut cum Chriſto tuo? Cui ſanctus Neſtor cũ gaudio magno reſpondit dicens, Cum Chriſto meo & eram, & ſum, & ero. Tunc præſes dictauit ſententiam, ut qui Chriſtum crucifixum fateretur, tanquã deuotus Deo ſuo, crucifixus ſolueretur à uita. Ille gratias agẽs Deo, cum iam affixus eſſet patibulo, docebat populum Chriſtianum ut in fide perſiſterent. Poſt hæc petẽs omnes ut genua flectentes cum eo orarent: expleta oratione, cũ dixiſſent omnes Amẽ, reddidit ſpiritum. Eodẽ die beati Alexandri, Alexandrinæ ciuitatis epiſcopi, glorioſi ſenis, qui poſt beatum Petrũ, Arium presbyterũ ſuum, hæretica impietate deprauatum, & diuina ueritate conuictum, de eccleſia eiecit. Item ſanctorum Theonis, Opion, Iuſti, Donati, Ampliati, Ingenij.

B. III. CALEND. MARTII.

APud Hiſpaniam, in ciuitate Hiſpali, natale ſancti Leandri epiſcopi, ad quẽ beatus Gregorius libros moralium ſcripſit, cuius prædicatione & induſtria tota Viſigothorum gens ab Arriana impietate conuerſa eſt. Eodem die in Alexandria natale ſancti Iuliani martyris. Qui cum ita podagra eſſet conſtrictus, ut neq; incedere neq; ſtare poſſet, in ſellula iudici offertur, cum his qui eum portabant, quorum unus negauit, alter nomine Eunus, cum Iuliano ſene in confeſsione Chriſti perdurat. Quiq; iubente iudice camelis impoſiti, & per totam circumducti urbem, & flagris hinc inde inſpectãte populo laniati ſunt, uſquequo finẽ ipſis uerberibus ſortirentur. Apud Lugdunum ſancti Baldimeris uiri Dei. In Theſſalonica natale Alexandri, Androgoni, Abũdantij. In Affrica Dionyſij, & aliorum uigintiquatuor.

C. PRID. CALEND. MARTII.

IN territorio Lugdunenſi locis uirẽtibus beati Romani abbatis, qui primus illic uitam eremiticam duxit, & multis uirtutibus ac miraculis clarus, plurimorum poſtea pater extitit monachorum. Venerabile corpus eius poſitum eſt in finibus Veſuntionũ. In Alexãdria ſanctorũ martyrum Cerealis, Pupuli, Gaij, Serapionis.

## MARTIVS HABET DIES XXXI. LVNAM TRICESIMAM.

## D. CALEN. MARTII.

ANdegauis depoſitio ſancti Albini epiſcopi. Romæ ſanctorum martyrum ducentorum ſexaginta, tẽporibus Claudij, qui uia Salaria arenam fodiẽtes damnati ſunt pro Chriſti nomine: quos iuſsit Claudius, ut in ſligina foris muros Salariæ mitterentur, & eo loco incluſi in ciuitatis amphitheatro, militũ ſagittis interficerentur. Eodem die depoſitio ſancti Suitberti epiſcopi & confeſſoris.

E. VI. NON. MARTII.

ROmæ uia Latina ſanctorum Iouini & Baſilei, qui paſsi ſunt ſub Gallieno & Valeriano imperatoribus, & Simplicij papæ, qui ſedit annos quindecim. Hic Acacium Conſtantinopolitanum epiſcopum, & Petrum Alexandrinum epiſcopum, Eutychianos damnauit. Eodẽ die martyrum plurimorum ſub Alexandro imperatore paſſorum, quos diu cruciatos impius Alexander capitali ſententia in extremo damnauit. In Cæſarea Cappadociæ Lucæ epiſcopi: in Portu Romanæ, Pauli, Secundolę, Ianuariæ, & ſanctorum Lorgi, Hergli & Abſaloni.

F. V. NON. MARTII.

NAtale ſanctorum martyrũ Emitherij & Celidonij, qui primũ apud Legionenſem Galatiæ ciuitatem, militis exurgente perſecutionis procella, pro confeſsione nominis Chriſti plurimis afflicti tormentis, Callacurrim uſque perducti, atq; ibi martyrio coronati ſunt: cumq; capita lictores inciderent, miraculum populis magnũ apparuit. Nam unius anulus, orariũq; alterius nube ſuſceptum, & in cœlos euectum eſt. Viderunt hæc omnes qui aderãt, & uſquequo acies oculorum intendere potuit, fulgorẽ auri, candoremq; lintei attonito ſequebantur intuitu. Scribit hæc Aurelianus Clemens, in libro coronatorum. Apud Cæſaream Palæſtinæ ſanctorum martyrum, militis Marini & Aſterij ſenatoris, ſub perſecutione Valeriani. Scriptum eſt in hiſtoria Eccleſiaſtica. Et natale ſanctorum Felicis, Lucioli, Fortunati, Marciæ, Herodis, Antigonij, Ianuarij, Tutellæ, Gabiani, Quiriuli: item Felicis, Floriani; Donati.

G. IIII. NON. MARTII.

NAtale ſancti Lucij papæ & martyris, qui perſecutione Valeriani & Gallieni, ob fidem Chriſti exilio relegatus, & poſtmodum diuino nutu ad eccleſiam ſuam redire permiſſus, martyrium capitis obtruncatione compleuit. poſitus eſt uia Appia ad ſanctum Sixtum. Sedit autẽ in epiſcopatu annos tres, menſes tres, dies tres. Hic præcepit, ut duo presbyteri & tres diaconi, in omni loco epiſcopum non deſererent, propter teſtimonium eccleſiaſticum. Itẽ Romæ uia Appia ſanctorũ martyrum nongentorum, qui ſunt poſiti in cœmiterio ad ſanctam Cæciliã. Eodem die ſancti Gaij Palatini, in mare merſi. Romæ depoſitio Iulij epiſcopi & Nicomedis, & paſsio ſanctorũ Adriani cum alijs numero triginta tribus.

A. III. NON. MARTII.

APud Antiochiam paſsio ſancti Phocæ martyris, qui poſt multas, quas pro nomine Redemptoris eſt paſſus iniurias, qualiter de antiquo illo ſerpente triumphauerit, hodie quoq; populis declaratur. Deniq; ſi in quempiam locũ coluber morſum ſtringens, uenena diffuderit, extemplò qui percuſſus eſt, ut ianuam Baſilicæ martyris credens attigerit, euacuata uirtute ueneni ſaluatur. Itẽ ipſo die ſancti Euſebij Palatini, & aliorum nouem martyrum.





B. PRID. NON. MARTII.

NIcomedię natale ſanctorum Victoris & Victorini, qui per triennium cum Claudiano & Baſſa uxore ſua tormentis afflicti, & retruſi in carcerẽ, ibidem uitæ ſuę curſum impleuerũt. Et depoſitio ſancti Quiriaci presbyteri.

C. NONAE MARTII.

IN Mauritania, ciuitate Tuburbinatorũ paſſio ſanctorum martyrum Perpetuæ & Felicitatis, & cum eis reuocati Saturnini & Secundoli, quorũ ultimus in carcere quieuit, reliqui omnes ad beſtias traditi ſunt, ſub Seuero principe, die natalis eius. Quęq; dum adhuc ſeruarentur in carcere, & Felicitas parturiret, omnium ſanctorum cõmilitonum precibus impetratũ eſt, ut octauo menſe pareret. Iam uerò Perpetuę inter alia cõceſſum eſt, ut eius mens quodammodo auerteretur à corpore, in quo uaccæ impetũ pertulit, ita ut adhuc futurum expectaret, quod in ſe iam geſtum eſſe neſciret.

D. VIII. IDVS MARTII.

APud Carthaginem ſancti Pontiani diaconi, beati Cypriani epiſcopi, qui uſq; ad diem paſsionis eius cum ipſo exilium ſuſtinuit, & egregium uolumen uitæ ipſius & paſsionis reliquit, atq; Dominum in paſsionibus ſuis glorificans coronam uitæ promeruit. In Nicomedia Quĩtuli epiſcopi & Capitulini. In Africa Rogati, Felicis: itẽ Rogati, Berę, Heremę, Felicitatis, Orbani, Cyrilli epiſcopi, Syluani & Mamilli.

E. VII. IDVS MARTII.

IN Sebaſte Armenię minoris quadraginta militum tempore Licinij regis, ſub præſide Agricolao, qui poſt uincula & carceres creberrimos, poſt cæſas lapidibus facies, miſsi ſunt in ſtagnum, ubi gelu conſtricta corpora eorũ nocte diſrumpebantur, & mane crurium fractione martyrium conſummauerunt. Deinde corpora eorum combuſta, & in fluuium proiecta ſunt: ſed diuina diſpenſatione reliquiæ eorum ſunt integræ repertæ, & honore digno conditę. Erant autem nobiliores inter eos Quirion & Candidus: nomina aliorum, Domitianus, Eunoicus, Siſinius, Eraclius, Alexander, Ioannes, Claudius, Athanaſius, Valens, Helianus, Melion, Beditas, Achacius, Iubianus, Helius, Theodolus, Cyrillus, Flauius, Seuerianus, Cirion, Valerius, Chudion, Sacerdon, Priſcus, Euthicius, Smaragdus, Philocimon, Aëtius, Micallius, Liſymmachus, Domnus, Theophilus, Xãtius, Aggius, Leõtius, Iſitius, Gaius, Gorgonius.

F. VI. IDVS MARTII.

NAtale ſanctorum martyrum Alexandri & Gaij de Eumenia, qui apud Apamiam perſecutione Antonini Veri, martyrio coronati ſunt, ut ſcribit Apollinaris Hieroſolymitanus, in libro aduerſum Cataphrygas. In Perſida natale ſanctorũ martyrũ numero 42. In Bobio natale Attalæ abbatis & cõfeſſ. In Antiochia Agapæ uirginis, & Marianæ: Smyrnæ, Phronis. In Nicomedia Palatini, Firmiani & Ruſtici.

G. V. IDVS MARTII.

APud Niſenam ciuitatẽ ſancti Gregorij epiſcopi, fratris beati Baſilij Cæſarienſis, uiri doctiſsimi, & eloquentia clariſsimi. Apud Barcinonam Patiani epiſcopi, tam uita, quàm ſermone clari: qui optima ſenectute mortuus eſt, Theodoſij principis tempore. In Alexandria, Eracli, Zoſimi, Alexandri.

A. IIII. IDVS MARTII.

ROmæ ſancti Gregorij papę, qui in lege Dei luculentiſsimus doctor extitit, & gentem Anglorum per Auguſtinum & Mellitum atq; Ioannem, ſeruos Dei ad fidem Chriſti conuertit, qui ſedit ibi annos tredecim, mẽſes ſex, dies decẽ. Hic augmẽtauit in precatione Canonis, Dieſq; noſtros in tua pace diſpone. Eodem die beati Innocentij papæ, qui rexit eccleſiã annos quindecim, menſes duos, dies uiginti unũ. Hic conſtitutũ fecit de eccleſia, & Pelagiũ atq; Celeſtinũ hæreticos damnauit: & cõſtituit, ut qui natus fuiſſet de Chriſtiana, per baptiſmũ renaſceretur, quod Pelagius damnabat. Apud Nicomediam beati Petri martyris ſub Diocletiano, eo quòd de immẽſis martyris ſancti Nomæ ſupplicijs cauſaretur, appendi iuſſus eſt, & flagris totũ corpus laniari, & uiſceribus iam pelle nudatis, perfunditur aceto & ſale: nouiſsimè in craticula prunis ſubterſtrata uitam finiuit. Itẽ Nicomedię natale ſanctorum Egdoni presbyteri, & aliorũ ſeptem, qui diebus ſingulis ſuffocati ſunt, ut cæteris metus incuteretur. & paſsio ſancti Maximiliani martyris.

B. III. IDVS MARTII.

APud Nicomediam natale ſanctorũ Macedonij presbyteri, & Patriciæ uxoris eius, & filiæ Modeſtæ. In Nicæa ciuitate natale ſanctorũ martyrũ Teuſetæ, & Horris filij eius: Theodoræ, Nymphodoræ, Marcæ, Arabiæ, qui omnes igni traditi ſunt. Iulij epiſcopi Alexandriæ.

C. PRID. IDVS MARTII.

ROmę natale quadraginta ſeptẽ martyrum, qui baptizati ſunt à Petro apoſtolo, cum teneretur idem Apoſtolus in cuſtodia Mamerti, cum coapoſtolo ſuo Paulo, ubi nouem menſes detenti ſunt: qui omnes ſub deuotiſsima fidei confeſsione Neroniano gladio cõſumpti ſunt. In Carthagine ſanctorũ Donati, Effroſi, Frumini. In Nicomedia natale Feliciſsimi & Frõtinę.

D. IDVS MARTII.

IN Cappadocia paſsio ſancti Longini martyris, de quo in libello martyrij eius narratur, quòd aliquando militans ſub centurione Romano, in paſsione Domini latus eius cũ lancea in cruce aperuerit, & uiſo terræmotu & ſignis quę fiebant, crediderit in Chriſtum, pœnitentiam agens de operibus priſtinis: poſtea monachus factus, per triginta & octo annos Chriſto militauerit, multos conuertens ad fidem Dei: ad extremum uerò martyrium compleuit in Cappadocia ſub Octauio præſide, quẽ propter infidelitatẽ ſuam diuino iudicio percuſſum corporea cæcitate, poſt martyrium ſuũ illuminauit. Apud Theſſalonicam ciuitatẽ natale ſanctæ Matronæ: quæ cum eſſet ancilla cuiuſdam Iudææ,

& occultè Chriſtum colens, deprehenſa à domina ſua, & uſq; ad mortem cæſa, incorruptum ſpiritum reddidit.

E. XVII. CAL. APRIL.

ROmæ natale ſancti Cyriaci, qui poſt longã carceris macerationem, quam ſub Maximiano pertulit, cum Siſinio condiacono ſuo, & Smaragdo & Largo, poſt multa facta miracula, in quibus etiam filiam Diocletiani Artemiã ipſius rogatu à dæmonio curauit ac baptizauit: filiam quoq; Saporis regis Perſarum Iobiam, miſſus illò à Diocletiano pro hoc æquè à dęmonio liberauit ac baptizauit cum ipſo rege & alijs quadringentis triginta: & rediens Romam poſt mortem Diocletiani, tentus eſt inter alios Chriſtianos à filio eius Maximiano, & in cuſtodiam miſſus, eo quòd ſororem ſuam Chriſtianã feciſſet. Deinde pręcepit, ut in die proceſsionis ſuæ nudus catenis obligatus, ante rhedam eius traheretur. Et poſt hoc eductus de carcere, cum ſocijs Largo & Smaragdo & Creſcẽtiano, per Carpaſium uicarium pice reliquata, caput eius perfuſum eſt: & rurſum poſt dies quatuor eductus denuò de carcere, in cataſta extẽtus ac tractus, neruis & fuſtibus cæſus. poſt dies aliquot iubente Maximiano, capite truncatus eſt, cum Largo & Smaragdo, & alijs uiginti. Scriptum eſt in geſtis Marcelli papæ. Viennæ ſancti Iſicij epiſcopi.

F. XVI. CAL. APRIL.

IN Scotia natale ſancti Patricij epiſcopi & cõfeſſoris, qui primus ibidem Chriſtum euangelizauit. Eodem die ſanctæ Gertrudis uirginis, & natale Mariæ martyris. Hęc quoq; cum eſſet ancilla cuiuſdam Tertullij præclari uiri, & nollet in natali filij eius prandijs domini ſui intereſſe, ſed magis Chriſtianorum more ieiunijs operam dare, flagellis atrocibus ab eodem domino ſuo lacerata eſt. Sed cum non poſſet per hoc ab inſtantia ſeruitij Chriſti, ad idolorum cultũ reuocari, iudici publico ad puniendum tradita eſt. Vbi dum carnifices eam incendio tradere uoluiſſent, propter preces populi datæ ſunt ei induciæ trium dierum. Triduo ergo completo, cum iterum puniri deberet, mirabiliter Domini miſericordia erepta eſt. Nam cum orationẽ fudiſſet ad Dominum, petra ingens, quæ ante eam fuerat, per mediũ ſciſſa illam in ſe recipiebat, & undiq; concludens oſtium furori reſtitit: ad quam populus concurrens, cum uellet ſecũdum iuſſum principis ipſum lapidem deſtruere, fulmine ac tonitru cœlitus emiſſo, plurimi eorum interierunt, ita ut duo milia & ſeptingẽti ex ipſis diuino iudicio extincti fuerint: pauci uerò qui remanſerant, conuerſi ad Dominum, in Chriſtiana religione permanſerunt.

G. XV. CAL. APRIL.

NAtale ſancti Alexãdri epiſcopi, qui de Cappadocia ciuitate ſua ueniẽs, cum deſiderio ſanctorum locorum Ieroſolymam pergeret, & Narciſſus epiſcopus eiuſdem urbis, iam ſenex regeret eccleſiam, ipſi Narciſſo & multis clericis eius reuelatum eſt; altera die mane intrare ad epiſcopum, qui adiutor ſacerdotalis cathedræ eſſe deberet. Itaq; re ita completa, ut prædicta fuerat, cunctis in Palæſtina in unum congregatis, adnitente uel maximè Narciſſo Hieroſolymitanæ eccleſiæ cum eo gubernaculum ſuſcepit: quiq; perſecutione Decij cum iam longæuę ætatis ueneranda canicie præfulgeret, ductus Cæſaream, & clauſus carcere, ob confeſsionem Chriſti martyrio coronatus eſt. In Alexandria natale Coleſtici, & in Nicomedia Apprilis & Ceruoli.

A. XIIII. CAL. APRIL.

IN Spolitana ciuitate natale beati Iohannis, magnæ ſanctitatis uiri & confeſſoris, qui peregrinus de Sicilia illuc uenit, & in ſuburbano eius ædificauit monaſteriũ, & habitauit ibi quadragintaquatuor annis, ubi & requieuit in pace, ubi præſtantur beneficia Dei uſq; in hodiernum diem. Eodem die apud Surrentum ſanctorum, Quinti, Quintilli, Quartillæ, Marci, cum alijs nouem. Lucaniæ, Ingenij, & Rogatæ & Timothei.

B. XIII. CAL. APRIL.

IN Britãnis ſancti Cuthberti, qui ex anachorita eccleſiæ Lindisfarnenſis antiſtes, totã ab infantia ſua ad ſenium uitam miraculorum ſignis inclytam duxit: cuius dum undecim annis maneret corpus humatum, incorruptum, quaſi eadem hora defuncti ſimul cum ueſte, qua tegebatur, eſt inuentum.

C. XII. CAL. APRIL.

APud Caſsinum caſtrum natale ſancti Benedicti abbatis, cuius uitam miraculis glorioſam in Dialogorum libris beatus papa ſcribit Gregorius. Eodem die beati Serapionis anachoritæ. Et in territorio Lugdunenſi ſancti Lupicini abbatis, cuius uita ſanctitatis & miraculorum gloria illuſtris fuit.

D. XI. CAL. APRIL.

IN Gallijs ciuitate Narbone ſancti Pauli epiſcopi & cõfeſſoris, diſcipuli apoſtolorũ Chriſti, quem tradũt eundem ipſum fuiſſe Sergium Paulum procõſulem, uirum prudentem, à quo ipſe Paulus ſortitus eſt nomen, quia ipſe eum fidei Chriſti ſubegerat: quiq; ab eodem ſancto Apoſtolo cum ad Hiſpanias prędicandi gratia pergeret, apud præfatam urbem Narbonem relictus, prædicationis officio non ſegniter impleto, clarus miraculis coronatus ſepelitur. In Africa Saturnini, & aliorum nouem. In Sebaſtia Decroni & Alionis.

E. X. CAL. APRIL.

IN Africa ſanctorum martyrum Victoriani, Frumentij & alterius Frumentij, & duorum Germanorum, qui omnes perſecutione Vandalica ſub Hunerico rege Arianorum apud Africam pro conſtantia catholicæ confeſsionis immaniſsimis ſupplicijs excruciati, egregiè coronati ſunt. In Africa natale Felicis, & aliorum uiginti.

F. IX. CAL. APRIL.

ROmæ ſancti Pigmenij presbyteri. Hic Iulianum apoſtatam & impium à puero nu-

triuit,



triuit, & literis etiã ſacris erudiuit. Sed factus imperator, culturam pietatis poſtquã reliquit, audito quòd corpora ſanctorũ martyrum, qui ab eo necabãtur, idem Pigmenius ſepeliret, mãdauit ei, Perge quò uolueris, hic enim non mercabitur uita tua: tamẽ ſeruitijs tuis reddo, nõ tibi. Tunc ſanctus Pigmenius in Perſidam perrexit, ubi demoratus annos quatuor, factus eſt cæcus: inde monetur Pigmenius in ſomnis, ut reuerteretur Romã. Cumq; poſt menſes quatuor reuerſus, cliuum ſacræ uiæ cum uno puero ſtipem petendo conſcenderet, factum eſt, ut offenderet Iulianum imperatorem in rheda aurea ſedentem: qui eminus conſpiciens Pigmenium, uocari eum præcepit, dixitq; ei, Gloria dijs deabusq; meis, quia te uideo. Cui uir Dei ilicò reſpondit, Gloria Domino meo Ieſu Chriſto Nazaræno crucifixo, quia te non uideo. Ad hanc uocem iratus Iulianus, iuſsit eum per pontem in Tiberim pręcipitari. Cuius corpus inuentũ & collectum, ſepultũ eſt in cœmiterio Pontiani, non longè à ſanctis Abdon & Senne. Et natale ſanctorum Seleucis & Agabi.

G. VIII. CALEND. APRIL.

APud ciuitatẽ Galilææ Nazareth annunciatio Dominica: & Ieroſolymę ubi Dominus noſter Chriſtus crucifixus eſt. Et in Nicomedia natale Dulæ ancillæ cuiuſdam militis pagani, quæ pro caſtitate occiſa eſt. Romæ Cirini, qui interfectus à Claudio, & in Tiberim iactatus, in inſula Licaonia inuentus, & in cœmiterio Pontiani conditus eſt. Et apud Smyrnã natale ſancti Irenæi epiſcopi, qui tempore Maximiani imperatoris, ſub præſide Probo, primò tormẽtis acerrimis uexatus, deinde diebus plurimis in carcere cruciatus, nouiſsimè abſciſo capite conſummatus eſt.

A. VII. CALEND. APRIL.

ROmæ uia Lauicina, in cœmiterio eiuſdem natale ſancti Caſtuli: qui cum eſſet cetarius palatij, & hoſpes ſanctorum, à perſecutoribus arctatus, & tertiò appenſus, tertiò auditus, in confeſsione Domini perſeuerans, miſſus eſt in foueam, & dimiſſa eſt ſuper eum maſſa harenaria, atq; ita cum palma martyrij migrauit ad Chriſtum. Apud Pentapolim Libyæ Theodori epiſcopi, Irenæi diaconi, Serapionis & Ammonij lectorum: & apud Sirmium natale ſancti Montani presbyteri, qui cum Maxima uxore tentus, & in fluuium præcipitatus eſt. corpora eorũ nõ longè ab urbe ſub lapide inuẽta. Et depoſitio ſancti Luitgeri epiſcopi & confeſſoris.

B. VI. CALEND. APRIL.

HIeroſolymę reſurrectio Domini noſtri Ieſu Chriſti. Apud Aegyptum beati Iohannis eremitæ, admirãdæ ſanctitatis uiri, qui etiã prophetico ſpiritu plenus, Theodoſio imperatori Chriſtianiſsimo uictorias de tyrãnis prædixit.

C. V. CALEND. APRIL.

APud Cęſaream Palæſtinæ ſanctorum martyrum, Priſci, Malchi & Alexandri, qui perſecutione Valeriani, cum ſuburbanum agellum ſupradictæ urbis inhabitarent, atq; in ea cœleſtis martyrij proponerentur coronæ, diuino fidei calore ſuccenſi, ultrò iudicem adeuntes, cur tantum in ſanguinem piorum deſæuiret, obiurgant: quos ille cõtinuò pro Chriſti nomine beſtijs tradidit deuorandos. Et apud urbem Cabilonenſium depoſitio Guntrammi regis, qui ita ſe ſpiritualibus actionibus mancipauit, ut relictis ſeculi põpis theſauros ſuos eccleſijs & pauperibus erogaret. Romæ Sixti papæ, qui ſedit Romæ annos octo. In Africa natale Rogati, Succeſsi, & aliorum ſedecim. In Cæſarea ſancti Dagalaſsi.

D. IIII. CALEND. APRIL.

DEpoſitio Euſtaſij abbatis, diſcipuli ſancti Columbani abbatis, qui pater fermè ſexcẽtorum extitit monachorum, & ſanctitate uitæ conſpicuus, etiam miraculis claruit. Hic criminatorem ſuũ Baſſum nomine, nutu diuino mortuum manibus ſuis cum linteaminibus & aromatibus tractãs ſepeliuit apud beatum Petrũ. Apud Africam ſanctorum confeſſorum Armogaſti, Archinimi & Satyri. Hi tempore Vãdalicæ perſecutionis ſub Genſericho rege Ariano, cum eſſent lucidiſsima mẽbra eccleſię Chriſti, & prauitatem Arianorum libertate catholica frequenter arguerent, pro confeſsione ueritatis multa & grauia perpeſsi ſupplicia atq; opprobria, curſum glorioſi certaminis impleuerunt. Et paſsio ſancti Achartij.

E. III. CALEND. APRIL.

APud Paphum Tichici apoſtolorũ diſcipuli. In Numidia apud Cirenenſem coloniã, natale ſanctorum martyrum, Agapij & Secundini epiſcoporum: qui perſecutione Valeriani poſt longum exilium apud præfatam urbem, in qua tunc maximè gentilium cæco furore, & officijs militaribus, ad tentandam iuſtorum fidem, rabies diaboli infeſtantis inhiabat, ex illuſtri ſacerdotio effecti ſunt martyres glorioſi. Paſsi ſunt in eorũ collegio Aemylianus miles, Tertulla & Antonia ſacræ uirgines, & quædã mulier cum ſuis geminis. Et natale Domni, Philipponij & Lacatij & Nicei epiſcopi.

F. PRID. CALEND. APRIL.

ROmæ ſanctæ Balbinæ uirginis, filiæ Quirini martyris: qui beatus martyr tollens Boiam de collo Alexandri papę, ſecundum iuſsionem eius cum pergeret, ut collo filiæ ſuę ſtrumã habentis imponeret, ecce puer ſubitò cum facula apparuit, quem conſtat angelum Domini fuiſſe, & uenit ad puellam dicens, Salua eſto, & in uirginitate permane, & ego te faciam uidere ſponſum tuum, qui pro amore tuo ſanguinem ſuum fudit. Perueniens pater, ut perficeret quod de Boia ei iuſſum fuerat, uidit ſubitò filiam ſuam ſanam: quæ poſtmodum à ſancto Alexandro baptizata & inſtructa, in uirginitate plena operibus bonis permanſit: quæ tamẽ poſt deuictum ſeculi huius curſum ſepelitur iuxta patrem ſuum Quirinum martyrem. In Africa natale Aneſij, & depoſitio Ambroſij epiſcopi, & natale ſeptem uirginum.

## APRIL. HABET DIES XXX. LVNAM VICESIMAM NONAM.

### G. CALEND. APRIL.

ROmæ beatiſsimæ Theodoræ, ſororis illuſtriſsimi martyris Hermetis, quam beatus Alexander papa inſtruxit ac baptizauit, atq; fidem Chriſti docuit. Quę ſub Aureliano imperatore martyriū compleuit, ſepulta iuxta fratrē martyrē, uia Salaria, nō lōgè ab urbe Roma. Eodē die S. Venantij epiſcopi & martyris. Et in pago Viūnoenſe S. Vualarici cōfeſſoris, cuius ſepulchrum crebris miraculis illuſtratur.

A. IIII. NON. APRIL.

NAtale ſancti Nicecij epiſcopi Lugdunēſis, cuius & uita miraculis claruit, & precioſa mors nihilominus miraculis commendatur. Et apud Cæſareā Cappadocię paſsio ſanctę Theodoſiæ uirginis, quæ tempore Diocletiani cum eſſet annorū decem & octo, ultrò ſe ſanctis confeſſoribus in cuſtodia ſocians, tenta eſt ab urbano præfecto, & in equuleo cruciata, deinde ferro onuſta, & in carcerem truſa, ubi uirtute Dei omnia uincula eius diſrupta ſunt. Poſt hęc ſaxo alligata, in mare merſa eſt: ſed mox incolumis litorib. reddita, beſtijs in amphitheatro eſt proiecta: ſed ab his intacta, martyrium capitis abſciſione promeruit. In Africa, Amphiani, Victoris, & aliorū quatuordecim, & alibi Marcelli, Saturnini, Satulli, Quiaci, reginæ Proculæ.

B. III. NON. APRIL.

THeſſalonicę natale ſanctarum uirginū, Agapis & Chioniæ, ſub Diocletiano, quæ primò in carcere maceratæ, poſtea in ignem miſſę ſunt: ſed intactæ à flammis poſt orationem ad Deū fuſam, animas reddiderūt. Apud Scythiā ciuitatē Thomis, natale ſanctorū Euagri & Benigni. Apud Tauromeniū Siciliæ S. Pancratij.

C. PRID. NON. APRIL.

MEdiolani depoſitio beati Ambroſij epiſcopi & cōfeſſoris, cuius ſtudio inter cętera doctrinæ & miraculorū inſignia, tēpore Arrianæ perfidię tota Italia ad catholicā fidē cōuerſa eſt.

D. NON. APRIL.

THeſſalonicæ natale ſanctæ Hyrenis uirginis, quæ poſt tolerantiam carceris, ſagitta percuſſa eſt à Siſinio comite, ſub quo & ſorores eius ſimul Agapes & Chionia martyrium compleuerunt. Item apud Aegyptum natale ſanctorū Marciani, Nicanoris, Apollonij. Apud Cæſaream Lyciæ, natale ſancti Amphiani.

E. VIII. IDVS APRIL.

ROmæ ſancti Sixti papæ, qui rexit eccleſiā annos decem, menſes duos, diem unū. Paſſus eſt autē temporibus Adriani imperatoris. In Sirmio natale Irenæi epiſcopi eiuſdem loci.

F. VII. IDVS. APRIL.

EGeſippi uiri ſanctiſsimi, qui uicinus apoſtolorū temporibus omnes à paſsione Domini, uſq; ad ſuā ętatē eccleſiaſticorū actuū texens hiſtorias, multaq; ad utilitatē legētiū pertinentia hinc inde cōgregans, quinq; libros compoſuit, quibus ſermones implicuit eorū, quorū uitā ſectabatur. Dicēdi quoq; exprimebat characterē, aſſeritq; ſe ueniſſe ſub Aniceto Romā, qui Decimus poſt beatū Petrum epiſcopus fuit, & perſeueraſſe uſq; ad Eleutherium eiuſdē urbis epiſcopum, qui Aniceti quondā diaconus fuerat. Idem quoq; Egeſippus in libris ſuis refert de conuerſatione ſua, quā habuit in gentili philoſophia. nam & ego ipſe, inquit, ſectis Platonicis inſtitutus, audiens infamari Chriſtianos, & uidens eos impauidos ad ſuſcipiēdam mortem atq; omne ſupplicium tolerandum, conſiderabam quòd impoſsibile eſſet, in malitia atq; in libidine eos conuerſari. Romæ Celeſtini papæ, qui rexit eccleſiam annos octo. Hic conſtituit, ut ſacrata myſteria nō tractarentur niſi à ſacris miniſtris: & quicunq; epiſcopus euocatus fuiſſet ad ſedem Apoſtolicam, rediens ad parochiā ſuam, non reciperetur, niſi ſalutatorias literas, hoc eſt formatas à ſede Apoſtolica, plebi detuliſſet. Hic etiam conſtituit, ut intra actionē miſſarum, Sanctus, ſanctus, ſanctus decantaretur: & ut pſalmi Dauidici centū quinquaginta ante ſacrificium antiphonatim canerentur. nam antea tantum epiſtolæ recitabantur, & ſanctū euāgeliū. In Alexādria natale Peleuſij presbyteri. In Nicomedia natale Cyriaci cū alijs decē.

G. VI. IDVS APRIL.

TVronis ſancti Perpetui epiſcopi admirādæ ſanctitatis uiri, cuius opera templum ſuper reuerēda oſſa beati Martini epiſcopi perfectū eſt, eiuſq; ſacrū corpus de loco ubi primùm tumulatum fuerat, ad locum ubi nunc condignè ueneratur, translatū. In Africa natale Ianuarij, Maximæ, Macharij, & in Carthagine Cōceſſę.

A. V. IDVS APRIL.

APud Sirmium natale ſeptem uirginum, quę in unum meruerunt coronari. Apud Antiochiā beati Prochori diaconi, præclariſsimi fide & miraculis uiri, martyrio cōſummati: ꝗ unus fuit de ſeptē primis diaconib. ibiq; quieſcētib.

B. IIII. IDVS APRIL.

EZechielis ꝓphetę. Romę beatorū martyrū plurimorum, quos beatus Alexander papa & martyr baptizauit, cū teneretur in carcere, & ipſi religati pariter cum illo. Hos omnes Aurelianus imperator naui uetuſtæ impoſitos, in altum mare deduci, & illic ligatis collis, lapidibus mergi in profundum fecit.

C. III. IDVS APRIL.

APud Cretam urbem Cortinę beati Philippi epiſcopi, ꝗ uita & doctrina claruit tēporib. Antonini Veri & Lucij, Aurelij Cōmodi imp.

D. PRID. IDVS APRIL.

ROmæ uia Aurelia miliario tertio, in cœmiterio Calepodij, natale S. Iulij epiſcopi & cōfeſſoris, qui ſub Cōſtantio Arriano filio Cōſtātini, x. mēſib. tribulationes & exilia perpeſſus, poſt eius mortē cum magna gloria ad ſuā ſedē reuerſus eſt. Hic cōſtituit, ut nullus clericꝰ cauſā quālibet in publico ageret, niſi in eccleſia:





& noticia fidei per notarios colligeretur, & ſiue cautiones, uel inſtrumenta, aut donationes, uel commutationes, aut traditiones, uel teſtamenta, aut allegationes, uel manumiſsiones à clericis in eccleſia celebrarentur. Apud Veronā ciuitatē paſsio ſancti Zenonis martyris, de quo beatus Gregorius in libr. dialogorū refert.

E. IDVS APRIL.

APud Pergamum Aſiæ urbem ſanctorū Carpi epiſcopi, & Papyrij diaconi, & Agathonicæ optimæ fœminę, aliarumq; multarum, quę probatis confeſsionib. martyrio coronatę ſunt, cum quibus & uir mirabilis Iuſtinus philoſophus, qui habitu quoq; philoſophorū incedēs, pro religione Chriſti plurimum laborauit, in tātum ut Antonino Pio, & filijs eius, & ſenatui librū contra gentes ſcriptū daret, ignominiamq; crucis non erubeſceret. Cumq; iam ſecundum librū ſucceſſoribus præfati imperatoris, id eſt, Antonino Vero, & Aurelio Commodo, pro religionis noſtræ defenſione porrexiſſet, remunerationē linguæ fidelis martyrij munus accepit. Apud Hiſpaniā natale Hermingildi, quem pater eius Leouigildis rex, Arianus, Gothorum ob fidei catholicæ confeſsionem inexpugnabilem uidens, in carcerem & uincula cōiecit, ubi nocte ſancta Dominicę reſurrectionis iuſſu perfidi patris ſecuri percuſſus, regnū cœleſte pro terreno rex & martyr intrauit. In ciuitate Chalcidona natale Euphemiæ uirginis & martyris.

F. XVIII. CALEND. MAII.

ROmæ uia Appia in cœmiterio Prætextati natale ſanctorum martyrum Tiburtij, Valeriani & Maximi, ſub Almachio pręfecto, quorum primi fuſtibus cęſi, & gladio ſunt percuſsi, ultimus tamdiu plūbatis uerberatus eſt, donec ſpiritū redderet. Interamnis ſancti Proculi martyris. Item ſanctæ Domnæ uirginis, cum ſocijs uirginibus coronatæ. Alexandriæ beati Frontonis abbatis, cuius uita ſanctitate & miraculis extitit glorioſa, & qui ſeptuaginta fermè pater extitit monachorum.

G. XVII. CALEND. MAII.

IN ciuitate Corduba natale Olympiadis & Maximi nobiliū, qui iubente Decio fuſtibus cæſi, & deinde plumbatis, ad ultimū capita eorum ſecuribus tuſa ſunt, donec emitterent ſpiritum. Et in Hiſpanijs ciuitate Cęſarauguſta natale ſanctorum martyrū, Obtati, Luperci, Succeſsi, Martialis, Vrbani, Iulij, Quintiliani, Publij, Frontonis, Felicis, Ceciliani, Euoti, Primitiui, Apodemi, & reliquorum quatuor, qui omnes Saturnini uocati eſſe referuntur. Apud Italiam natale ſanctorum martyrum, Romani. Eutychetis & Victorini, quos Aurelianus per uaria tormenta occidi fecit.

A. XV. CALEND. MAII.

APud Corinthum Caliſti & Cariſſi, cum alijs ſeptem, omnium in mare merſorū. Romæ ſancti Aniceti papæ, qui ſedit in epiſcopatu annos undecim, & temporibus Seueri & Marci martyrio coronatus, ſepultus eſt in cœmiterio Caliſti. Hic conſtituit, ut clerus comā nō nutriret, ſecundum apoſtoli præceptum.



B. XV. CALEND. MAII.

APud Africam natale ſancti Mappalici, qui cum alijs pluribus martyrio coronatus eſt. Scribit beatus Cyprianus in epiſtola multa de illo. Apud Antiochiam natale ſanctorum Petri diaconi & Hermogenis. Viennæ ſancti Pantagati epiſcopi. In Africa Fortunati et Marciani.

C. XIIII. CALEND. MAII.

APud Meſanam Apuliæ natale ſanctorum martyris Eleutherij epiſcopi, & Anthię matris eius. Hic Eleutherius in Aquileia epiſcopus ordinatus, ſub Adriano imperatore Romę paſſus eſt. Hic primùm Felicem & Correuum comites ad fidem cōuertit Chriſti, pro quo ipſe Correuus percuſſus eſt gladio. Nā Eleutherius primùm uicit lectum ferreum, deinde craticulam, & ignem ſuppoſitum, poſtea ſartaginem cum pice & adipe feruentē, dehinc beſtias mitigauit, nouiſsimè unà cū matre iugulatur. Romæ ſancti Apollonij ſenatoris, qui ſub Cōmodo principe à ſeruo proditus, quòd Chriſtianus eſſet, & imperatus ut rationem fidei ſuæ redderet, inſignè uolumē compoſuit, quod in ſenatu legit, & nihilominus ſentētia ſenatus pro Chriſto capite truncatus eſt.

D. XIII CALEND. MAII.

IN Armenia ciuitate Militana natale ſanctorum Hermogenis, Gaij, Expediti, Ariſtonici, Rufi, Galathæ, una die coronatorum. In Hiſpania ciuitate Caucoliberi natale ſancti Vincentij martyris. Apud Corinthum beati Timonis, de illis ſeptem diaconibus primis, qui apud Berœā primò doctor ſedit, deinde uerbū Domini diſſeminans uenit Corinthum, ibiq; à zelantibus Iudæis, & nomen Chriſti perſequentibus Græcis traditur, ut primò flammis (ut ferunt) iniectus, ſed nihil læſus. deinde cruci affixus, martyrium ſuum impleuit, & ſepultus eſt apud Corinthum glorioſe.

E. XII. CALEND. MAII.

ROmæ ſancti Victoris epiſcopi, qui tertiuſdecimus poſt beatum Petrum rexit eccleſiam annis decem, & ſub Seuero principe martyrio coronatur. Hic conſtituit, ut ſanctum paſcha die Dominico celebraretur, & à quintadecima luna primi menſis uſq; ad uiceſimam primam obſeruaretur: & conſtituit ut neceſsitate faciente, ſiue in flumine, ſeu in mari, ſiue in fontibus, ſub Chriſtiana confeſsione, quicunq; hominum ex gentibus uenientes baptizarentur. In Gallis ciuitate Ebredunenſe natale ſancti Marcellini, primi eiuſdem urbis epiſcopi & cōfeſſoris. Romæ ſanctorū Sulpicij & Seruiliani.

F. XI. CALEND. MAII.

ROmæ ſancti Soteris papæ, qui ſedit in epiſcopatu annos nouē, ſepultus eſt in cœmiterio Caliſti. Hic conſtituit, ut nulla monacha pallā ſacratam contingeret in eccleſia, neq; incenſum poneret. Apud Perſidem natale ſancti Simeonis epiſcopi Seleuciæ, & Theſifontis regaliū ciuitatū, qui perſecutione Saporis regis Perſarum, iubente eodem tyrāno comprehen-

ſus,ferroq; onuſtus, cũ iniquis tribunalibus exhibitus, de Domino Ieſu Chriſto uoce libera & cõſtantiſsima teſtaretur, primùm carcerali ergaſtulo cum alijs cẽtum, è quibus alij epiſcopi, alij erant presbyteri, alij diuerſorum ordinum clerici, longo tẽpore maceratus eſt: nouiſsimè iuſſus eſt cum omnibus decollari, ita ut cæteri cũ iugularentur, aſtaret, & ipſe ultimus trucidaretur. Paſsi ſunt cum eo etiam Vſtazadis eunuchus, nutritius regis: & Abdella atq; Ananias, uenerabiles ſenes: & Puſitius, præpoſitus artificum regalium: eo quòd uidẽs præfatum ſenem Ananiam ſub ictu gladij trementẽ, exclamauerit cõfidenter dicens, Paululũ ò ſenex, claude oculos ſecurus, mox Chriſti uidebis aſpectum. Filia quoq; eiuſdem Puſitij, uirgo ſacra, ſimul perempta eſt. Apud Alexandriã natale ſanctorum Fortunati, Aratoris presbyteri, Felicis, Silini, Vitalis, qui in carcere quieuerunt. In Aſia natale Maximini martyris, qui tempore Decij poſt alia tormenta lapidibus oppreſſus eſt.

G. X. CALEND. MAII.

ROmæ uia Appia in cœmiterio Caliſti Gai papæ. Hic conſtituit ut per omnes gradus primũ aſcẽderet, ſiquis epiſcopus fieri mereretur, ut eſſet oſtiarius, lector, exorciſta, ſubdiaconus, diaconus, presbyter. Qui cũ eccleſiã undecim annos, menſes quatuor, dies duodecim rexiſſet, martyrio coronatus eſt ſub Diocletiano principe, cũ Gabinio fratre & presbytero. Agapiti pontificis, qui ſedit Romæ menſes undecim. Hic ingreſſus Conſtantinopolim ad Iuſtinianum imperatorem Antemium epiſcopũ Cõſtantinopolitanũ, qui duas naturas in Chriſto negabat, depoſuit, & in eius loco Mennam catholicum conſecrauit. Apud Perſidẽ ſanctorum martyrum plurimorum, qui iubente Sapore rege annuo die, quo paſsionis Dominicę memoria celebratur, per totã Perſidis regionẽ tenti, ac pro Chriſti nomine gladio iugulati ſunt. In quo fidei certamine paſſus eſt Mileſius epiſcopus, ſanctitate & miraculorum gloria inſignis. Accepſimas epiſcopus, cũ presbytero ſuo Iacobo: & Mareas, & Bicor epiſcopi cum clericis ferè ducẽtis & quinquaginta monachis: etiã cũ ſacratis uirginibus plurimis, inter quas etiã & ſororẽ ſancti epiſcopi Simeonis, nomine Tarbud, cum pediſſequa ſua ſtipitibus alligantes, ſerraq; findentes, crudeliſsimè necauerunt. In Corduba ciuitate natale Parmenij, Helimenæ, & Chryſoliti presbyterorũ, & Lucæ & Mutij diaconorũ de Babylonia, quorũ primus p̃ciſa etiã lingua loquebatur. Oẽs primò in equuleo ſuſpenſi, & nexibus attractati ſunt, dein laminis ardentibus circa latera appoſitis uſtulati & ungulis lacerati, ad ultimum gladio trucidati ſunt, præſente perſecutore Decio. Lugduni Galliæ S. Epipodij martyris, ſub Antonino Vero. Viennæ S. Iuliani epiſcopi & confeſſoris.

A. IX. CALEND. MAII.

NAtale ſancti Georgij martyris, qui ſub Datiano, rege Perſarũ potẽtiſsimo, qui dominabatur ſuper ſeptuaginta reges, multis miraculis claruit, plurimosq; conuertit ad fidẽ Chriſti, ſimul & Alexãdriam uxorẽ ipſius Datiani uſq; ad martyriũ confortauit: ipſe uerò nouiſsimè decollatus martyriũ expleuit, quãuis geſta paſsionis eius, inter apocryphas connumerentur ſcripturas. In Gallijs ciuitate Valẽtia natale ſanctorũ Felicis presbyteri, Fortunati & Achillei diaconorũ, q̃ à beato Ireneo Lugdunẽſi epiſcopo & martyre ad prędicãdũ uerbũ Dei miſſi, cũ maximã partẽ ſupradictę urbis ad fidẽ cõuertiſsẽt, à duce Cornelio in carcerẽ truſi, dein duriſsima neruorũ flagellatione diutiſsimè uerberati, pòſt etiã uinctis poſt tergũ manibus, cruribusq; cõfractis, circa rotarũ uertiginẽ aſtricti, fuliginis q̊q; amaritudine ſuppoſita, die ac nocte cõtinuata equulei extẽſiõe ſuſpẽſi, ad extremũ gladio conſummati ſunt. In Fõtenella monaſterio S. Vulfrãmi epiſcopi, pręclari in miraculis uiri: & S. Adelberti epiſcopi & martyris.

B. VIII CALEND. MAII.

LVgduni Galliæ natale ſancti Alexãdri, qui tertio poſt beatũ Epipodiũ die productus è carcere, primò ita laniatus eſt crudelitate uerberantiũ, ut crate ſoluta coſtarum, patefactis uiſceribus ſecreta animæ panderẽtur, deinde crucis affixus patibulo beatũ ſpiritũ exanimatus emiſit. Paſsi ſunt cum eo & alij numero triginta quatuor. Eodẽ die Mileti epiſcopi depoſitio in Britãnia, qui tertius poſt Auguſtinũ epiſcopũ, Dorouernẽſem eccleſiã ſuſcepit, q̃ rexit annos 5. ſepultus in eccleſia beati Petri. Hac die Ananias, Azarias, Miſahel, liberati ſũt de camino.

C. VII. CALEND. MAII.

ROmæ letania maior ad ſanctum Petrũ. Apud Alexandriã natale ſancti Marci euangeliſtæ. Hic diſcipulus & interpres apoſtoli Petri Romæ rogatus à fratrib. ſcripſit euangeliũ. Quod cũ Petrus audiſſet, probàuit, & eccleſijs legendũ ſua auctoritate edidit. Quo aſſumpto, idem Marcus perrexit in Aegyptũ, & primus Alexandriæ Chriſtũ annuncians, conſtituit eccleſiam. At poſtquã conſtitutis & confirmatis eccleſijs per Libyam, Marmaricã, Ammonicã, Pentapolim, Alexandriã, atq; Aegyptũ uniuerſam, ad ultimum tẽtus eſt à paganis, qui remanſerãt Alexandriæ. qui uidẽtes eũ die ſancto paſchæ miſſas facientẽ, miſerũt funẽ in collo eius, & trahebant eum ad lóca buculi, quæ erant iuxta mare, ſub rupibus ubi erat eccleſia conſtructa, & defluebant carnes eius in terram, & ſaxa inficiebantur ſanguine. Veſpere autem facto miſerunt eum in carcerem, ubi circa mediã noctem primò angelica uiſitatione cõfortatus eſt, deinde ipſo Domino ſibi apparẽte, ad cœleſtia regna uocatus eſt. At manè dum traheretur ad loca buculi, gratias agens & dicens: Domine, in manus tuas commendo ſpiritum meum: defunctus eſt, & à uiris religioſis ſepultus in loco lapidis exciſi cum gloria. Ordinauerat autem pro ſe Alexandriæ epiſcopum Anianum.

D. VI. CALEND. MAII.

ROmæ natale S. Anacleti papę, qui quartus poſt beatum Petrũ cum rexiſſet eccleſiã annis nouem, perſecutione Domitiani martyrio coronatus eſt. Hic memoriam beati Petri conſtruxit & compoſuit loca, ubi epiſcopi reconderentur. Hic presbyter à beato Petro eſt ordinatus, hic ad ſacrificandũ ductus ſacrificauit, dein de pœnitentia ductus, pro confeſsione ueræ fidei capite truncatur. Hic conſtituit, ut quotiẽſcunq; euãgelia ſancta recitãtur, ſacerdotes nõ ſedeãt, ſed curui ſtent. Et natale ſancti Marcellini papæ, qui cum eccleſiã nouem annis, & mẽſibus quatuor rexiſſet, temporibus Diocletiani & Maximiani, ab eodem Diocletiano pro fide Chriſti, cũ Claudio & Cirino & Antonino capite truncatus eſt, & poſt dies triginta quinq; ſepultus uia Salaria, in cubiculo à Marcello presbytero, & diaconibus cum hymnis. Quo tempore fuit magna perſecutio, ut intra unum mẽſem 18. milia hominũ promiſcui ſexus, per diuerſas prouincias martyrio coronarentur. Viennæ ſancti Clarentij epiſcopi & confeſſoris.

E. V. CALEND. MAII.

ROmæ ſancti Anaſtaſij papæ, qui poſt beatũ Petrũ quadrageſimus primus ſedit annos tres, dies decẽ. Hic Manichæos in urbe Romana inueniens damnauit, & cõſtitutum fecit, ut nullus Trãſmarinus in clericatũ ſuſciperetur, niſi quinq; epiſcoporum deſignaret chirographũ. In Nicomedia natale S. Anthimi epiſcopi & martyris, qui perſecutione Diocletiani, ob confeſsionẽ Chriſti martyrij gloriã capitis obtruncatione promeruit: quẽ tanquam bonum paſtorem uniuerſæ penè gregis ſui multitudines ſecutæ ſunt, quorum alios præfatus tyrannus gladio obtruncari, alios ignibus conflagrari, alios nauiculis impoſitos immergi pelago fecit. Scriptum eſt in hiſtoria Eccleſiaſtica.

F. IIII. CALEND. MAII.

APud Rauennam natale ſancti Vitalis martyris, qui fuit pater ſanctorum Geruaſij & Prothaſij. Hic ergo fuit militans & conſularis, & cum Paulino iudice ſuo Rauennam ingreſſus eſt: & cum uideret in conſpectu iudicis ſui Chriſtianum nomine Vrſicinum, arte medicũ, natione Ligurũ, poſt nimia tormẽta capitalẽ accepiſſe ſententiã, & cum iam uideret eum ueniſſe ad palmã & expauiſſe, exclamauit: Noli, noli Vrſicine medice, qui alios curare cõſueſti, teipſum ęternę mortis iaculo uulnerare: & qui per paſsiones nimias ueniſti ad palmã, coronã à Domino tibi præparatã perdere. Audiẽs hæc Vrſicinus genu poſuit, & ſpiculatorem ut feriret, hortabatur: agens pœnitentiã quòd expauiſſet. Vtq; martyriũ conſummauit idẽ Vrſicinus, Vitalis intra Rauennatiũ urbẽ eum ſepeliuit, ad iudicem ultrà uenire ipſe contemnens. Tentus eſt itaq; à Paulino cõſulari, ob id maximè factũ, quòd Vrſicinũ ſuis exhortationibus roboraſſet, & poſt equulei tormenta iuſſus eſt perduci ad palmã (locus autẽ ubi decollabãtur Chriſtiani, hoc habebat uocabulũ, eo quòd arbores palmæ illic eſſent) & facta fouea, quouſq; inueniretur aqua, ibi ſupinus depoſitus, & terra ac lapidibus eſt oppreſſus. Alexãdriæ ſanctæ Theodoræ uirginis, de qua beatus Ambroſius ſcribit: quę ſacrificare cõtemnẽs, in lupanar tradita, miro Dei fauore eſt erepta. Aſtante quippe iam ad oſtiũ cellæ multitudine iuuenũ impudicorũ, repentè quidam ex fratribus, Didymus nomine, plenus fide diuinitus inſpiratus, ſumpto militari habitu, primus lupanar irrupit, & ſanctæ uirgini cur ueniſſet, exponens, illi militares imponit exuuias, ipſe uirginali ueſte induitur. Sic uirgo egreſſa, & à nullo agnita, ad ciuitatem fugiens euaſit. Didymus præſidi exhibitus, & omne factũ conſtanter exponens, Chriſtianum ſe eſſe confeſſus, abſciſo capite igni traditus eſt. Beata quoq; uirgo, quæ pro tuenda integritate ex lupanari profugerat, amore coronæ ad ſtadium rẽgreſſa, ſimul cum Didymo percuſſa, ſimul coronata eſt. In Pãnonijs ſancti Pollionis martyris, & ſanctorũ Aphrodiſij, Carалippi, Agapij, & Euſebij martyrum.

G. III. CALEND. MAII.

APud ciuitatẽ Sanctonas natale ſancti Eutropis martyris, qui à beato Clemente epiſcopo directus in Gallias, ab eodem etiam pontificalis ordinis gratia cõſecratus, impleto huius officij ordine, peracta in incredulis prædicatione, inſurgẽtibus paganis, illiſo capite uictor occubuit. Deniq; poſt multa annorũ ſpacia, cum Palladius eiuſdem urbis epiſcopus, & cum eo alij uiri Dei corpus eius honoris debiti gratia in baſilicam nouam transferrẽt, reſerato ſarcophago cõtemplati ſunt cicatricem capitis, qua in parte defixum fuerat ſecuris acumẽ. Cumq; ſequenti nocte ſtrauiſſent ſacerdotes membra quieti, apparuit eis per uiſum dicens, Cicatricẽ quam cõtemplati eſtis in capite, ſcitote me per eam martyriũ cõſummaſſe. Item ſanctorũ Mariani & Iacobi, quorũ prior lector, ſequens diaconus fuit. Romę S. Cleti papę, qui tertius poſt Petrũ Romanæ urbis epiſcopatum annis 12. habuit, & ibidẽ martyrio coronatus eſt, ſub Domitiano imperatore. & ſancti Maximi martyris.

A. PRID. CALEND. MAII.

ROmæ ſancti Quirini tribuni & martyris, ſub Traiano imperatore: qui cum ex pręcepto eius beatum Alexandrũ papam, & Hermẽ præfectum in uincula conieciſſet, haberetq; filiam cuius collũ ſtruma circumdederat, auditis exhortationib. beati Hermę de fide Chriſti, & uiſis ſignis, quę Dominus in martyribus ſuis Alexandro & Herme operabatur, ipſam eandẽ filiam ſuam obtulit eis ad ſanandum. Cui dixit beatus Alexander, Tolle Boiam de collo meo, & impone ei. Quod cum pater obediẽs exequeretur, diuino nutu ſanata eſt ſubitò. Vocabatur autem ipſa Balbina, atq; ita pater eius cum uniuerſis, qui in cuſtodia tenebantur, omniq; domo ſua baptizatus eſt. Quod ut nunciauit, Commẽtarienſis Aureliano iudici iratus, iuſſit ad ſe adduci Quirinum, & dixit ei, Ego te quaſi filium dilexi: tu autem irriſiſti me, deceptus ab Alexãdro. Dixit ei Quirinus, Ego Chriſtianus ſum factus: uis occidere, uis fuſtigare, uis incendere, aliud non ero. Nam omnes qui erant

erant in carcere, feci fieri Chriſtianos, & dimiſi eos, & noluerunt uſquam ire. Iratus Aurelianus fecit ei linguam abſcidi, deinde in equuleo ſuſpendi. Qui dum Aureliani non cederet iniurijs, iuſsit ei manus ac pedes abſcindi, & ſic eum decollari, & canibus proijci. Sed Chriſtiani corpus eius raptum in uia Appia, ſepelierūt in cœmiterio Prætextati. In Alexandria natale Ephrodiſij presbyteri, & aliorum triginta: & uigilia apoſtolorum Philippi & Iacobi.

## MAIVS HABET DIES XXXI. LVNAM TRICESIMAM.

### B CALEND. MAII.

IEremiæ prophetæ. Et natale ſanctorum apoſtolorum Philippi & Iacobi, filij Mariæ, quæ fuit ſoror matris Domini. Ex quibus Philippus cum pene Scythiam ad fidem Chriſti conuertiſſet, diaconibus, presbyteris & epiſcopis ibi conſtitutis, reuerſus eſt ad Aſiā, & apud Hierapolim dormiuit in pace. Iacobus uerò, qui & frater Domini legitur, poſt paſsionem Domini ſtatim ab apoſtolis Hieroſolymorum epiſcopus ordinatus eſt. Hic de utero matris ſanctus fuit, uinum & ſiceram non bibit, carnem nullam comedit, nunquā attonſus eſt, nec unctus unguento, nec uſus balneo. huic ſoli licitum erat ingredi ſancta ſanctorum: ſiquidem ueſtibus laneis non utebatur, ſed lineis. ſoluſq; ingrediebatur templum, & fixis genibus pro populo deprecabatur in tantum, ut camelorum duriciam eius genua traxiſſe uiderētur. Hunc Scribæ & Phariſæi præcipitauerunt de pinna templi, fullonis in cerebro percuſſus fuſte occubuit. Triginta annos Hieroſolymæ rexit eccleſiam, iuxta templum ſepultus. In Gallijs ſancti Andeoli ſubdiaconi, ſub Seuero Cæſare, cuius caput in modum crucis ſciſſum cum ligno eſt. Agauno paſsio ſancti Sigiſmundi regis, filij Gundebadi regis Burgundionum, qui cum ſe cerneret non poſſe Francis reſiſtere, ſolus fugiens, coma depoſita habitum religionis ſuſcepit, & ieiunijs, uigilijs die nocteq; uacans, captus eſt à Francis cum uxore ac filijs, in puteumq; demerſus occubuit: poſtea uerò cuidam abbati reuelatus eſt, & ab eo reuerenter ſepultus, etiam miraculis claruit. Et natale ſanctæ Vualpurgæ uirginis. Et in Hieroſolymis paſsio ſancti Iudæ ſiue Quiriaci epiſcopi, cui reuelatum eſt lignum Dominicæ crucis.

C. VI. NON. MAII.

NAtale ſancti patris noſtri Athanaſij, Alexandrinæ urbis epiſcopi & cōfeſſoris, qui multas Arrianorum perpeſſus eſt inſidias, quadrageſimo & ſexto anno ſacerdotij ſui, poſt multos agones, multaſq; patiētiæ coronas quieuit in pace. Et natale ſanctorum Saturnini & Neopolis, qui in carcere quieuerunt.

D. V. NON. MAII.

HIeroſolymis inuentio ſanctæ crucis, ab Helena regina, ſub Conſtantino principe, cuius & ipſa extitit mater. Romæ uia Numentana, miliario ſeptimo ſancti Alexandri cum Euentio & Theodolo presbyteris, ſub Traiano principe, iudice Aureliano, qui Romanæ eccleſiæ epiſcopatum quintus poſt Petrum annos tenuit decem, menſes duos, dies decem, ſanctitate incomparabilis, fide præclariſsimus: maximam partem ſenatorum urbis conuertit ad Dominū, qui poſt uincula carceris equuleum, ungulas & ignes, pūctis creberrimis per tota mēbra peremptus eſt. Sequentes uerò poſt longam carceris continentiam ignibus examinati, ad ultimum ſunt decollati. Et natale ſancti Iuuenalis epiſcopi, & depoſitio ſancti Philippi confeſſoris.

E. IIII. NON. MAII.

IN Palæſtina ciuitate Gaza natale ſancti Syluani eiuſdem urbis epiſcopi, qui perſecutione Diocletiani cum plurimis clericorum ſuorum martyrio coronatus. Viennæ ſancti Iuſti epiſcopi. In Metalloſanenſi ſanctorum martyrum quadraginta, qui ſimul capite cæſi ſunt. Nicomediæ natale ſanctæ Antoniæ, quæ nimium torta, & uarijs afflicta cruciatibus, uno brachio tribus diebus ſuſpenſa, & in carcerem biennio truſa, à Priſcilliano præſide ad ultimū flammis exuſta eſt. Eodem die in Norico Ripenſi loco Lauriaco natale ſancti Floriani, qui præſidis Aquilini iuſſu, ligato ad collum ſaxo, in flumē Aniſi præcipitatus eſt, & mox omnibus qui circumſtabant uidentibus oculi præcipitatoris eius crepuerunt. Ipſo die beati Quiriaci epiſcopi & martyris glorioſi, ſub Iuliano imperatore. Et ſancti Bothehardi epiſcopi & confeſſoris.

F. III. NON. MAII.

APud Alexandriam ſancti Euthymij diaconi, in carcere quieſcentis. Theſſalonicæ natale ſanctorum Irenęi & Peregrini, & Hyrenes ignibus combuſtorum. In Gallijs ciuitate Arelatenſi ſancti Hilarij epiſcopi, præclariſsimi uiri, qui paupertatis amator, & erga inopum prouiſionem non ſolùm mentis pietate, ſed & corporis ſui labore ſolicitus erat. Nam pro reficiēdis pauperibus etiam ruſticationem contra uires ſuas, homo genere clarus exercuit: ſed nec in ſpiritalibus neglexit. Nam & in docēdo gratiam habuit, & abſque perſonarum acceptione omnibus caſtigationem ingeſsit, uitamq; ſancti Honorati prædeceſſoris ſui compoſuit. moritur ſub Valentiniano & Marciano imperatoribus.

G. PRID. NON. MAII.

NAtale ſancti Ioannis apoſtoli ante portam Latinam Romæ, qui ab Epheſo iuſſu Domitiani fratris Titi, ſecunda perſecutione, quā ipſe poſt Veronem exercuit, ad urbem Romam perductus, præſente ſenatu ante portam





Latinam in feruentis olei dolium miſſus eſt: ſed beatus Apoſtolus tam liber à pœna inde exijt, quàm à corruptionibus carnis fuerat immunis. Tunc in Pathmum inſulam relegatus eſt exilio, ubi Apocalypſin uidit. Ad commendandam ergo ipſius memoriam dignam, & pro fidei apoſtolicæ conſtantiam, Chriſtiani eccleſiaſticam uenerationem eius geſtantem, in ſupradicto loco ante portā Latinam præclaro & miro opere conſtruxerunt, ubi feſtiuum concurſum pridie nonas Maij uſq; hodie faciunt. Eodē die beati Euodij Antiochiæ epiſcopi & martyris, qui primus ab apoſtolis ibi eſt ordinatus. Item beati Lucij, qui Cirenenſem primus epiſcopus rexit eccleſiam ab apoſtolis inſtitutus.

A. NON. MAII.

DEdicatio eccleſiæ ſanctæ Mariæ uirginis. Et natale ſancti Iuuenalis martyris, & beatæ Domitillæ. Quæ cum eſſet Flauij Clementis conſulis ex ſorore neptis, & à ſancto Clemente ſacro uelamine ob integritatis perſeuerātiam cōſecrata, perſecutione Domitiani ob teſtimonium quod Chriſto perhibebat, cum alijs plurimis in inſulam Pontiam exilio deportata, longum inibi martyrium duxit: dehinc ad Tarracinam urbem translata, primò Eufroſinam & Theodoram, deinde alios ad fidem Chriſti cōuertit, nouiſsimè curſum martyrij ſui cum præfatis uirginibus conſummauit, ſub perſecutione Traiani, ubi morabantur clauſæ in carcere. In facies enim ſuas proſtratæ, orantes Dominū receſſerunt: quarum corpora ſanctus Cæſarius diaconus in ſarcophago nouo ſimul condens, in profundo terræ ſepeliuit. In Nicomedia paſſio ſanctorum martyrum Flauij, Auguſti, Auguſtini fratrum. Romæ Benedicti pontificis, qui ſedit in epiſcopatu unū menſem, imperante Conſtantino, apud beatum Petrū ſepultus.

B. VIII. IDVS MAII.

MEdiolani ſancti Victoris martyris, qui natione Maurus, & à primæua ætate Chriſtianus, cum eſſet in imperialibus caſtris miles, etiam canitie decoratus, compellente Maximiano, ut ſacrificaret idolis, in confeſsione Domini fortiſsimè perſeuerans: primò grauiter eſt cæſus, dein liquenti plumbo perfuſus, ſed nihil penitus læſus, nouiſsimè glorioſi martyrij curſum capitis abſciſsione promeruit. Quod ſanctus Martinus audiens factum, collegit corpus eius, & in prædicta ciuitate cum honore ſepeliuit. Viēnæ ſancti Dionyſij, ſexti urbis epiſcopi.

C. VII. IDVS MAII.

NAtale ſancti Hermę, cuius apoſtolus Paulus ad Romanos ſcribens meminit, Salutate Phlegontē, Hermen, Patrobam, & qui ſunt cum eis fratres. In Perſide ſanctorum martyrū quadringentorum. Apud Nazanci oppidum beati Gregorij epiſcopi, qui theologus dicitur nobilis, Athenis eruditi, collegæ beati Baſilij, Cęſareæ Cappadociæ poſtea epiſcopi: quiq; cū ſe totus Dei ſeruitio mancipaſſet, tantū de collega præſumpſit, ut ſedentem Baſilium de doctoris dextera deponeret, ac ſecum ad monaſterium manu iniecta perduceret, ibiq; per annos tredecim omnium Græcorum ſecularium libris remotis, ſolis diuinæ ſcripturæ uoluminibus operam dabant. Conſtantinopoli natale ſancti Timothei, quando ab Epheſo eius ſacra oſſa delata ſunt. In Ariopoli natale Quirilli, Gindei & Genonis. In Tarſo Ciliciæ Aphrodiſij. Romæ ſancti Beati confeſſoris.

D. VI. IDVS MAII.

NAtale Iohel prophetæ. Romæ uia Latina in cœmiterio eiuſdem natale ſanctorū Gordiani & Epimachi. Iulianus imperator apoſtata inter multos Chriſtianos, quos publicis cuſtodijs mancipauit, beatum Ianuarium, ſenem presbyterum comprehenſum cuidam uicario Gordiano ad audiendum tradidit: qui beatum Ianuarium patienter audiens, ſpiritu Dei illuminatus credere cœpit: quem protinus beatus presbyter cum uxore Marina nomine, & familia promiſcui ſexus, numero quinquaginta tres, & eo amplius baptizauit. Quod audiens Iulianus, iuſsit in ſcriptionibus damnari ſanctum Ianuarium presbyterum, & beatum Gordianum, uxorem eius ad aquas ſalinas manere præcepit, in ſeruitio ruſticorum. Clementianus autem tribunali reſidens, beatum Gordianum uinctum catenis ſibi præſentari fecit. Ille in confeſsione Chriſti fixus, diu plumbatis cæditur, in ultimo capite truncatur. Cuius corpus iuſsit iniquus iudex ante templum Apollinis iactari, ut à canibus roderetur. Quod nocturno tempore Chriſtiani rapientes, miliario uno plus minus ab urbe Roma poſuerunt in crypta, ubi iampridem corpus beati martyris Epimachi ſepultum fuerat. Hic Epimachus Alexandriam abijt cum collega ſuo Alexandro, multo tempore in uinculis & in cruciatibus carceris tortus, ignibus poſtmodum conſumitur, reliquiæ ipſius deinde Romam ſunt translatæ. Romæ natale Calepodij ſenis presbyteri, ſub Alexandro imperatore, qui eum fecit occidi à Laodiceo, & corpus trahi per ciuitatem, atq; in Tyberim iactari, die calendarum Maiarū. Quod inuentum piſcatores leuauerunt, & Caliſto epiſcopo narrauerunt. Ille acceptum condiuit cum aromatibus & linteaminibus, & ſepeliuit in cœmiterio eiuſdem, miliario ab urbe tertio in cryptą, ſexto iduum Maiarum. Tunc decollatus eſt ab Alexandro Palmatius conſul, cum uxore & filijs, & alijs promiſcui ſexus de domo ſua quadragintaduobus, cum quibus & Simplicius ſenator cum uxore, & filijs & familia ſua, promiſcui ſexus ſexaginta octo: & ſimiliter cū uxore ſua Blāda, qui per doctrinā Caliſti papæ, & Calepodij presbyteri nuper fuerāt baptizati. Itē Romæ natale ſanctorū Quarti & Quinti.

E. V. IDVS MAII.

ROmæ uia Salaria, miliario uiceſimoſecundo, natale S. Anthuni, & paſsio ſancti Euellij: qui uidēs paſsionē ſancti Torpetis martyris, & mirabilia quæ fecit, credidit Chriſto, q antea conſiliarius Neronis imperatoris fuit, qualiter Chriſtiani martyrizarētur, Viēnæ S. Mamerti

epiſcopi, qui ob imminentẽ cladem ſolẽnes ante aſcenſionem Domini letanias inſtituit.

F. IIII. IDVS MAII.

ROmæ in cœmiterio Prætextati natale ſanctorum martyrũ Nerei & Achillei fratrũ. Qui cum eſſent eunuchi beatæ Flauiæ, cum ea apud inſulam Pontiam longũ pro Chriſto duxerunt exilium: poſtmodum uerò ab Aureliano ſponſæ Domitillæ, quẽ ipſa ob amorẽ Chriſti ſpreuerat, primò uerberibus grauiſsimis arctati, deinde Memmio Ruſo conſulari ſunt traditi, à quo cum equuleo & flammis cõpellerentur ad immolandum, & dicerent ſe à beato Petro apoſtolo baptizatos, nulla ratiõe poſſe idolis immolare, capite cæſi ſunt. Quorũ corpora rapuit Auſapicius, diſcipulus eorum, nutritor ſanctæ uirginis Domitillæ, & in crypta arenaria ſepeliuit. Item uia Aurelia, miliario ſecundo natale ſancti Pancratij martyris: qui cum eſſet annorum quatuordecim, ſub Diocletiano martyrium capitis obtrũcatione compleuit, cuius reuerendum corpus Octauilla illuſtris fœmina occultè noctu ſublatum aromatibus conditum ſepeliuit. Eodem die beati Dionyſij patrui eiuſdem beati Pancratij, cuius ſtudio idem Pancratius & baptizatus, & in timore Dei cõfortatus, ad martyrium animatus eſt. Apud Cyprũ ſancti patris noſtri Epiphanij Salaminæ epiſcopi.

G. III. IDVS MAII.

NAtale ſanctę Marię ad martyres. Phoca imperatore beatus Bonifacius papa in ueteri fano, quod Pantheon uocabatur, ablatis idolatriæ ſordibus, eccleſiam beatæ ſemper uirginis Mariæ, & omniũ martyrũ dedicauit, cuius dedicationis ſacratiſsima dies agitur Romæ tertio idus Maij. Ipſo die ſancti Seruatij epiſcopi Tungrẽſis eccleſiæ, qui tẽpore quo Hunni Germaniã uaſtabant, ne ciuitatis atq; eccleſiæ ſuæ uideret excidiũ, Domini reuelatione cõmonitus, trãſijt ad uicũ Traiectenſiũ, ibiq; defunctus, atq; in medio publici aggeris eſt ſepultus. Ob cuius meritũ hominibus demonſtrandũ, cũ tẽpore hyemis omnia in circuitu nix repleret, nũquã ſepulchrũ eius operuit nix nec pluuia, donec à ſucceſſore ſuo ſancto Munulſo epiſcopo templum magnũ in eius honore conſtructum eſt. Et natale ſancti Gangolfi martyris, & ſancti Oneſij confeſſoris.

A. PRID. IDVS MAII.

SAncti patris noſtri Pacomij: qui cũ eſſet factis apoſtolicæ gratiæ inſignis, fundatorq; Aegypti cœnobiorum, ſcripſit monachorũ regulas, quas angelo dictante didicerat, ſimul & de tẽpore Paſchali. In Syria natale Victoris & Coronæ, ſub Antonino imperatore, duce Alexandriæ Sebaſtiano. Erat aũt Victor miles à Cilicia, cui Sebaſtianus in cõfeſsione fidei cõfringi digitos, & euelli iuſsit, deinde illũ in caminũ ignis mitti, ubi triduò permanens, nõ eſt læſus: deinde uenenum bibere iuſſus, nõ eſt mortuus, ſed ueneficũ potius ad fidẽ cõuertit. Deinde iuſſum eſt neruos corporis eius tolli, deinde oleũ bulliens mitti in pudendis eius, poſt hoc iuſsit lampades ardẽtes ſuſpenſo ad latera applicari: poſt hoc acetũ & calcẽ ſimul miſceri, & dari ei: deinde oculos erui, deinde triduo uiſum capite ſuſpendi: & dum adhuc ſuſpiraſſet, iuſsit eũ excoriari. Tunc Corona, cũ eſſet uxor militis cuiuſdam, cœpit beatificare ſanctũ Victorem pro gloria martyrij. Et dũ hoc faceret, uidit duas coronas de cœlo lapſas, unam Victori, & alteram ſibi miſſam. Cumq; & hoc cunctis audientibus proteſtaretur, tenta eſt à duce, iuſſum eſt duas arbores palmæ curuari adinuicẽ, & canabinis funibus ligari Coronã in utraq; manibus & pedibus, & ſic arbores dimitti. Quod dũ fieret, diuiſa eſt Corona in duas partes: erat aũt annorũ ſedecim. Tunc quoq; Victor decollatur, & ipſe uictoriæ perennis triumphum meruit.

B. IDVS MAII.

NAtale ſanctorũ confeſſorũ Torquati & Iſefontis, Secundi, Indaletij, Cæcilij, Eſitij, Eufraſij, qui Romæ à ſanctis apoſtolis epiſcopi ordinati, ad prędicandũ uerbũ Dei ad Hiſpanias, tũc adhuc gẽtili errore implicatas, directi ſunt. Cumq; ad ciuitatẽ Accitanã ueniſſent, & propter laborẽ itineris modicũ quieſcentes, & cauſa uictus emendi diſcipulos in urbem miſiſſent, mox paganorũ multitudo, qui tunc fortè dijs ſuis feſta celebrabãt, eos uſq; ad fluuiũ perſecuta eſt: in quo pons miræ magnitudinis & firmitatis extructus, tranſeuntibus ſanctis, Dei nutu cũ omni inſequentiũ multitudine funditus corruit. Ad quod miraculũ cæteri territi, & cuiuſdam magnæ ſenatricis lupariæ, quæ diuinitus inſpirata eos benignè ſuſcipiens credidit, exẽplum ſecuti, relictis idolis Chriſto Domino crediderũt. Poſt hæc diuerſis urbibus euangelizãtes, & innumeras multitudines Chriſti fidei ſubiugantes, Torquatus Accij, & Iſeſon Vergij, Secundus Abulę, Indalecius Vrci, Cecilius Heliberri, Eſicius Carceſę, Eufraſius Eliturgi, quieuerunt. Apud inſulam Chiũ, natale ſancti Iſidori martyris. Apud Damoſacum paſsio ſanctorum Petri & Andreæ, Pauli & Dionyſiæ.

C. XVII. CAL. IVNII.

APud Iſauriam natale ſanctorũ Aquilini & Victoriani, quorum geſta habentur. Autiſiodoro paſsio ſancti Peregrini, epiſcopi primi ciuitatis ipſius: & ſanctę Maximę uirginis, quę multis clara uirtutibus in pace quieuit. In Sirmio natale Timothei, & ſeptem uirginum. In Sardinia natale Simplicij presbyteri, & ſanctæ Roſulæ, & ſanctorum Diocletiani & Florentij. Intra Caſinæ depoſitio Fidoli presbyteri & confeſſoris.

D. XVI. CAL IVNII.

IN Tuſcia ſancti Torpetis martyris, ſub Nerone principe. Hic magnus in officio Neronis fuit, & à beato Antonio presbytero baptizatus, & in fide Chriſti eſt eruditus. Hunc Nero cum cognouiſſet eſſe Chriſtianũ, tradidit eum cuidam propinquo ſuo Satellico, ut impelleret eum ſacrificare. Sed cum ſpiritu Dei confortatus beatus uir immobilis permaneret, fecit eum Satellicus alapis cædi, & ligatum ad co-

lumnam



lumnam tamdiu uerberibus affici, quouſq; ſanguis guttatim de corpore ipſius defluerer. Sed ſubitò dum cęderetur, columna cadens oppreſsit iudicem, & quinquaginta cum eo. Inde tentus à miniſtris, poſitus eſt in rota, inde feris obijcitur à filio ſatellici, nomine Syluio: ſed minimè ab his eſt læſus. Poſt hæc iubente Syluio foras ciuitatẽ Piſsinam ductus, decollatione capitis martyrium ſuum compleuit, tertio calendas Maij. Huius corpus miniſtri ſceleris impoſuerunt penè fractæ & carioſæ naui, cum quo ſimul canem & gallum proiecerũt in decurſum fluminis. Apparens autẽ angelus Domini cuidam uenerabili fœminæ, cuius nomen Celerina, monuit, ut perquireret ſancti martyris corpus, & ſepeliret. Quod inuentum cum omni reuerentia ſepeliuit, & de facultatibus ſuis ceſſante perſecutione eccleſiam ſupra conſtruxit. Agitur feſtiuitas martyris, & conuentus ciuium ſextadecima calendas Iunij. In Alexandria natale Adrionis, Victoris, & Baſillæ.

E. XV. CAL. IVNII.

APud Aegyptum ſancti Dioſcori lectoris, in quem præſes multa & uaria tormenta exercuit, ita ut ungues eius effoderet, & lampadibus eius latera inflammaret: ſed cœleſtis luminis fulgore territi, ceciderunt miniſtri. Nouiſsimè laminis ardentibus aduſtus, martyrium cõſummauit. Et natale ſanctorum Hortaſij & Serapionis, & Marci papæ & Potamionis.

F. XIIII. CAL. IVNII.

ROmæ natale ſanctæ Pudentianæ uel Potentianæ uirginis, quæ illuſtriſsimi generis, Pudentis, diſcipuli beati Pauli apoſtoli, filia erat: cuius mater Sabinella, ſoror uerò Praxedis, quas pater earum in omni religione Chriſti erudiuit, uirgineſq; Chriſto dereliquit. Quę poſt obitum ſancti patris in omni exercitatione pietatis ita excreuerunt, ut nocte dieq; inceſſanter hymnis & orationibus cum familia ſua Domino inſeruirent, beato Pio urbis epiſcopo cum eis in laudibus Dei participante. Remunerationem igitur pro pijſsimis laboribus ſuis percepturæ, poſt innumeros agones, poſt multorum martyrũ uenerabiliter exhibitas ſepulturas, poſt omnes facultates ſuas in uiſceribus pauperum incluſas, Chriſtoq; fideliter commẽdatas, tandem de terris ad Chriſtum migrauerunt. Potentiana uenerabilis, quartadecima calendas Iunij poſita in cœmiterio Priſcillæ, uia Salaria: Praxedis uerò uirgo, ęquè ſanctiſsima, duodecima calendas Auguſti, & ipſa cum ſorore iuxta patrem ſanctum ſepulta. Ipſo die beati Pudentis, patris earum uirginum. Item Romæ natale ſanctorum Calocerij & Partemij, uxoris Decij imperatoris eunuchorum: qui cũ eſſent unus præpoſitus cubilis, alter primicerius, nolentes idolis ſacrificare, à Decio occiſi ſunt. Corpora eorum iuxta uiam Appiam ſunt poſita. Depoſitio Domni, Alchuuini.

G. XIII. CAL. IVNII.

ROmæ uia Salaria natale ſanctæ Baſillæ uirginis & martyris Chriſti: quæ cum eſſet ex genere regio, & haberet ſponſum illuſtriſsimũ nomine Pompeium, per beatam Eugeniam, & ſanctos Dei Prothum & Iacinctum conuerſa ad fidem, accuſata eſt à præfato ſponſo ſuo, quòd eſſet Chriſtiana. Decreuit continuò Gallienus Auguſtus, qui tunc Chriſti perſequebatur eccleſiam, ut aut ſponſum reciperet, aut gladio interiret. Conuenta de hoc, reſpondit ſe regem regum ſponſum habere, qui eſt Chriſtus filius Dei. Et cum hæc dixiſſet, gladio tranſuerberata eſt. In Gallijs ciuitate Nemauſo, natale Baudelij, qui à paganis deorum ſuorum ſacrificia celebrantibus comprehenſus, cum ſacrificare nollet, & in fide Chriſti immobilis inter uerbera & tormenta perſiſteret, martyrij palmã precioſa morte percepit.

A. XII. CAL. IVNII.

IN Mauritania Cæſarienſe, natale ſanctorum Timothei, Polij, & Eutychij diaconi, q apud præfatam regionem uerbum Domini diſſeminantes, pariter coronari meruerunt. Item apud Cæſaream Cappadociæ natale ſanctorum Poliueti, Victorij, Donati. In Africa Caſti & Aemylij, qui per ignem paſsionis martyrium cõſummauerunt. Scribit Cyprianus in libro de lapſis. Apud Corſicam natale ſanctæ Iuliæ, quæ crucis ſupplicio coronata eſt: & ſancti Valentis martyris & pontificis, cum tribus pueris.

B. XI. CAL. IVNII.

ROmæ natale ſanctorũ Fauſtini, Timothei, Venuſti. Autiſiodori depoſitio ſanctæ Helenæ uirginis: & in Rauenna natale ſanctæ Martyriæ. In ciuitate Autiſiodorenſe beati Vualis presbyteri & confeſſoris.

C. X. CAL. IVNII.

APud Lingones paſsio ſancti Deſiderij epiſcopi: qui cum plebẽ ſuã ab exercitu Vuandalorũ uaſtari cerneret, ad regẽ eorũ pro ea ſupplicaturus exiuit: à quo ſtatim iugulari iuſſus, pro ouibus ſibi creditis ceruicẽ libenter tetendit, & percuſſus gladio migrauit ad Chriſtum. Percuſſor uerò eius mox amentia correptus interijt. Sepultus eſt ibidem beatus martyr in baſilica, intra urbis muros. Paſsi ſunt cũ eo & plures alij de numero gregis ſui, apud eandem urbem conditi. Itẽ Viennę natale ſancti Deſiderij epiſcopi, qui paſſus eſt in territorio Lugdunẽſi.

D. IX. CAL. IVNII.

NAtale ſancti Manahen, Herodis tetrarchæ collactanei, doctoris & prophetæ ſub gratia noui teſtamenti, apud Antiochiam in Chriſto quieſcentis. Item beatiſsimæ Iohannæ, uxoris Euzæ, procuratoris Herodis, quam commemorant euangeliſtæ. In portu Romano natale ſancti Vincentij martyris. In Gallijs ciuitate Nannetis natale ſanctorũ martyrũ, Donatiani & Rogatiani fratrũ. In Hiſtria natale ſanctorũ Zoelli, Seruilij, Syluani & Dioclis.

E. VIII. CAL. IVNII.

ROmæ uia Numentana, in cœmiterio Prætextati, natale S. Vrbani epiſcopi & martyris. Hic ſedit in epiſcopatu annos tres, menſes decẽ, dies decẽ, cuius doctrina ſub perſecutiõe

Alexan-

Alexandri multi martyrio coronati ſunt. Mediolani ſancti Dionyſij epiſcopi & confeſſoris, qui ab imperatore Conſtantio apud Cappadociam pro fide catholica damnatus, exilio ibidē requieuit. Reliquias corporis eius per ſanctum Baſilium præfatæ urbis epiſcopum receptas, beatus Ambroſius condigno honore condidit. Apud Mœſiam ciuitatē Doroſtoro, natale ſanctorum martyrum Paſsicratis, Valentionis, & aliorum ſimul coronatorum. Item Romæ natale Eleutherij papæ, qui ſedit in epiſcopatu annos quindecim. Hic accepit epiſtolas à Lucio, Britannico rege, ut per eius mandatum Chriſtianus fieret. ſepultus eſt iuxta corpus beati Petri apoſtoli.

F. VII. CAL. IVNII.

NAtale beati Iacobi apoſtoli, fratris Ioannis euangeliſtæ, qui decollatus eſt ab Herode rege Ieroſolymis, ut liber Actuum apoſtolorũ docet. Huius beatiſsimi ſacra oſſa ab Hiſpanijs tranſlata ſunt, & in ultimis earum finibus, uidelicet contra mare Britannicum condita. Apud Athenas beati Quadrati epiſcopi, diſcipuli Apoſtolorũ. Hic firmauit, ut nulla eſca à Chriſtianis repudiaretur, quę rationalis & humana eſt. Item Quadrati martyris, in cuius ſolennitate ſancti Auguſtini ſermones habiti inueniuntur. Romę beatorum martyrum Sinmitrij preſbyteri, & aliorum uiginti duorum, quos Antoninus imperator gladio pro Chriſto punire fecit, quorum corpora beata Praxedis ſepeliuit noctu. Tuderti Tuſciæ natale ſanctorum Feliciſsimi, Heradij, Paulini. In territorio Autiſiodorenſi, paſsio ſancti Priſci martyris, cum ingēti multitudine. In Britannijs ſancti Auguſtini epiſcopi & confeſſoris, qui miſſus à beato Papa Gregorio, primus genti Anglorum Chriſti euangelium prædicauit, atq; illic uirtutibus & miraculis glorioſus quieuit. Viennę paſsio ſancti Zachariæ, ſecundi eiuſdem urbis epiſcopi.

G. VI. CAL. IVNII.

APud Meſiam ciuitatem Doroſtorenſem natale ſancti Iulij, qui tempore perſecutionis cum eſſet ueteranus eremitæ militiæ comprehenſus ab officialibus, & Maximo præſidi oblatus, nolens ſacrificare idolis, capitali ſententia punitus eſt. Cumq; duceretur ad locum cædis implendę, Eſicius quidam miles cum & ipſe ob fidem Chriſti comprehenſus detineretur, rogabat eum dicens, Memor eſto mei, nam & ego ſubſequar te. primùm etiam ſaluta Paſsicratem & Valentionem, qui nos iam per bonam confeſsionem præceſſerunt ad Dominũ. Iulius uerò oſculans Eſicium dixit, Frater, feſtina uenire: mandata enim tua iam audierunt, quos ſalutaſti. Sic accepto orario ligans ſibi oculos, martyrij palmam gladio cedente percepit. In Gallijs ciuitate Arauſica, ſancti Eutropi epiſcopi & confeſſoris.

A. V. CAL. IVNII.

NAtale ſancti Ioannis papæ, quo tempore Theodoricus rex duos ſenatores præclaros, & conſules Symmachum & Boëtium occidit: qui nonageſimooctauo die poſtquam papa Ioannes interijt, ſubitò defunctus eſt. Quem quia orthodoxus erat, & à Iuſtino imperatore orthodoxo Conſtantinopolim ueniens, glorioſe ſuſceptus fuerat, Theodericus rex Arianus reuertentem Rauennam in cuſtodia tentum, ad mortem uſque cum alijs æquè catholicis uiris perduxit. Huius meminit ſanctus Gregorius in libro Dialogorum. Cuius corpus tranſlatum, ſepultum eſt in baſilica ſancti Petri apoſtoli, quinta calend. Ianuarij, Olibrio conſule. Apud Pariſium ſancti Germani epiſcopi & confeſſoris, qui poſt innumeras uirtutes octogenarius migrauit ad Dominum. In Sardinia ſanctorum Aemilij, Felicis, Priami, Luciani.

F. IIII. CAL. IVNII.

ROmæ uia Aurelia ſancti Reſtituti. Via Tyburtina ſeptem Germanorum. Treueris beati Maximini epiſcopi & confeſſoris, à quo Athanaſius perſecutionem Conſtantij fugiēs, honorificè ſuſceptus eſt. Item paſsio ſancti Cononis martyris, & filij eius ſub Aureliano imperatore, in Iconio ciuitate, prouinciæ Iſauriæ, iudice Domitiano. Hic cum eſſet fide præclarus, exhibitus iudici cum filio ſuo annorum duodecim, ſpiritum ſanctum habitare in ſe ueraci confeſsione manifeſtauerunt. Inde frixuram paſsi ſunt, & inde ſuſpenſi ualido igne ſub eis adhibito, malleo ad extremum ligneo manibus eorũ contritis, in laude omnipotentis Dei ſpiritum emiſerunt. Eodem die natale ſanctorum Siſinij, Martyrij atq; Alexandri, qui in Augauniæ partibus perſequentibus gentilibus uiris, martyrij coronam adepti ſunt.

C. III. CAL. IVNII.

ROmæ uia Aurelia natale ſancti Felicis papæ. Hic conſtituit ſupra memorias martyrum miſſas celebrari. Qui cum annos quinque rexiſſet eccleſiam, ſub Claudio principe martyrio coronatus eſt. Turribus Sardinię natale ſanctorum martyrum Gabinij & Criſpuli. In Antiochia ſanctorum martyrum Sitini & Palatini, qui multa tormenta propter nomen Chriſti paſsi ſunt.

D. PRID. CAL. IVNII.

ROmæ ſanctæ Petronellæ uirginis, quæ fuit filia beatiſsimi Petri apoſtoli: quę poſt multa miracula ſanitatũ, cum eam Flaccus comes ſuo coniugio uellet ſociare, triduò inducias poſtulans, & cum ſancta uirgine Felicula collactanea ſua continuis ieiunijs atq; orationibus uacans: tertio die celebratis Dominicæ oblationis myſterijs, à ſancto Nicomede presbytero, mox ut Chriſti ſacramenta percepit, reclinans ſe in lectulo emiſit ſpiritum. Apud Aquileiam natale ſanctorum martyrum, Cantij, Cantiani & Cancianillæ fratrum.

Turribus Sardiniæ natale S. Creſcētiani.





## IVNIVS HABET DIES XXX. LVNAM VIGESIMAMNONAM.

## E. CALEND. IVNII.

ROmæ dedicatio Nicomedis martyris & presbyteri, cuius martyriũ celebratur ſeptimadecima calendarũ Octobris. Apud Cæſaream Palæſtinæ natale ſancti Pamphili presbyteri, uiri admirādæ fidei & ſanctitatis, qui ſub perſecutione Maximini martyrio coronatus eſt. Huius uitam Euſebius Cæſarienſis epiſcopus tribus libris cōprehendit. Viennę ſancti Claudij, undecimi epiſcopi. Ipſo die ſancti Capraſij abbatis monaſterij Lirinenſis. In Theſſalonica natale Octauij. In Antiochia Zoſimi. Treueris ſancti Simeonis recluſi.

F. IIII. NON. IVLII.

ROmę natale ſanctorum Marcellini presbyteri, & Petri exorciſtæ, qui multos in carcere ad fidem erudiētes, poſt dira uincula, & plurima tormenta decollati ſunt ſub iudice Sereno: & qui eos decollauit, uidit animas eorum ſplendidè ornatas ab angelis ferri ad cœlos, & pœnitentiam agens ſub Iulio papa baptizatus eſt in ſenectute ſua, nomine Theodorus. Lugduni ſanctæ Blandinæ cum undecim & octo martyribus, cuius à prima luce uſq; ad ueſperam tormenta ſemper innouantes, ad ultimum uictos ſe tortores confitentur: quæ & ſecundo pulſata, cruciata non ſuperatur. Tertio quoq; die religata ad ſtipitem, atq; in crucis modum diſtenta, beſtijs pabulum pręparatur. Quam cum nulla ex beſtijs auderet tangere, rurſum reuocatur ad carcerem: quarto etiam uerberibus acta, craticulis exuſta, & multa alia perpeſſa, ad ultimum gladio iugulatur. Tũc & Ponticus puer, annorum quindecim, per omnia tormentorum genera cum ipſa circumactus, & materna eius cohortatione roboratus, ante illam martyrium conſummauit. In Campania beati Eraſmi martyris & epiſcopi, ſub Diocletiano imperatore & Maximiano, qui iuſſu impij Diocletiani imperatoris, primò plumbatis crudeliter cæſus, deinde fuſtibus diutiſsimè mactatus, pòſt reſina, ſulphure, plumbo, pice, cera, oleoq; ſolutis perfuſus, ingenti miraculo illæſus apparuit. Quod cum multi uiderent, fidem Chriſti reiectis idolis ſuſceperunt. Inde immenſo pondere ferri cōſtrictus, in carcere recluſus ſub dira cuſtodia eſt, de qua angelica uiſitatiōe ſolutus eripitur. Verùm poſtmodum clariſsima ipſius fama uulgāte, tētus eſt ab altero imperatore Maximiano, à quo diuerſis ſupplicijs tortus eſt in tantum, ut tunica ignita ærea ueſtiretur, iterumq; in olla, quæ plumbo, pice, cera, reſina, oleo feruefacta erat, miſſus uirtute Domini omnia ſuperans illæſus exinde progreditur: ſicq; tandem ad confirmandũ cæteros à Domino ſeruatus, in Campaniam munitus angelico ſolatio peruenit: ubi cum plurimos ſiue in fide roboraſſet, ſiue ad fidem Chriſti cōuertiſſet, uocante Domino martyrio clarus ſancto fine quieuit.

G. III. NON. IVNII.

APud Aretium ciuitatem Tuſciæ natale ſanctorum martyrum Pergentini & Laurentij fratrum, qui perſecutione Decij, ſub iudice Turcio, cum eſſent pueri, poſt dura uincula tolerata, & magna miracula oſtenſa, gladio ſunt cæſi, & apud eandem urbem conditi.

A. PRID. NON. IVNII.

APud Illyricum ciuitatem Siſciam natale ſancti Quirini epiſcopi, qui perſecutione Maximini pro fide Chriſti (ut Prudentius ſcribit) ligato ad manum molari ſaxo, in flumen præcipitatus eſt: & circunſtantibus diu collocutus, ne eius terrerentur exemplo, uix precibus ut mergeretur, obtinuit. Huius reliquiæ tranſlatę ſunt Romam, & poſitæ in Catacumbas. In Tuſcia ſancti Laurentij, & aliorũ quadringentorũ. Aurelianis ciuitate depoſitio S. Liſardi presbyteri. In Niniue natale Dinoſcij, Attali, Camarij, Tyrini, Iuliæ & Saraciæ, Cyprini.

B. NONAE IVNII.

SAncti Bonifacij archiepiſcopi, cuius in Freſonis martyrij paſsio pacta eſt, cũ alijs ſeruis Dei, Vuinthrugæ & Vualteræ, Scirpaldæ, & Boſan, Hamōdę & Adelherę, Vuancarę & Gũdacaræ, Vuilleheræ & Athaliolfæ. Apud Aegyptũ natale ſanctorũ martyrũ Martiani, Nicandri & Apollonij, quorum geſta habētur. Eodē die paſsio ſancti Bonifacij martyris, ſub Diocletiano & Maximiano, apud Tharſum ciuitatē paſsi, ſed Romę in uia quę Latina nuncupat̃, ſepulti. Hũc uerò ſua domina Aglaes à Romana urbe, licet cũ ea adulteriũ perpetrauerit, tranſmiſit in loca ubi Chriſtianorum maxima perſecutio fuit, ut alicuius ſancti corpus precio acquiſitum ſibi afferret. Ipſe autem dictis obediēs dominæ ſuæ, perrexit illuc inter Chriſtianos, ſicq; comprehenſus iuſſu principis primùm oleo feruente cum pice perfuſus eſt: ſed in nullo læſus, ad ultimum ab ſpiculatore percuſſus eſt: poſtea uerò à comitibus ſuis, qui ſecum pergebant, poſt martyrij palmam ad dominam ſuã reductus eſt: quæ ipſum accipiens ſepeliuit Romæ uia Latina. Beata uerò Aglaes abrenunciauit mundo, diſtribuens uniuerſa quæ poſsidebat egenis ac monaſterijs, relaxans uniuerſam familiam ſuam à iugo ſeruitutis, & tantam gratiam à Domino promeruit, ut in nomine eius uirtutum ſignis clareſceret. Superuixit in habitu ſanctimoniali annos tredecim, ſepulta apud præfatum martyrem.

C. VIII. IDVS IVNII.

NAtale ſancti Philippi diaconi, qui fuit unus de ſeptem diaconibus, qui cum beato Stephano ſtatim poſt aſcenſionem Domini ab Apoſtolis ſunt ordinati: de quo beatus Lucas in Actibus apoſtolorum refert, quòd ſigna & prodigia faciendo, prædicatione ſua Samariam ad fidē Chriſti conuertit, & Candacis reginæ Aethiopum baptizauit Eunuchũ, quiq; apud Cæ-

ſaream

Alexandri multi martyrio coronati ſunt. Mediolani ſancti Dionyſij epiſcopi & confeſſoris, qui ab imperatore Conſtantio apud Cappadociam pro fide catholica damnatus, exilio ibidē requieuit. Reliquias corporis eius per ſanctum Baſilium præfatæ urbis epiſcopum receptas, beatus Ambroſius condigno honore condidit. Apud Mœſiam ciuitatē Doroſtoro, natale ſanctorum martyrum Paſsicratis, Valentionis, & aliorum ſimul coronatorum. Item Romæ natale Eleutherij papæ, qui ſedit in epiſcopatu annos quindecim. Hic accepit epiſtolas à Lucio, Britannico rege, ut per eius mandatum Chriſtianus fieret. ſepultus eſt iuxta corpus beati Petri apoſtoli.

### F. VII. CAL. IVNII.

Natale beati Iacobi apoſtoli, fratris Ioannis euangeliſtæ, qui decollatus eſt ab Herode rege Ieroſolymis, ut liber Actuum apoſtolorū docet. Huius beatiſsimi ſacra oſſa ab Hiſpanijs tranſlata ſunt, & in ultimis earum finibus, uidelicet contra mare Britannicum condita. Apud Athenas beati Quadrati epiſcopi, diſcipuli Apoſtolorū. Hic firmauit, ut nulla eſca à Chriſtianis repudiaretur, quę rationalis & humana eſt. Item Quadrati martyris, in cuius ſolennitate ſancti Auguſtini ſermones habiti inueniuntur. Romę beatorum martyrum Sinmitrij preſbyteri, & aliorum uiginti duorum, quos Antoninus imperator gladio pro Chriſto punire fecit, quorum corpora beata Praxedis ſepeliuit noctu. Tuderti Tuſciæ natale ſanctorum Feliciſsimi, Heradij, Paulini. In territorio Autiſiodorenſi, paſsio ſancti Priſci martyris, cum ingēti multitudine. In Britannijs ſancti Auguſtini epiſcopi & confeſſoris, qui miſſus à beato Papa Gregorio, primus genti Anglorum Chriſti euangelium prædicauit, atq; illic uirtutibus & miraculis glorioſus quieuit. Viennę paſsio ſancti Zachariæ, ſecundi eiuſdem urbis epiſcopi.

### G. VI. CAL. IVNII.

Apud Meſiam ciuitatem Doroſtorenſem natale ſancti Iulij, qui tempore perſecutionis cum eſſet ueteranus eremitæ militiæ comprehenſus ab officialibus, & Maximo præſidi oblatus, nolens ſacrificare idolis, capitali ſententia punitus eſt. Cumq; duceretur ad locum cædis implendę, Eſicius quidam miles cum & ipſe ob fidem Chriſti comprehenſus detineretur, rogabat eum dicens, Memor eſto mei, nam & ego ſubſequar te. primùm etiam ſaluta Paſsicratem & Valentionem, qui nos iam per bonam confeſsionem præceſſerunt ad Dominū. Iulius uerò oſculans Eſicium dixit, Frater, feſtina uenire: mandata enim tua iam audierunt, quos ſaluaſti. Sic accepto orario ligans ſibi oculos, martyrij palmam gladio cedente percepit. In Gallijs ciuitate Arauſica, ſancti Eutropi epiſcopi & confeſſoris.

### A. V. CAL. IVNII.

Natale ſancti Ioannis papæ, quo tempore Theodoricus rex duos ſenatores præclaros, & conſules Symmachum & Boëtium occidit: qui nonageſimooctauo die poſtquam papa Ioannes interijt, ſubitò defunctus eſt. Quem quia orthodoxus erat, & à Iuſtino imperatore orthodoxo Conſtantinopolim ueniens, glorioſe ſuſceptus fuerat, Theodericus rex Arianus reuertentem Rauennam in cuſtodia tentum, ad mortem uſque cum alijs æquè catholicis uiris perduxit. Huius meminit ſanctus Gregorius in libro Dialogorum. Cuius corpus tranſlatum, ſepultum eſt in baſilica ſancti Petri apoſtoli, quinta calend. Ianuarij, Olibrio conſule. Apud Pariſium ſancti Germani epiſcopi & confeſſoris, qui poſt innumeras uirtutes octogenarius migrauit ad Dominum. In Sardinia ſanctorum Aemilij, Felicis, Priami, Luciani.

### F. IIII. CAL. IVNII.

Romæ uia Aurelia ſancti Reſtituti. Via Tyburtina ſeptem Germanorum. Treueris beati Maximini epiſcopi & confeſſoris, à quo Athanaſius perſecutionem Conſtantij fugiēs, honorificè ſuſceptus eſt. Item paſsio ſancti Cononis martyris, & filij eius ſub Aureliano imperatore, in Iconio ciuitate, prouinciæ Iſauriæ, iudice Domitiano. Hic cum eſſet fide præclarus, exhibitus iudici cum filio ſuo annorum duodecim, ſpiritum ſanctum habitare in ſe ueraci confeſsione manifeſtauerunt. Inde frixuram paſsi ſunt, & inde ſuſpenſi ualido igne ſub eis adhibito, malleo ad extremum ligneo manibus eorū contritis, in laude omnipotentis Dei ſpiritum emiſerunt. Eodem die natale ſanctorum Siſinij, Martyrij atq; Alexandri, qui in Augauniæ partibus perſequentibus gentilibus uiris, martyrij coronam adepti ſunt.

### C. III. CAL. IVNII.

Romæ uia Aurelia natale ſancti Felicis papæ. Hic conſtituit ſupra memorias martyrum miſſas celebrari. Qui cum annos quinque rexiſſet eccleſiam, ſub Claudio principe martyrio coronatus eſt. Turribus Sardinię natale ſanctorum martyrum Gabinij & Criſpuli. In Antiochia ſanctorum martyrum Sitini & Palatini, qui multa tormenta propter nomen Chriſti paſsi ſunt.

### D. PRID. CAL. IVNII.

Romæ ſanctæ Petronellæ uirginis, quæ fuit filia beatiſsimi Petri apoſtoli: quę poſt multa miracula ſanitatū, cum eam Flaccus comes ſuo coniugio uellet ſociare, triduò inducias poſtulans, & cum ſancta uirgine Felicula collactanea ſua continuis ieiunijs atq; orationibus uacans: tertio die celebratis Dominicæ oblationis myſterijs, à ſancto Nicomede presbytero, mox ut Chriſti ſacramenta percepit, reclinans ſe in lectulo emiſit ſpiritum. Apud Aquileiam natale ſanctorum martyrum, Cantij, Cantiani & Cancianillæ fratrum. Turribus Sardiniæ natale S. Creſcētiani.





## IVNIVS HABET DIES XXX. LVNAM VIGESIMAMNONAM.

### E. CALEND. IVNII.

Romæ dedicatio Nicomedis martyris & presbyteri, cuius martyriū celebratur ſeptimadecima calendarū Octobris. Apud Cæſaream Palæſtinæ natale ſancti Pamphili presbyteri, uiri admirādæ fidei & ſanctitatis, qui ſub perſecutione Maximini martyrio coronatus eſt. Huius uitam Euſebius Cæſarienſis epiſcopus tribus libris cōprehendit. Viennę ſancti Claudij, undecimi epiſcopi. Ipſo die ſancti Capraſij abbatis monaſterij Lirinenſis. In Theſſalonica natale Octauij. In Antiochia Zoſimi. Treueris ſancti Simeonis recluſi.

### F. IIII. NON. IVLII.

Romę natale ſanctorum Marcellini presbyteri, & Petri exorciſtæ, qui multos in carcere ad fidem erudiētes, poſt dira uincula, & plurima tormenta decollati ſunt ſub iudice Sereno: & qui eos decollauit, uidit animas eorum ſplendidè ornatas ab angelis ferri ad cœlos, & pœnitentiam agens ſub Iulio papa baptizatus eſt in ſenectute ſua, nomine Theodorus. Lugduni ſanctæ Blandinæ cum undecim & octo martyribus, cuius à prima luce uſq; ad ueſperam tormenta ſemper innouantes, ad ultimum uictos ſe tortores confitentur: quæ & ſecundo pulſata, cruciata non ſuperatur. Tertio quoq; die religata ad ſtipitem, atq; in crucis modum diſtenta, beſtijs pabulum pręparatur. Quam cum nulla ex beſtijs auderet tangere, rurſum reuocatur ad carcerem: quarto etiam uerberibus acta, craticulis exuſta, & multa alia perpeſſa, ad ultimum gladio iugulatur. Tūc & Ponticus puer, annorum quindecim, per omnia tormentorum genera cum ipſa circumactus, & materna eius cohortatione roboratus, ante illam martyrium conſummauit. In Campania beati Eraſmi martyris & epiſcopi, ſub Diocletiano imperatore & Maximiano, qui iuſſu impij Diocletiani imperatoris, primò plumbatis crudeliter cæſus, deinde fuſtibus diutiſsimè mactatus, poſt reſina, ſulphure, plumbo, pice, cera, oleoq; ſolutis perfuſus, ingenti miraculo illæſus apparuit. Quod cum multi uiderent, fidem Chriſti reiectis idolis ſuſceperunt. Inde immenſo pondere ferri cōſtrictus, in carcere recluſus ſub dira cuſtodia eſt, de qua angelica uiſitatiōe ſolutus eripitur. Verùm poſtmodum clariſsima ipſius fama uulgāte, tētus eſt ab altero imperatore Maximiano, à quo diuerſis ſupplicijs tortus eſt in tantum, ut tunica ignita ærea ueſtiretur, iterumq; in olla, quæ plumbo, pice, cera, reſina, oleo feruefacta erat, miſſus uirtute Domini omnia ſuperans illæſus exinde progreditur: ſicq; tandem ad confirmandū cæteros à Domino ſeruatus, in Campaniam munitus angelico ſolatio peruenit: ubi cum plurimos ſiue in fide roboraſſet, ſiue ad fidem Chriſti cōuertiſſet, uocante Domino martyrio clarus ſancto fine quieuit.

### G. III. NON. IVNII.

Apud Aretium ciuitatem Tuſciæ natale ſanctorum martyrum Pergentini & Laurentij fratrum, qui perſecutione Decij, ſub iudice Turcio, cum eſſent pueri, poſt dura uincula tolerata, & magna miracula oſtenſa, gladio ſunt cæſi, & apud eandem urbem conditi.

### A. PRID. NON. IVNII.

Apud Illyricum ciuitatem Siſciam natale ſancti Quirini epiſcopi, qui perſecutione Maximini pro fide Chriſti (ut Prudentius ſcribit) ligato ad manum molari ſaxo, in flumen præcipitatus eſt: & circunſtantibus diu collocutus, ne eius terrerentur exemplo, uix precibus ut mergeretur, obtinuit. Huius reliquiæ tranſlatę ſunt Romam, & poſitæ in Catacumbas. In Tuſcia ſancti Laurentij, & aliorū quadringentorū. Aurelianis ciuitate depoſitio S. Liſardi presbyteri. In Niniue natale Dinoſcij, Attali, Camarij, Tyrini, Iuliæ & Saraciæ, Cyprini.

### B. NONAE IVNII.

Sancti Bonifacij archiepiſcopi, cuius in Freſonis martyrij paſsio pacta eſt, cū alijs ſeruis Dei, Vuinthrugæ & Vualteræ, Scirpaldæ, & Boſan, Hamōdę & Adelherę, Vuancarę & Gūdacaræ, Vuilleheræ & Athaliolfæ. Apud Aegyptū natale ſanctorū martyrū Martiani, Nicandri & Apollonij, quorum geſta habētur. Eodē die paſsio ſancti Bonifacij martyris, ſub Diocletiano & Maximiano, apud Tharſum ciuitatē paſsi, ſed Romę in uia quę Latina nuncupat̃, ſepulti. Hūc uerò ſua domina Aglaes à Romana urbe, licet cū ea adulteriū perpetrauerit, tranſmiſit in loca ubi Chriſtianorum maxima perſecutio fuit, ut alicuius ſancti corpus precio acquiſitum ſibi afferret. Ipſe autem dictis obediēs dominæ ſuæ, perrexit illuc inter Chriſtianos, ſicq; comprehenſus iuſſu principis primùm oleo feruente cum pice perfuſus eſt: ſed in nullo læſus, ad ultimum ab ſpiculatore percuſſus eſt: poſtea uerò à comitibus ſuis, qui ſecum pergebant, poſt martyrij palmam ad dominam ſuā reductus eſt: quæ ipſum accipiens ſepeliuit Romæ uia Latina. Beata uerò Aglaes abrenunciauit mundo, diſtribuens uniuerſa quæ poſsidebat egenis ac monaſterijs, relaxans uniuerſam familiam ſuam à iugo ſeruitutis, & tantam gratiam à Domino promeruit, ut in nomine eius uirtutum ſignis clareſceret. Superuixit in habitu ſanctimoniali annos tredecim, ſepulta apud præfatum martyrem.

### C. VIII. IDVS IVNII.

Natale ſancti Philippi diaconi, qui fuit unus de ſeptem diaconibus, qui cum beato Stephano ſtatim poſt aſcenſionem Domini ab Apoſtolis ſunt ordinati: de quo beatus Lucas in Actibus apoſtolorum refert, quòd ſigna & prodigia faciendo, prædicatione ſua Samariam ad fidē Chriſti conuertit, & Candacis reginæ Aethiopum baptizauit Eunuchū, quiq; apud Cæ-

ſaream requieuit: iuxta quem tres uirgines, filię ipſius tumulatæ iacent. nam quarta filia illius plena ſpiritu ſancto in Epheſo occubuit. Romę ſanctorum Artemij, cum uxore ſua Candida, & filia Paulina. Hic Artemius cum eſſet cuſtos carceris, & clauſum teneret Petrum exorciſtam in cuſtodia, eſſetq; illi filia unica dæmonio uexata, beati Petri precibus mox ſanata eſt, & ipſe cum uxore pariter, & eadem filia Chriſto credens, à beato Marcellino presbytero baptizatus eſt, omniſq; domus eius & multi alij, ita ut abſq; mulieribus, uirorum fieret trecentorũ numerus. Hoc iudex Serenus audiens factum, Artemium, Candidam, & filiam ipſorum Paulinã ſibi præſentatos, immenſo pondere ruderũ iuſſit obrui. Sicq; Dei ſancti perducti ad paſsionis locum, beatus quidem Artemius gladio percuſſus eſt, ſancta uerò Candida atq; Paulina per limina cryptæ præcipitatæ, lapidib. ſunt obrutæ.

D. VII. IDVS IVNII.

CONſtãtinopoli natale ſancti Pauli eiuſdem ciuitatis epiſcopi, qui tempore Arianæ perfidiæ à Conſtantino imperatore apud ciuitatulam quandam Cappadociæ Cucuſam nomine, ob catholicam fidem pulſus exilio, Arianorum inſidijs crudeliter ſtrangulatus, ad cœleſtia regna migrauit. In Cæſarea Cappadociæ natale ſancti Luciani martyris. In Africa ſancti Amantij, Lucij. In Alexãdria, Andreæ, Donati & Peregrini, & depoſitio beati Claudij epiſcopi.

E. VI. IDVS IVNII.

IN Gallia Sueſsionum ciuitate depoſitio ſancti Medardi epiſcopi & confeſſoris, cuius uita plena uirtutibus conſcripta eſt. Nam largus fuit in eleemoſynis, uirtutibus clarus, prophetiæ ſpiritum habuit, ter quinis annis Veromandenſium urbis epiſcopatum tenuit, ad extremũ ad cœleſtia migrans. Tunc ad Sueſsionum urbem corpus eius translatum eſt, ibiq; ſepultũ multis uirtutum titulis claruit. Andegauis ſancti Licinij epiſcopi & cõfeſſoris. Eodem die ſancti Carileffi confeſſoris, & ſancti Naboris confeſſoris. In Tharſo Ciliciæ martyrum uiginti ſub Simplicio iudice.

F. V. IDVS IVNII.

ROmæ in monte Cælio natale ſanctorũ martyrum Primi & Feliciani, qui ſub Diocletiano & Maximiano imperatoribus pro Chriſti nomine multa tormẽta paſsi ſunt. Nam Promoto prȩſidi ipſi nequiſsimi imperatores ad puniendum eos tradiderũt. Qui cum uideret eos nullo modo poſſe à Chriſti confeſsione conuerti, ſeparauit eos abinuicem, & primitus Felicianum octoginta annos habentem, iuſsit plumbatis tundi, poſtea uerò miſit eum in carcerem, & neq; cibum, neq; aquam ei ſinebat præbere tribus diebus: deinde Primum ſimiliter iuſsit fuſtibus cædi, dehinc uerò in amphitheatro ſanctos martyres leonibus tradi præcepit: ſed nullo modo ab eis læſi ſunt. Quod uidentes turbæ crediderunt in Chriſtum plus quàm mille quingenti. Nouiſsimè uerò ſancti martyres à prædicto comite decollati ſunt: quorum corpora noctu à Chriſtianis fidelibus rapta, ſepulta ſunt ad arcus Numentanos intra harenarium. In Gallijs ciuitate Agino, loco Pompeiaco, paſsio ſancti Vincentij, leuitæ & martyris. In Scotia ſancti Columbæ confeſſoris.

G. IIII. IDVS IVNII.

ROmæ uia Aurelia, miliario tertiodecimo, natale ſancti Baſilidis martyris. Tripodis & Mandalis ſub Aureliano imperatore, Platone præſide, & aliorum uiginti martyrum. Eodẽ die beati Gethulij martyris, temporibus Adriani imperatoris, ſub iudice Licinio. nam cũ eſſet Chriſtianiſsimus, & multa bona opera feciſſet, traditus eſt Cereali uicario ad puniendum: ſed ſanctus Gethulius ſana prȩdicatione conuertit ad fidem Chriſti, ſicut fecit Amantium tribunũ fratrem eius. Sanctus uerò Sixtus papa baptizauit Cerealem, & confirmauit in fide. Poſtea uerò cum audiſſet hoc factum prædictus imperator, tradidit ſanctum Gethulium Licinio prȩfecto ſuo, ut eum cum ſocijs ſuis, ſi nollet ſacrificare idolis, mitteret in caminum ignis ardentẽ. Quod cùm factum fuiſſet, nullo modo ab igne læſi ſunt. Tunc fuſtibus illiſo capite martyrium compleuerunt: quorum corpora collegit beata Simphoroſa, uxor Gethulij martyris, & ſepeliuit in prædio ſuo. In Africa Areſirogati, & aliorum quindecim. In Hiſpanijs Chriſpuli reſtituti. In Nicomedia ſancti Zacharię. In Autiſiodoro depoſitio Cenſuri epiſcopi.

A. III. IDVS IVNII.

NAtale ſancti Barnabæ apoſtoli: qui cum eſſet Cyprius, cum Paulo gentium apoſtolus ordinatus eſt. Hic poſtea propter Ioannẽ diſcipulum, qui & Marcus uocabatur, ſeparatus à Paulo, nihilominus euangelicę prædicationis iniunctum ſibi opus exercuit. Cuius corpus tẽpore Zenonis imperatoris, ipſo reuelante repertum eſt. Apud Corinthum ſancti Soſthenes, diſcipuli ſancti Pauli apoſtoli. In Aquileia natale ſanctorum martyrum, Felicis & Fortunati, ſub perſecutione Diocletiani & Maximiani imperatorũ, præſide Euſimio. Qui cum eſſent germani fratres, fide Chriſti feruentes, primùm in equuleo ſuſpenſi ſunt, ardentibus lampadibus circa latera appoſitis, ſed mox pſallẽtibus martyribus extinctis: inde per uentrem feruenti oleo ſuperfuſi, ad ultimum capite truncantur.

B. PRID. IDVS IVNII.

ROmæ uia Aurelia, miliario quinto, paſsio ſanctorum martyrũ, Baſilidis, Cyrini, Naboris & Nazarij: quorum Naborem & Nazarium, ſimul cum Gorgonio martyre tranſtulit à Roma in Galliam Grodegandus Metenſis epiſcopus, permittente Paulo papa Romano, anno Dominicæ incarnationis ſeptingenteſimo ſexageſimo quinto, & collocauit prædictus epiſcopus ſanctum Gorgoniũ in monaſterio quod dicitur Gorzia: ſanctum uerò Naborem in monaſterio quod dicitur Noua cella: ſanctũ quoq; Nazarium in monaſterio, quod dicitur Loreſhain, ubi ſigna & miracula in ſanitate infirmorum & debilium ſæpius fiunt. Mediolani na-

tale



natale ſanctorum martyrum Nazarij & Celſi pueri. Sanctus namq; Nazarius à beato Clemẽte inſtructus & baptizatus eſt, quẽ Anolinus ſub Neronianæ perſecutionis rabie diu afflictũ in carcere cum Celſo puero, quem ipſe nutrierat, gladio feriri iuſsit, quorum corpora Chriſtiani furati ſepelierunt in proprijs hortis, quos beatus Ambroſius Domino reuelante reperit. Et depoſitio ſancti Odolfi presbyteri.

C. IDVS IVNII.

ROmæ natale ſanctæ Felicolæ uirginis, quã cum Flaccus comes poſt exceſſum Petronellæ uellet ducere uxorem, atq; ad terrendum eam propoſuiſſet dicens, Vnum tibi è duobus elige: aut eſto uxor mea, aut dijs ſacrifica, reſpõſum ab ea accepit, Nec uxor tua ero (quia Chriſto ſacrata ſum) nec immolabo idolis (quia Chriſtiana ſum) Tunc Flaccus tradidit eam uicario, qui fecit eam in tenebroſo claudi cubiculo, ſine cibo per ſeptem dies. Poſt hæc duxerũt eam ad uirgines Veſtæ, ibiq; per alteros ſeptẽ dies ſine cibo permanſit: eo quòd nulla ratione cibũ pateretur de eorum manu accipere. De hinc leuata eſt in equuleum, & tamdiu torqueri iuſſa eſt, donec emitteret ſpiritum: & ſic præcipitata eſt in cloacam, quam ſanctus Nicomedes preſbyter tulit, & ſepeliuit ſeptimo miliario ab urbe Roma. In Africa, Luciani & Fortunati.

D. XVIII. CALEND. IVLII.

HEliſęi prophetę, qui apud Samariam Palæſtinæ ſitus eſt, ubi & Abdias requieſcit, & quo maior inter natos mulierum non fuit, Ioannes baptiſta, ubi multa miracula fiunt. Sueſſionis ciuitate paſsio ſanctorũ martyrum, Valerij & Rufini. Apud Cæſaream Cappadociæ ſancti Baſilij epiſcopi, fratris Gregorij & Petri. Viennæ ſancti Etherij epiſcopi.

E. XVII. CALEND. IVLII.

APud Siciliam ſanctorum martyrum Viti, Modeſti, & Creſcentiæ. Qui beatus Vitus in puerilitate uirtutibus maturus, primùm à patre ſuo ſacrilego Hyla, ut à cultura Dei recederet, tentatus eſt: deinde à Valeriano iudice cathomis cęſus, in confeſsione Chriſti permanſit. Inde redditus patri, cum pœnis affligere illum pater meditaretur, monitu angeli nauem conſcendens, comitantibus ſecũ Modeſto & Creſcentia nutritoribus, ad Thani Agrithanũ territorium deuenit: inde propter filiã Diocletiani imperatoris dæmonio uexatam, quæſitus & adductus ad eum, eius filiam oratione curauit. Sed cum imperator impius nequaquam eum ad conſenſum idolorum perſuadere potuiſſet, uinculis ferreis aſtrictum in teterrimum induci carcerem iuſsit, cum Modeſto atq; Creſcentia: quos poſtea Diocletianus in ollam reſina & pice, & plumbo ſuccenſam iactari præcepit: egreſsiq; de olla illæſi, dimiſſus eis leo ferociſsimus, qui mox pedes eorum lingere cœpit. nouiſsimè uerò iuxta fluuium, qui dicitur Siler, quieſcentes ſub arbore, animas ſuas Domino reddiderunt. Florentia uerò fœmina illuſtriſsima, corpora ſanctorũ collegit, & in loco qui dicitur Marianus, condita aromatibus ſepeliuit. Apud Meſiam ſancti Eſicij, qui ſub præſide Maximiano martyrio coronatus eſt.



F. XVI. CALEND. IVLII.

APud urbem Veſontionenſem ſanctorũ Ferreoli presbyteri, & Ferrutionis diaconi, q à B. Hyreneo Lugdunenſi epiſcopo & martyre ad prædicãdum uerbum Dei miſsi, ſub Claudio iudice ad trochleas extẽti, & flagellati ſunt: deinde incluſi carcere, manè amputatis linguis prædicabant uerbum Dei. Poſt hæc ſubulæ triginta utriſq; infixæ manibus & pedibus & pectore, ad ultimum gladio feriuntur. Et in ciuitate Maguntiaco paſsio ſanctorum Aurei & Iuſtinæ ſororis eius, qui ab Hunis uaſtãtibus Germaniam in eccleſia occiſi ſunt. Itẽ in Antiochia ſanctorum Cirici & Iulitæ matris eius, quorũ prior poſt dira uerbera, etiam calcem cum aceto & ſinapi in os accepit. Deinde clauis affixi pariter euulſis oculis in carcerẽ truſi ſunt. Poſt hæc decaluati & excoriati, ſuper carbones in lecto æreo aſſati ſunt: ad ultimũ ſerris attriti, amputatis linguis martyrij ſui curſum obtruncatione capitis impleuerũt. Paſsi ſunt cum eis & alij quadringenti quatuor. Eodem die depoſitio ſancti Alexis confeſſoris.

G. XV. CALEND. IVLII.

ROmæ ſanctorum martyrum ducentorũ ſexaginta duorũ, qui poſiti ſunt uia Salaria uetere, ad cliuum cucumeris. Eodem die ſancti Vultmari confeſſoris, admirandæ ſanctitatis uiri & religionis. In ciuitate Nannetis ſancti Similiani epiſcopi & confeſſoris. Lugduni depoſitio S. Aureliani, epiſcopi Arelatenſis. Apud Viennam ſancti Domnoli epiſcopi. In Aurelianis ciuitate ſancti Viti presbyteri & monachi, cuius uita miraculis coruſcabat. Hic inter alia facta q̃uendam monachum defunctum in eccleſia, cæteris fratribus ſomno grauatis, oratione fuſa ad Dominum à morte ſuſcitauit.

A. XIIII. CALEND. IVLII.

ROmæ uia Ardeatina natale ſanctorũ Marci & Marcelliani fratrum, prȩclariſsimi generis, Tranquillini & Marciæ filiorum, qui primò carcerem pro fide paſsi ſunt, poſtmodum à Fabiano iudice tenti, & ad ſtipitẽ ligati, in pedibus acutos clauos acceperũt. Cum autẽ trãſiſſet una dies & una nox, & illi laudantes Deum perſeuerarent, lanceis per latera transfixi, cum gloria martyrij ad ſiderea regna migrarunt. In Antiochia paſsio Marinę uirginis, quę per Olibriũ præfectum multa tormenta paſſa eſt pro nomine Chriſti: uincula, carceres, flagella, equuleũ, quam & diabolus in draconis ſpecie, ſimiliter & in Aethiopis tentauit, ſed per ſignũ ſanctę crucis ſuperatus eſt. Nouiſsimè uerò per prædictum præfectum decollata, ſacro martyrio uitam finiuit.

B. XIII. CALEND. IVLII.

MEdiolano natale ſanctorũ Geruaſij & Protaſij: qui cum per decẽ annos in uno cœnaculo concluſi, lectionibus & orationibus atq; ieiunijs uacaſſent, undecimo ad palmam mar-

t tyrij

tyrij peruenerũt, tẽti ab Aſtachio comite. Qui primum tamdiu iuſsit plumbatis cõtundi, quã diu exhalaret ſpiritum: ſequentem uerò, id eſt, Prothaſium, fuſtibus cæſum capite truncari. Quorũ corpora Philippus, uir religioſus, unà cum filio ſuo furtim abſtulit, & in domo ſua in arca marmorea ſepeliuit: quorumq́ꝫ ſepulchra multo pòſt tẽpore Theodoſio imperatore Domino reuelante beatus Ambroſius reperit, & ita incorrupta eorum corpora inuenit, ac ſi eodem die fuiſſent interempti. Quæ cum in urbẽ introducerentur, quidam diu cæcus feretri tactu lumẽ recepit. Apud Rauennã ſancti Vrſicini martyris, qui ſub iudice Paulino, poſt nimia tormẽta capite cæſus martyrium cõſummauit.

C. XII. CALEND. IVLII.

SYlueriј papæ, qui ſedit Romæ anno uno, qui conſentiente Iuſtiniano imperatore, à Viliſario patricio depoſitus, & monachus factus, in exilio confeſſor moritur. Romæ ſancti Nouati fratris Timothei, presbyteri, qui à beatis apoſtolis eruditi ſunt. De quo ſcribit Paſtor in geſtis Pudentianæ & Praxedis uirginũ. Et tranſlatio ſancti Zenonis martyris, & ſanctæ Florentiæ uirginis.

D. XI. CALEND. IVLII.

IN Mogontia natale ſancti Albani martyris, qui ſub Diocletiano imperatore de inſula Nãſia pergẽs cum ſancto Theoneſto & Vrſo Mediolanum uenit: indeq́ꝫ exiens auxiliãte Domino peruenit ad Gallias, ibiq́ꝫ in ſeruitio Dei manens, ad martyriũ pro nomine ſaluatoris promptus fuit. Poſtquam autem in Auguſta ciuitate beatus Vrſus martyrium accepit, Theoneſtus cum Albano Moguntiam peruenit: dumq́ꝫ ibi prędicaret uerbum Dei, Albanus diſcipulus eius martyriũ expleuit, & ſepultus eſt ibi iuxta prædictam ciuitatem. Syracuſis natale ſanctorum martyrum Rufi & Martiæ. Romæ ſanctæ Demetriæ uirginis, quæ fuit beati Fauſti filia. Hæc cum ante impium Iulianum pro fide Chriſti introduceretur, in confeſsione ſpiritum emiſit: ſepulta à beato Ioãne presbytero, iuxta matrem ſuam ſanctam Daffroſam, & ſororem Viuianam, iuxta palatium Lucianum.

E. X. CALEND. IVLII.

IN Britannia ſancti Albini martyris, qui tempore Diocletiani in Verelamio ciuitate, poſt uerbera & tormenta acerba capite plexus eſt. Sed illo in terrã cadẽte, oculi eius qui eum percuſsit, pariter ceciderunt. Paſſus eſt cum eo etiam unus de militibus, eo quòd eum ferire iuſſus, noluerit: diuino utiq́ꝫ perterritus miraculo, quia uiderat beatum martyrem ſibi dum ad coronam martyrij properaret, alueũ amnis interpoſiti orando tranſmeabilem reddidiſſe. In ciuitate Nolana Cãpaniæ natale ſancti Paulini epiſcopi & cõfeſſoris, de quo beatus Gregorius in libro dialogorũ narrat. Et depoſitio beati Nicetę Romatianę ciuitatis epiſcopi, & Cõſortię uirginis. Et paſsio ſanctorũ 10. miliũ martyrũ.

F. IX. CALEND. IVLII.

NAtale Ioannis presbyteri, quem impius Iulianus inauditum uia Salaria uetere ante ſimulachrum ſolis decollari præcepit: eiusq́ꝫ corpus à beato Concordio presbytero collectum & ſepultum eſt iuxta concilia martyrum. Apud Britanniã ſanctę Ediltrudis uirginis & reginæ, cuius corpus cum undecim annis eſſet ſepultum, incorruptum inuentum eſt. Et uigilia ſancti Iohannis Baptiſtæ.

G. VIII. CALEND. IVLII.

NAtiuitas beati Ioannis baptiſtæ præcurſoris Domini, Zachariæ & Eliſabeth filij, qui ſpiritu ſancto repletus adhuc in utero matris ſuæ, ad Iſrael cõfortatus, ſpiritu agebatur in deſertis, ueſtitus pilis camelorũ, habens zonã pelliceam circa lũbos ſuos: eſca autem eius erat locuſta, & mel ſylueſtre edebat. xxx. ętatis anno, quintodecimo anno imperij Tyberij Cæſaris, cum procurator eſſet in Iudæa Pilatus, iamq́ꝫ regnum Iudæorum in quatuor principatus eſſet diuiſum, uenit in omnẽ regionem Iordanis, prædicans baptiſmum pœnitentię in remiſsionem peccatorũ. Romæ Fiſci, Luciæ, cum alijs uiginti duob. Auguſtuduno depoſitio S. Simplicij.

A. VII. CALEND. IVLII.

APud Berœã ſancti Soſipatris, diſcipuli ſancti Pauli apoſtoli. Apud Alexandriam ſancti Gallicani martyris, qui per prædicationem Ioannis & Pauli ad fidẽ Chriſti conuerſus, poſt innumera quæ perpetrauit bona, à Rauciano comite percuſſus gladio migrauit ad Chriſtũ. Romæ Luciæ uirginis, cũ alijs uiginti duobus, & Aceiæ regis. Theſſalonicæ ſanctorũ, Bigati, Lantani, & dormitio ſancti Ioãnis euangeliſtæ.

B. VI. CALEND. IVLII.

ROmæ Ioannis & Pauli fratrum, quorũ primus præpoſitus, ſecundus primicerius fuit Conſtantiæ uirginis, filiæ Conſtantini. Qui cũ omni die turmas Chriſtianorum recrearent, ex his opibus, quas ſacratiſsima uirgo Chriſti reliquerat, peruenit hoc ad Iulianum: qui miſſo Terrentiano campi ductore, intra domum propriam decollati ſunt: qui tamẽ poſtea Chriſtianus factus eſt. Eodem die ſancti Quadrati apoſtolorũ diſcipuli, qui in locũ beati Publij Athenarum epiſcopi ſubſtituitur, & eccleſiã grandi terrore diſperſam fide & induſtria cõgregauit.

C. V. CALEND. IVLII.

APud Galatiam beati Creſcentis epiſcopi, diſcipuli ſancti Pauli apoſtoli. Apud Tyburtinam urbem Italiæ, natale ſanctæ Simphoroſæ, beati Gethulij uxoris, cum ſeptem filijs: quorũ mater ſub Hadriano principe maxima cõſtantia pro Chriſtiana fide mortẽ paſſa eſt: q ipſam iuſsit pamlis cædi, deinde ſuſpẽdi crinib. Sed cum ſuperari nullatenus poſſet, iuſsit eam alligato ſaxo in fluuium præcipitari. Cuius frater Eugenius curiæ principalis, colligens corpus eius ſepeliuit. Et manè Imperator ſeptem iuſsit figi ſtipites, ibiq́ꝫ filios eius ad trochleas extendi, & Creſcentem in gutture trãsfigi, Lucianum in pectore, Nemeſium in corde, Primitiuum per umbilicum, Iuſtinum per membra diſtẽtum ſcindi per ſingulos corporis nodos atq́ꝫ





iuncturas, Stacteum lanceis innumerabilibus, donec moreretur in terra cõfigi, Eugenium findi à pectore uſq́ꝫ ad inferiores partes. Altera autem die Adrianus præcepit corpora eorum in foueam altam projci. Et pontifices templorũ poſuerunt nomen loci illius, Ad ſeptem biothanatos. Cordubæ ſanctorum Zoili, & aliorũ decem & nouem. In Epheſo ciuitate feſtiuitas celebratur ſeptem fratrum dormiẽtium: hoc eſt, Maximiani, Malchi, Marciani, Dionyſij, Ioannis, Serapionis, Conſtantini.

D. IIII. CALEND. IVLII.

LEonis papæ, qui poſt Petrum apoſtolũ quadrageſimus ſeptimus in urbe Roma ſedit annos uiginti unũ, menſem unum, dies tredecim. Hic cum multis epiſcopis fidem catholicam exponens, Eutychianam & Neſtorianam hæreſim damnauit, & ſanctiſsimum concilium Chalcedonenſe ſua induſtria congregari fecit. Hic conſtituit intra actionem dicere ſanctum ſacrificium, & monacham nõ accipere uelamen capitis benedictum ab epiſcopo, niſi prius probata illius uirginitas fuerit. Apud Alexandriam ſanctorum martyrum Plutarchi, Sereni, Eraclidis, Herois: item Sereni, Potamienę, Marcellæ, Catechuminæ, Heræ, Nomiæ, baptiſmum martyrij cõſecutæ. Inter quos præcipuè emicuit Potamiena uirgo, quæ poſt innumeros agones cũ uenerabili matre Marcella, ignis ſupplicijs cõſumpta, è terris migrauit ad cœlum. Lugduno Galliæ ſancti Irenæi epiſcopi, qui cũ omni ferè ciuitatis ſuę populo glorioſo coronatus eſt martyrio, ſub Seuero principe, ſepultusq́ꝫ à Zacharia presbytero in crypta baſilicæ beati Ioannis Baptiſtæ, ſub altari. Et uigilia apoſtolorum Petri & Pauli.

E. III. CALEND. IVLII.

ROmę natale ſanctorum apoſtolorum Petri & Pauli, qui paſsi ſunt ſub Nerone, Baſſo & Tuſco cõſulibus. Petrus ſecundo Claudij anno, poſt epiſcopatum Antiochenſis eccleſiæ, & prædicationem diſperſionis eorum, qui de circũciſione crediderant, in Ponto, Galatia, Cappadocia, Aſia & Bithynia ad expugnandum Simonem magum Romam miſſus eſt, ibiq́ꝫ uiginti quinq́ꝫ annos cathedram ſacerdotalẽ tenuit, uſq́ꝫ ad ultimum annum Neronis, à quo affixus cruci martyrio eſt coronatus, capite ad terram uerſo, & in ſublime pedibus eleuatis, aſſerẽs ſe indignũ, qui crucifigeretur ut Dominus ſuus. Sepultus autẽ eſt in eadem urbe in Vaticano, iuxta uiã Triumphalẽ, qui totius orbis ueneratur celebratione. Hic ordinauit duos epiſcopos, Linum & Cletũ, qui præſentialiter omne miniſterium ſacerdotale in urbe Roma populo uel ſuperuenientibus exhiberent: ipſe uerò orationi & prædicationi operam dabat.

F. PRID. CALEND. IVLII.

EOdem anno, quo paſſus eſt Dominus, conſtat Paulum ad fidem ueniſſe. Paulus quoq́ꝫ poſt paſsionẽ Domini uiceſimo quinto anno, id eſt, ſecundo Neronis: poſtquam ab Hieruſalem uſq́ꝫ Illyricum repleuit euangeliũ Chriſti, Romam uinctus miſſus eſt, & ſicut ipſe in ſecũda epiſtola ad Timotheum ſcribit, liberatus de ore leonis, uidelicet ferociſsimi perſecutoris Neronis, euangeliũ Chriſti in occidẽtis quoq́ꝫ partibus prędicauit. Et hic ergo quartodecimo Neronis anno eodẽ die quo Petrus Romæ pro Chriſto capite truncatur, ſepultusq́ꝫ eſt in uia Oſtienſi, anno poſt paſsionẽ Domini triceſimo ſeptimo. Itẽ beatiſsimę Lucinę diſcipulę apoſtolorũ: & Lemouicas S. Martialis epiſcopi & cõfeſſ. In Agrippina ſanctorũ Aſclyppi, Pãphili.



# IVLIVS HABET DIES XXXI. LVNAM TRICESIMAM.

## G. CALEND. IVLII.

IN monte Hor depoſitio Aaron ſacerdotis. Eodem die Turonis ſanctæ Monegundis uirginis. Viennæ beati Martini, tertij eiuſdẽ urbis epiſcopi, ad præfatam urbẽ ab apoſtolis miſsi. In territorio Lugdunenſi depoſitio beatiſsimi Domitiani abbatis, qui primus illic eremiticam uitam duxit, & natale Areleſſi confeſſoris. Et octaua ſancti Ioannis baptiſtæ.

A. VI. NON. IVLII.

ROmæ in cœmiterio Damaſi natale ſanctorũ Proceſsi & Martiniani, qui à beatis apoſtolis Petro & Paulo baptizati & inſtructi ſunt, cum alijs promiſcui ſexus, numero quadraginta ſeptem. Quod cum audiſſet præfectus Paulinus, miſit milites, & tenuit eos, iuſsitq́ꝫ in cuſtodiam retrudi, & ſequenti die, ut os eorum cum lapidibus contunderetur, deinde in equuleo ſuſpendi, & attrahi, neruis & fuſtibus cædi, dehinc ut flammæ circa latera eorum apponerentur. Poſt triduum Paulinus arreptus à dæmonio expirauit. Cæſarius uerò præfectus hęc Neroni intimauit, cui Nero præcepit dicens, Non tardentur, ſed celerius extinguantur. Tunc educti foras muros urbis Romæ, gladio ſunt cæſi. Corpora eorum beata Lucina collegit, & cũ aromatibus ſepeliuit in prædio ſuo. Item ſanctorum martyrum, Ariſtionis, Creſcẽtiani, Eutychiani, Vrbani, Vitalis, Iuſti, Feliciſsimi, Felicis, Marciæ & Simphoroſæ, qui omnes apud Campaniam martyrio coronati ſunt.

B. V. NON. IVLII.

LEonis papę, qui ſedit Romæ menſes decem. Hic eloquẽtiſsimus & diuinis ſcripturis ſufficienter inſtructus fuit, Græca Latinaq́ꝫ lingua eruditus. Hic ſanctam ſextam ſynodum fecit, quæ in regia urbe celebrata eſt, ubi dãnati ſunt, Cyrus, Sergius, Honorius, Pyrrhus, Paulus, Petrus, Macharius, Stephanus, Polychronius & nouus Symon, qui unam uoluntatem & operationem in Domino Ieſu Chriſto prædicabant. Apud Edeſſam Meſopotamię trãslatio corporis ſancti Thomæ apoſtoli. Cæſareæ Ponti na-

tale ſancti Gregorij epiſcopi & martyris, beati Athenodori epiſcopi fratris, qui orãdo ſtagnũ quoddam conuertit in ſiccitatem.

C. IIII. NON. IVLII.

OSeæ & Aggæi prophetarũ. Turonis trãſlatio ſancti Martini epiſcopi & confeſſoris, & ordinatio epiſcopatus eius, & dedicatio baſilicæ ipſius. In Africa ſancti Iucundiani martyris in mare merſi. Apud Sirmium natale ſanctorum Innocentij, Sabbatiæ, cum alijs triginta. In Biturica ciuitate natale ſancti Lauriani martyris, & depoſitio ſancti Dalrici epiſcopi & confeſſoris.

D. III. NON. IVLII.

APud Syriam ſancti Domitij martyris, qui uirtutibus ſuis multa incolis beneficia præſtat. Romæ natale ſanctę Zoę, uxoris beati Nicoſtrati martyris: quæ ad confeſsionem beati Petri apoſtoli dum oraret, à paganis arctata, ducta eſt ad patronum Naumachiæ, à quo primũ in cuſtodiam obſcuriſsimam truſa, & per dies ſex omni ſolatio lucis & uictus fraudata, ſeptimo die demum à collo & à capillis in corpore ſuſpenſa, adhibito ſubter fumo in confeſsione Domini emiſit ſpiritum. In Sicilia natale Agathonis & Triphinæ. Et in Thomis, Marini, Theodoti & Sodephæ.

E. PRID. NON. IVLII.

ISaiæ & Ioel prophetarum, & octaua apoſtolorum, & primus beati apoſtoli Pauli ingreſſus in urbem Romam anno ſecundo Neronis. Item depoſitio beati Goaris confeſſoris, qui in prouincia Aquitaniæ ortus, temporibus Hildeberti regis Francorum, ſtatim ab infantia uerus cultor Dei fuit. Hic poſtmodum ibi presbyter conſecratus, patriam parenteſq; deſeruit, & in prouincia, quæ ripis Rheni fluminis contigua, Trigoria nuncupatur, atq; ad diœceſim pertinet Treuirorum, ibi Deo liberè ſeruire delegit, uſq; in finem uitæ ſuæ. Romæ natale ſancti Tranquillini martyris, patris ſanctorũ Marci & Marcelliani, qui ad prædicationem beati Sebaſtiani credens in Dominum Ieſum Chriſtum, die octauarum apoſtolorum dum ad beati Pauli confeſsionem oraret, tentus à paganis ac lapidatus martyrium conſummauit.

F. NON. IVLII.

ROmæ beatorum martyrum, Nicoſtrati primiſcrinij, Claudij commentarieſis, Caſtorij, Victorini, Simphoriani, quos beatus Sebaſtianus credere Chriſtum docuit, & ſanctus Polycarpus presbyter baptizauit. Qui cum corpora ſanctorum per ora Tyberina requirunt, tenti ſunt, & ad urbis præfectum perducti. Erat enim iudex Fabianus, qui eos hortabatur ad ſacrificandum, per decem dies minis eos & blandicijs agens, & nullum penitus potuit commouere. Tunc fecit de eis ſuggeſtionem imperatoribus, quiq; iuſſere eos tertiò torqueri. Cumq; nulla ratione compulſi cederent, iuſſerunt eos in mare præcipites dari. Immenſis itaq; arctati ponderibus, pelagi fluctibus dati ſunt, ut in loco mundo inter aquas coronam martyrij celebrarent. In Alexandria ſancti Panteni, uiri apoſtolici. Viennæ Eooldi epiſcopi. Item in Alexãdria natale Parnieni Eracli, Elię, Apollonij, Anoui, & aliorum decem & nouem. Eodem die ſancti Vuilibaldi confeſſoris.

G. VIII. IDVS IVLII.

IN pago Auſtriæ, & caſtro, nomine Vuirciburg, iuxta Menum fluuium ſito, natale ſancti Kiliani martyris, & duorum ſociorum eius, qui ab Hybernia Scotorum inſula uenientes, nomen Chriſti in prædictis locis prędicauerũt, ibiq; ob ueritatis confeſsionem ſub quodam iudice Gozberto trucidati ſunt, & multis poſtea ſignis ueri Chriſti martyres eſſe claruerunt. In Palæſtina natale ſancti Procopij, qui ab Nicopoli ductus Cæſaream, ad primam reſponſionũ confidentiam, irato iudice Fabiano, capite cæſus eſt. Apud Aſiam minorem ſanctorũ Aquilæ & Priſcillæ uxoris eius, quorum Lucas in actibus Apoſtolorum meminit.

A. VII. IDVS IVLII.

ROmæ ad Guttam manantem ſancti Zenonis martyris, & aliorum decem milium ducentorum & trium. In ciuitate Tyro natale ſanctorum Anatholiæ & Audacis, ſub Decio imperatore. Quorum Anatholia cum multos in Piceno oppido infirmos, lunaticos, ac dęmoniacos curaſſet, ducta eſt iubente Fauſtiniano, ad ciuitatem Tyrum, & diuerſis plagarum generibus uexata: deinde cum ſerpente tota nocte incluſa, nihil læſa eſt, quin & ipſum Marſum, qui ſerpentem dimiſerat, nomine Audacem, manè à ſuo ſerpente deuorandum, eripuit, & ad Chriſtum martyriumq; cõuertit. Nam ipſe poſt hæc ob confeſsionem ueritatis in cuſtodiam datus, nec mora capitali ſententia eſt coronatus. Ipſa quoq; uirgo Chriſti tranſuerberata, cum ſtaret extenſis manibus in oratione: ita ut per dextrũ latus gladius miſſus, per ſiniſtrum exiret. ſepulta eſt manè à ciuibus Tyrienſibus, quæ paſſa eſt ſeptima idus Iulij: Audax uerò quia de oriente erat, ab uxore ſua & filijs illò translatus eſt.

B. VI. IDVS IVLII.

ROmæ ſeptem fratrum, filiorum ſanctæ Felicitatis: id eſt, Ianuarij, Felicis, Philippi, Syluani, Alexandri, Vitalis & Martialis, ſub præfecto urbis Publio, tẽpore Antonini principis. E quibus Ianuarius poſt uerbera uirgarum & carcerem, plumbatis occiſus eſt: Felix & Philippus fuſtibus mactati, Syluanus præcipitio interemptus eſt, Alexander, Vitalis & Martialis capitali ſententia puniti ſunt. In Africa natale ſanctorum Ianuarij, Marini, Naboris & Felicis decollatorum, quorum corpora Mediolanum translata ſunt.

C. V. IDVS IVLII.

TRanslatio ſancti Benedicti abbatis. Poſtquam enim, ſicut ipſe uiuens prædixit, monaſterium eius à gentibus uaſtatum eſt, Domino reuelante repertũ eſt corpus eius, & in Gallias translatum, atq; in monaſterio quod uocatur Floriacum, condignè ſepultum. Translatũ eſt pariter etiam corpus beatæ Scolaſticæ, ſororis





ris eius, atq; in partibus Cenomanenſium religioſorum deuotione cõditum. In Armenia minore, ciuitate Nicopoli, natale ſanctorũ martyrũ, Ianuarij & Pelagiæ, qui in equuleo ungulis & teſtarum fragmentis diebus quatuor cruciati, martyrium impleuere. Romæ ſancti Pij papæ, qui ſedit in epiſcopatu annos decẽ & nouẽ.

D. IIII. IDVS IVLII.

APud Aquilegiã natale ſancti Hermagoræ, primi eiuſdem ciuitatis epiſcopi, diſcipuli ſancti Marci euangeliſtæ. Apud Cyprum natale beati Naſonis, antiqui Chriſti diſcipuli. In Cæſarea ſancti Dij. Romæ ſancti Cleti papæ, qui ſedit ibi annos duodecim. Hic ex præcepto beati Petri, uiginti quinq; presbyteros in urbe Roma ordinauit: qui ſepultus eſt iuxta corpus beati Petri. Lugduno Galliæ depoſitio ſancti Iuuencioli epiſcopi.

E. III. IDVS IVLII.

NAtale ſancti Silæ apoſtoli: qui cum eſſet unus de primis fratribus, & ab apoſtolis ad eccleſias gentium deſtinatus, cum Barnaba & Iuda poſtea ab apoſtolo Paulo aſſumptus, prædicationis officium gratia Domini plenus inſtanter cõſummauit, atq; apud Macedoniam in paſsionibus ſuis Chriſtum clarificans, poſtmodum requieuit. In Antiochia paſsio ſanctæ Margaretæ uirginis.

F. PRID. IDVS IVLII.

APud Pontum natale ſancti Phocæ epiſcopi ciuitatis Sinopis, qui ſub Traiano imperatore, præfecto Africano carcerem, uincula, ferrum, ignem etiam pro Chriſto ſuperauit: cuius reliquiæ in baſilica apoſtolorum in Vienna ciuitate Galliæ habentur. Lugduno Galliæ natale ſancti Iuſti epiſcopi & confeſſoris.

G. IDVS IVLII.

NIſibi natale ſancti Iacobi epiſcopi, magnæ uirtutis uiri, ita ut ad eius preces ſæpe urbs diſcrimine liberata ſit. Romę in portu Eutropij, Zoſimæ & Bonoſę ſororum. In Alexandria ſanctorum Philippi, Zenonis, Narſei, & infantum decem. Eodem die ſubleuatio corporis ſancti Henrici imperatoris. In Carthagine natale ſanctorum Florentij, Catulini diaconi, Ianuarij, Iuliæ & Iuſtæ, qui ſunt poſiti in baſilica Fauſti, & in Sirmio Agrippini, Secundini, Maximini, Martialis & Iacobi epiſcopi. Eodem die S. Reginſuuindę uirginis, & diſperſio apoſtolorum.

A. XVII. CALEND. AVGVST.

IN Hoſtia natale ſancti Hilarini, qui ſub perſecutione Iuliani cũ nollet ſacrificare, fuſtibus cæſus martyrium ſumpſit. Apud Antiochiam Syriæ natale ſancti Euſtachij epiſcopi & confeſſoris, qui ſub Conſtantio principe ob catholicam fidem in Traianopolim ciuitatem Thraciæ pulſus exilio, ibidem requieuit.

B. XVI. CALEND. AVGVST.

IN Carthagine natale ſanctorũ Scillitanorũ: id eſt, Sperati, Narthali, Cythini, Bethurij, Felicis, Aquilini, Letacij, Ianuariæ, Generoſę, Beſſiæ, Donatæ & Secundæ, ſub Saturnino præfecto, qui poſt primam confeſsionem Chriſti in carcerem miſsi, & in ligno confixi, manè gladio decollati ſunt. Horũ reliquiæ cum oſsibus beati Cypriani, & capite ſancti Pantaleonis martyris, ex Africa in Gallias trãslatæ, uenerãtur Lugduni in baſilica beati Ioannis baptiſtæ. & ſancti Alexis confeſſoris.

C. XV. CALEND. AVGVST.

APud Carthaginẽ natale ſanctæ Gundenes, quæ Plautiano & Zeta cõſulibus, iuſſu Rufini proconſulis, quater diuerſis temporibus equulei extenſione uexata, & ungularum horrẽda laceratione cruciata, carceris etiam ſqualore diutiſsimè afflicta, nouiſsimè gladio cæſa eſt. Apud ciuitatem Metenſium ſancti Arnolfi epiſcopi & confeſſoris, qui ſanctitate & miraculorum gratia illuſtris, eremiticam uitam diligẽs beato fine requieuit. & ſancti Materni epiſcopi & confeſſoris Mediolano.

D. XIIII. CALEND. AVGVST.

APud Thebaidam ſancti patris noſtri Arſenij, de quo in uerbis ſeniorũ refertur: quia propter redundationem lachrymarum tergendam ſudariũ ſemper in ſinu uel in manu habuerit. Apud Hiſpaniam in ciuitate Hiſpali natale ſanctarum Iuſtæ & Rufinæ, quæ à Diogeniano præſide comprehenſæ, equulei extenſione & ungularum laniatione uexatæ ſunt: deinde truſæ in carcerem, inedia & doloribus afflictę. Poſt hæc iuſsit præſes, ut quocunq; iret ipſe, nudis pedibus ſequerentur. Tandem Iuſta in carcere ſpiritum exhalauit: corpus eius in puteum proiectum, & à Sabino epiſcopo leuatum, in Hiſpalenſi cœmiterio conditum eſt. Rufinæ ceruix cõfracta, & corpus eius igni traditum eſt: cuius reliquiæ à fidelibus curatæ ſunt.

E. XIII. CALEND. AVGVST.

NAtale ſancti Epaphrę, qui à beato Paulo Coloſſenſis epiſcopus ordinatus, clarus uirtutibus martyrij palmam pro ouibus ſibi cõmendatis uirili agone percepit: ſepultus in eadem urbe. Et natale beati Ioſeph, qui cognominatus eſt Iuſtus, quiq; cum beato Matthia, ut numerum duodecimũ impleret, ab apoſtolis ſtatuitur: ſed Matthia locum Iudę præuaricatoris implente, beatus Ioſeph nihilominus prædicationis & ſanctitatis officio inſeruiẽs, multamq; pro fide Chriſti perſecutionẽ à Iudæis ſuſtinẽs, uictorioſiſsimo fine in Iudæa quieuit. de quo refertur, quòd uenenũ biberit, & nihil ex hoc triſte propter Domini fidem pertulerit. In Damaſco ſanctorum Sabini, Maximini, Iuliani, Macrobij, Caſsię, Paulę, cum alijs decem. In Africa natale Luciani, Petri, Amabilis, Nũnæ: & Thebaide Victoris.

F. XII. CALEND. AVGVST.

SAncti Danielis prophetæ, Romę ſanctæ Praxedis uirginis. Hęc cum ſorore ſua Potentiana, à beato Pudente patre erudita, in omni caſtitate & lege diuina, poſt multas eleemoſynas & ſepulturas ſanctorum, quas fecit, beato fine quieuit, ſepulta iuxta ſororem ſuam Romæ uiâ Salaria. Eodẽ die paſsio ſancti Victoris Maſsilienſis epiſcopi, qui ſub Diocletiano & Maximiano

miano imperatoribus, propter fidē Chriſti per Arteriū præſidē trucidatus eſt, ſimul cū militib. Alexādro, Feliciano, Longino & Deutherio.

G. XI. CALEND. AVGVST.

NAtale ſanctæ Mariæ Magdalenæ, de qua, ut euangelium refert, ſeptem dæmonia eiecit Dominus: quæ etiā inter alia dona inſignia, Chriſtū à mortuis reſurgentē prima uidere meruit. Et obdormitio beatæ Syntychæ, q̄ Philippis dormit ſepulta, de qua beatus apoſtol⁹ Philippēſibus ſcribit, Euodiā rogo, & Syntychē deprecor, id ipſum ſapere in Dn̄o. Ancyræ Galatię natale S. Platonis martyris, cuius geſta habētur. In Antiochia Cyrilli epiſcopi, & Andreæ.

A. X. CALEND. AVGVST.

APud Rauennā ſancti Apollinaris epiſcopi. Hic Romæ ordinatus à beato Petro apoſtolo, Rauēnam directus eſt. Qui etiam in Aemilia prædicauit, & partibus Corinthiorum, & in Myſia, & in ripa Danubij, & in partibus Thraciæ, in quibus locis exilio relegatus eſt, & ubicunq; peruenit, innumeras uirtutes fecit, & paſsiones ſuſtinuit. Nam cū nimia cæde mactatus eſſet, & rurſum diutius fuſtib. cęſus, ac nudis pedibus ſuper prunas impoſitus, rurſum cęſus, & equuleo ſuſpenſus, tortus eſt, & ſaxo os eius contuſum, & grauiſsimo ferri pondere incluſus, in carcere horrifico, atq; in ligno extenſus eſt, ubi ab hominibus quidē neglectus, ſed ab angelo publicè paſtus eſt: deinde catenatus in exiliū directus eſt, in quo rurſum diutius fuſtibus cæſus, & rurſum ligatus à paganis, cæſus eſt & uulneratus, & iterum in carcerē miſſus, & cæſus martyrium conſummauit, ſub Veſpaſiano Cæſare, Demoſthene patricio. Rexit eccleſiam annos uigintiocto, dies quatuor.

B. IX. CALEND. AVGVST.

ROmæ natale ſancti Vincentij. Apud Emeritam Hiſpaniæ ciuitatem natale ſancti Victoris militaris, qui cum duobus fratribus Trichino, & Antinogeno diuerſis examinatus ſupplicijs, martyriū conſummauit. In Tyro apud Italiam, quæ eſt circa lacum Vulſinum, natale ſanctæ Chriſtinæ uirginis, quæ in Chriſtū credens, deos aureos & argēteos Vrbani pręfecti patris ſui cōfregit, pauperibusq; diſtribuit. Ob hoc iubente patre afflicta alapis, uerberibusq; dilaniata, ferro onuſta, in carcerem eſt cōiecta. Poſt hæc cum diutiſsimè & crudeliſsimè dilaniaretur, de carnibus ſuis patri in faciem proiecit. Cumq; alligata rotæ igni ſuppoſito & fuſo deſuper oleo torreretur, erumpēs flamma mille gentilium interfecit. Iterum carceri tradita, angelo uiſitante ſanata eſt & refecta: dein cum magno ſaxi pondere in mare iactata, angelico præſidio liberata eſt. Cum autem propter ſcelera ſua pater eius fuiſſet extinctus, ſucceſſor eius Dion multis eā ſupplicijs afflixit. Nouiſsimè ſucceſſor prædicti, Iulianus nomine, poſt fornacem candentem, ubi quinq; diebus illæſa permanſit, poſt ſerpentes à uenefico immiſſos, ſed fide Chriſti ſuperatos, poſt abſciſionem linguę, ſagittis eam configi præcepit, ſicq; martyrij ſui curſum compleuit, anno ætatis undecimo. Eodem die uigilia ſancti Iacobi apoſtoli.

C. VIII. CALEND. AVGVST.

NAtale S. Iacobi apoſtoli, filij Zebedęi. In Cilicia, ciuitate Samon, natale S. Chriſtophori martyris, qui ſub Dagno rege uirgis ferreis attritus, à flammis æſtuantis incēdij Chriſti uirtute ſaluatus eſt, ad ultimū ſagittarū ictibus cōfoſſus, martyriū capitis obtrūcatione cōpleuit. In Hiſpanijs, ciuitate Barcinona natale S. Cucuphatis martyris, qui ex ciuitate Scillitana oriūdus fuit, & Barcinonę ſub Galerio & Maximiano & Rufino paſſus, primò grauiſsimè tortus & cęſus eſt, dein catenis adſtrictus, in craticula inſuper extentus, aceto & ſinape perfuſus eſt. Cumq; illæſus ab igne apparuiſſet, iterū ferro uinctus, in cuſtodiam retruſus eſt: ubi diuino ſplendore conſolatur, & tunc neruis ferreis & taurinis crudeliſsimè eſt cęſus. In ultimo dictata eſt ſentētia Cucuphatē rebellē gladio feriri iubemus. cuius corpus à Chriſtianis ſepelit.

D. VII. CALEND. AVGVST.

NAtale beati Heraſti, qui Philippis à beato Paulo epiſcopus relictus, ibi martyrio coronatus quieuit. Romæ in portu Iacincti, ſub cōſulari Leōtio, Luxurio, primò ciuitatis Terracinæ tradente, qui miſſus in ignē nullomodo lædi potuit. Inde præcipitatus in ualidiſsimum torrentē, incolumis eiectus eſt ad litus. Nunciantur hæc conſulari Leontio, qui miſit ſpiculatorē cum militibus, ut eum cōprehenſum gladio feriret. Cuius corpus Iulia cū ſeruis ſuis nocte collegit, & cum honore ſepeliuit in prædio ſuo, iuxta urbem Romam. In Phrygia ſanctorum Iouiani & Iuliani.

E. VI. CALEND. AVGVST.

APud Nicomediā ciuit. natale S. Hermolai presbyteri, cuius doctrina beatus Pantaleō ad fidem conuerſus eſt. Qui tentus à Maximiano cū duobus germanis ſuis Hermippo & Hermocrate, capitali ſentētia ob confeſsionē Chriſti punitus eſt. In Sicilia Symeonis monachi. In ciuitate Nolana, Felicis, Iuliæ & Iucundæ. Autiſiodoro natale ſancti Etherij epiſcopi.

F V. CALEND. AVGVST.

NIcomediæ paſsio S. Pantaleonis martyris: qui cum iubente Maximiano artē diſceret medicinę, à presbytero Hermolao ad fidē Chriſti cōuerſus, multa miracula fecit, patremq; ſuū ſenatorē Euſtorgium Chriſti fidei ſubiugauit. Ob quā cauſam tētus eſt ab eodē Maximiano, equulei pœna, & lampadum exuſtione cruciatus. Sed inter hæc Domino ſibi apparēte refrigeratus, tandē ictu gladij martyrium conſummauit. Lugduno ſancti Peregrini presbyteri.

G. IIII. CALEND. AVGVST.

ROmæ ſancti Felicis pontificis. Hic declarauit Conſtantiū filiū Cōſtantini eſſe hæreticū, cū ſecūdò rebaptizaretur ab Euſebio Nicomedięſe epiſcopo: & iuxta pręceptū eiuſdē Cōſtantij Auguſti capite detrūcatur. Sedit autē in epiſcopatu annum unū, menſes tres, dies duos. Eodem die paſsio ſanctorum Simplicij, Fauſti-





ni germanorum, qui ſub Diocletiano & Maximiano in urbe Romana propter fidem Chriſti, poſt multa ac diuerſa ſupplicia decollati ſunt: & germana eorū Beatrix nomine, eo quòd corpora eorū cum Criſpo & Ioāne presbyteris ſepeliuit, à Lucretio præfecto præfocata, tradidit ſpiritū. Lucretius uerò ab immundo ſpiritu arreptus, in conuiuio ſuo expirauit. Item depoſitio beati Lupi epiſcopi, qui cum Germano uenit in Britanniam, & quinquaginta duobus annis ſacerdotio functus eſt, qui tēpore regis Attylæ, qui Galliam uaſtabat, ſicut in hymno eius canitur, dū bella cuncta perderēt, orādo Trecas muniuit. Et depoſitio beati Proſperi epiſcopi.

A. III. CAL. AVG.

ROmæ Abdon & Sennen ſubreguli Perſarū. Qui cum Corduba ciuitate Perſarum uincula paterentur à Decio, ad ultimum duxit eos Romā catenis obligatos, & diuerſis pœnis maceratos, ubi primò plumbatis cæſi, dein gladio interfecti ſunt. Apud Africam ciuitatē Taburbo, lucernaria paſsio ſanctarum uirginum, Maximæ, Donatillæ & Secundæ, ſub Anylino proconſule: quæ poſt plurimas quas ſuſtinuerunt pro Chriſto paſsiones, gladio cæſæ martyrium conſummauerunt. Autiſiodoro depoſitio ſancti Vrſi epiſcopi.

B. PRID. CAL. AVG.

CAeſareæ paſsio ſancti Fabij: qui cum ferre uexilla præſidalia recuſaret, primùm in carcerem truſus eſt, deinde productus atq; interrogatus, in Chriſti cōfeſsione perdurat. Qui mox à furibundo iudice capitali ſententia condemnatur. Poſt hæc corpus reticulo inſutum, in maris profunda ſeorſum caput, ſeorſumq; cadauer immergitur. Sed Domini uirtute integritati redditū corpus, ad Carenitanum litus euectū, & condigno cultu à fidelibus in baſilica tumulatum. In Africa natale ſanctorum Democriti, Secundi, Dionyſij, Tirſi. Rauennæ translatio ſancti Germani epiſcopi & confeſſoris.

## AVGVSTVS HABET DIES XXXI. LVNAM VICESIMAMNONAM.

## C. CAL. AVGVST.

SAnctorum Machabęorum ſeptem fratrū cum matre ſua, qui paſsi ſunt ſub Antiocho rege. Romæ dedicatio primæ eccleſię à beato Petro cōſtructæ & conſecratæ. Viennæ ſancti Veri epiſcopi, qui unus fuit de diſcipulis apoſtolorum, & ſancti Nectari epiſcopi. Vercellis Euſebij epiſcopi, qui mouentibus perſecutionē Arianis, ſub Conſtantio principe martyrium paſſus eſt. Philadelphia ciuitate natale ſanctorum martyrum, Cyrilli, Aquilæ, Petri, Domitiani, Rufi, Menandri, una die coronatorum. In ciuitate Gerunda natale ſancti Felicis martyris, qui tamdiu iuſſus eſt laniari à Rufino, uſq; dum uitam finiret.

D. IIII. NON. AVG.

ROmæ ſancti Stephani papæ, & martyris, ſub Valeriano & Gallieno imperatoribus. Qui cum perſecutio ſæua graſſaretur, congregato uniuerſo clero ſuo, hortatur ut pro Chriſto coronam martyrij alacriter ſuſciperent. Hic conſtituit ut ſacerdotes & leuitæ ueſtes ſacras in quotidiano uſu non haberent, niſi tantum in eccleſia. Ordinauerat tres presbyteros, & ſeptē diaconos, & clericos decem, cum quibus de regno Dei aſsiduè docebat. Beatus igitur Stephanus, poſt multa quæ operatus eſt bona, miſsis à Valeriano militibus, iuſſus eſt decollari: qui uenientes inuenerunt eum ſacrificium Deo offerentem, & decollauerunt eum in eodem loco. Cuius corpus Chriſtiani ſepelierunt in eadem crypta, ubi aſtantis effuſus eſt ſanguis eius, in loco qui appellatur cœmiterium Caliſti. Sedit autem in epiſcopatu ſeptē annos, menſes quinq;, dies tres. Eodem die natale ſanctæ Theodotæ, cum tribus filijs ſuis in prouincia Bithynia, urbe Nicæa, tēpore Diocletiani, ſub comite Leucadio, qui hanc ferro uinctam cum filijs, conſulari Bithyniæ Nicetio deſtinauit. At ille filium eius primogenitum Euodium Chriſtum fiducialiter confitentem fecit fuſtibus cædi, deinde illam cum omnibus filijs igne conſumi. Scriptū eſt in paſsione ſanctæ Anaſtaſiæ.

E. III. NON. AVGVST.

HIeroſolymis inuētio corporis ſancti Stephani protomartyris, & ſanctorum Gamalielis, Nicodemi, & Abibon: ſicut reuelatum eſt à Domino beato Luciano presbytero, ſeptimo Honorij principis anno. Item in Antiochia ſancti Stephani protomartyris, ubi haberi dicitur unus de lapidibus, quibus in brachio percuſſus eſt, & multas ex eo uirtutes ſanitatū fieri. Conſtantinopoli natale ſancti Hermelli martyris.

F. PRID. NON. AVG.

NAtale beati Ariſtarchi, de quo beatus Paulus apoſtolus Coloſſenſibus ſcribit, Salutat uos Ariſtarchus concaptiuus meus. qui comes indiuiduus Apoſtolo permanſit uſq; ad eius cōfeſsionem: qui conſtitutus Theſſalonicenſium epiſcopus, poſt longos ac beatiſsimos agones à Chriſto coronatus quieuit. Romæ in crypta arenaria beati Tertulliani martyris, quem beatus Stephanus baptizatum in Albis presbyterum conſecrauit, qui non longè poſt abſciſionem capitis martyrium promeruit, ſepultus eſt à beato Stephano pontifice. Et natale ſancti Iuſtini confeſſoris, Lugduni aduentus corporis ſancti Iuſti epiſcopi de eremo.

G. NON. AVGVST.

AVguſtuduno S. Caſsiani epiſcopi. In ciuitate Catalaunicę depoſitio Mēmij epiſcopi et cōfeſſoris. & alibi ſanctorū Floriani & Philiſtinæ. & natale S. Oſuualdi regis, martyrio coronati.

A. VIII. IDVS AVG.

ROmæ in cœmiterio Caliſti, uia Appia natale S. Sixti epiſcopi & martyris, ſub Decio imperatore & Valeriano p̄fecto: & ſanctorū Feliciſsimi & Agapiti diaconorū eiuſdē, q̄s ſimul

iuſsit Decius ante templū Martis decollari. Noctu uerò uenerūt clerici, & maxima pars Chriſtianorū, ſepelierūt ſanctorū corpora cū digno honore. Decollati ſunt cū eis & alij quatuor, ut in geſtis pontificalibus legitur, Ianuarius, Magnus, Vincentius, Stephanus, ſubdiaconi. Paſſus eſt cum eis & beatus Quartus, ut ſcribit ſanctus Cyprianus. Hic beatus Sixtus apud Athenas natus & doctus, primùm quidem philoſophus, poſtea Chriſti diſcipulus fuit: ſedit in epiſcopatu annum unum, menſes decem, dies uiginti tres. In Hiſpanijs ciuitate Compluto, Iuſti & Paſtoris fratrum, qui cum adhuc pueri literis imbuerētur, proiectis in ſchola tabulis, ſpōte ad martyrium cucurrerūt: qui mox iuſſu Daciani à carnificibus iugulati ſunt, ubi etiam in baſilica ſui nominis quieſcunt. Et natale Ormiſdæ papæ, qui ſedit Romæ annos decem & ſeptem. Hic compoſuit clerum, & pſalmos erudiuit. Sub huius tempore Anaſtaſius imperator hæreticus percuſſus fulmine interijt. Sepultus eſt idem pontifex in eccleſia beati Petri.

B. VII. IDVS AVG.

APud Tuſciam ciuitatem Aretio, natale ſancti Donati epiſcopi & martyris. qui tentus eſt tempore Iuliani imperatoris à Quadratiano Auguſtali, ſimul cum Hilarino monacho, iuſſusq; eſt idolis ſacrificare: quo renuente, iuſſit Hilarinum tamdiu fuſtibus cædi in conſpectu ipſius, donec emitteret ſpiritū, deinde beatum Donatum gladio percuti. Quorum corpora Chriſtiani uenerabiliter iuxta ciuitatem ſepelierunt. Cuius meminit beatus Gregorius, quòd fractum calicem orando reſtauraret. Romæ ſanctorum martyrum Petri, Iulianæ, cum alijs decem & octo. Mediolani ſancti Fauſtini, tempore Aurelij Commodi martyrizati. Apud prouinciam Rhetię, ciuitatem Auguſtam, natale ſanctæ Afræ martyris.

C. VI. IDVS AVG.

ROmæ uia Oſtienſi, miliario ſeptimo, natale ſancti Cyriaci martyris, quem beatus Marcellus cum Lucina matrona Chriſtianiſsima, cum alijs qui cum eo paſsi ſunt ſanctorum corporibus, tranſtulit in prædium ſuum, condiens aromatibus, & linteaminibus recondens in ſarcophagis lapideis, octaua die menſis Auguſti. Beatorum martyrum paſsiones, id eſt, Cyriaci, Largi & Smaragdi, ſuis locis notatæ ſunt: hoc eſt, ſeptima decima calendarum Aprilis. Apud Viennam natale ſancti Seueri presbyteri & confeſſoris, qui etiam ingentem paganorum multitudinem uerbo & miraculis ad fidē Chriſti conuertit.

D. V. IDVS AVG.

ROmæ ſancti Romani militis, qui confeſsione ſancti Laurentij compunctus, petijt ſe ab eo baptizari, & mox iubente Decio cum fuſtibus exhibitus, ac decollatus eſt. In Verona ciuitate paſsio ſanctorū Firmi & Ruſtici, qui tempore Maximiani imperatoris, & Annolini cōſularis paſsi ſunt. Et uigilia ſancti Laurentij.

E. IIII. IDVS AVG.

NAtale ſancti Laurentij archidiaconi ſub Decio, qui poſt plurima tormēta carceris, uerberū, diuerſarum laminarū ardentium, ad ultimū in craticula ferrea aſſatus, martyrium compleuit. Manè autē primo adhuc crepuſculo rapuit corpus eius Hippolytus, & condiuit cū linteis & aromatibus, cum beato Iuſtino presbytero, iam ueſpertina hora, & ſepelierunt in agro Verano. Romæ militū 65. Tūc paſsi ſunt Claudius, Seuerus, Creſcētius & Romanus ipſo die.

F. III. IDVS AVG.

ROmæ inter duas lauros natale S. Tyburtij martyris, qui iuſſu Fabiani præſidis ſuper prunas ardentes nudis pedibus incedēs, in nullo læſus eſt. Poſtea uerò à prędicto Fabiano machinante Torquato apoſtata, gladio tranſuerberatus, martyriū expleuit. Item Romæ natale S. Suſannæ uirginis, quæ fuit filia Gabinij preſbyteri, fratris Gaij papæ. Hæc ergo ſub Diocletiano imperatore paſſa eſt, eo quòd nollet Maximo filio eius in cōiugio ſociari, ſed in uirginitate permanere, hortante eam Gaio papa, nec non & Serena Auguſta, ut ſtabilis permaneret in fide & caſtitate perpetua. Propter hoc iuſsit eam Diocletianus poſt alia tormenta in domo propria gladio percuti, & ſic martyriū conſummauit. Prædicta uerò Serena Auguſta collegit corpus ſanctę uirginis, & ſanguinē quem fuderat, in eodem loco cū ſuo uelamine terſit, & poſuit in capſa argentea in palatio ſuo, ubi die noctuq; furtiuis uicibus orare nō ceſſabat. Corpus aūt ſanctæ Suſannæ ipſe manibus ſuis ornauit, cū linteaminib. & aromatibus, & poſuit iuxta corpora ſanctorū in cœmiterio Alexandri. Et depoſitio Gaugerici epiſcopi & cōfeſſoris, qui 33. annos Cameracorenſem rexit eccleſiam.

G. PRID. IDVS AVG.

IN Sicilia ciuitate Catinenſium natale Eupli diaconi. Qui cum diutiſsimè torqueretur, decollatus eſt à Caluiſiano conſulari, tēpore Diocletiani & Maximiani. Eodē die ſanctæ Hilariæ, matris ſanctæ Afræ martyris. Quæ cum ad ſepulchrū eius excubaret, ibidē pro fide Chriſti à perſecutoribus igni tradita eſt, cum Digna & Eumenia, & Euprepia, q̄ fuerūt puellæ S. Afrę. In Syria natale ſanctorum Macharij & Iuliani.

A. IDVS AVGVSTI.

ROmę S. Hippolyti, qui tēpore Decij ligatis pedibus ad colla indomitorū equorū, & ſic per carduos & tribulos tractus emiſit ſpiritū. Et natale Concordiæ nutricis eius, quam ante ipſum plūbatis cæſam martyrizauit, & aliorū decē & nouē de domo eius, qui ſimul decollati ſunt. Eodē die natale S. Caſsiani Romæ. Qui cū adorare idola nollet, interrogatus à perſecutore, quid artis haberet: reſpōdit, quia pueros notas doceret, & mox ſpoliatus ueſtibus, ac manibus poſt terga reuinctis, ſtatuitur in medio, uocatisq; pueris, quibus docēdo exoſus factus fuerat, data eſt facultas eū perimendi. At illi quantū doluerāt diſcentes, tantū ſe ulciſci gaudētes: alij eū tabulis ac buxis feriebāt, alij ſtylis uulnerabāt. quanto quorū infirmior erat manus, tāto

grauio-



grauiorē pœnā martyrij dilata morte faciebāt. Pictauis ciuitate depoſitio ſanctæ Radegundis reginę. In Germania prouincia natale S. Vuigberti presbyteri & confeſſoris.

B. XIX. CAL. SEPTEMB.

NAtale ſancti Euſebij presbyteri & confeſſoris, qui ſub Conſtantio imperatore Ariano machinante Liberio præſule ſimiliter hęretico, confeſsionem ſuam compleuit. Nam à prædicto Conſtantio includitur in quodam cubiculo domus ſuæ, habente in latitudine pedes quatuor: ubi multos dies in oratione perſeuerauit, & nonodecimo calendarum Septembris, poſt menſes ſeptem, adhuc tamē incluſus dormitionem accepit. Cuius corpus collegit Gregorius & Oroſius presbyteri, & ſepelierunt in crypta iuxta corpus beati Sixti epiſcopi & martyris, uia Appia, in cœmiterio Caliſti, ubi & titulum ipſius ſcribentes poſuerunt ita: Euſebio homini Dei. Audiens Conſtantius, quòd Gregorius & Oroſius ſepeliſſent corpus beati Euſebij, in eadem crypta, ubi illud condiderant, præcipitiuum includi Gregorium. Hunc ſemiuiuū nocte Oroſius excepit inde, & poſt paululum defunctum iuxta corpus ſancti Euſebij ſepeliuit. Factaq; eſt grauiſsima perſecutio in catholica eccleſia ab Arianis, ſedem apoſtolicam tenente Liberio. Et uigilia aſſumptionis ſanctæ Mariæ uirginis.

C. XVIII. CAL. SEPTEMB.

ASſumptio ſanctæ Dei genitricis & perpetuæ uirginis Marię. Eodem die ſancti Tharſicij acolyti & martyris. Quem pagani cum inueniſſent Chriſti corporis ſacramenta portantem, cœperunt diſcutere quid gereret. At ille indignum iudicans porcis prodere margaritas, tamdiu fuſtibus ac lapidibus mactatus eſt, quouſque exhalaret ſpiritum. Et reuoluto eius corpore ſacrilegi diſcuſſores nihil inuenire potuerunt ſacramentorum Chriſti. Chriſtiani autem collegerunt corpus martyris, & ſepelierūt in cœmiterio Caliſti. In Nicomedia ſanctorum Stratonis, Philippi & Eutychiani, cum eorum ſocijs.

D. XVII. CAL. SEPTEMB.

IN Nicæa Bithyniæ natale ſancti Vrſatij confeſſoris, ſub Licinio perſecutore, qui relicta militia ſolitariam uitam in quadam turri præfatæ urbis elegit: tantisq; uirtutibus claruit, ut & dæmones expuliſſe, & ingentem draconem orando interemiſſe legatur. Romæ ſanctæ Serenæ, uxoris quondam Diocletiani Auguſti. In Alexandria ſanctorum Orionis, Aemilij & Ignatij. In Perſida ſanctorum Tyrſi cum ſocijs ſuis. Metis ciuitate ſancti Arnulfi confeſſoris.

E. XVI. CAL. SEPTEMB.

APud Africam ſanctorum martyrum, Liberati abbatis, Bonifacij diaconi, Serui & Ruſtici ſubdiaconorum, Rogati & Septimi monachorum, & Maximi pueri: qui perſecutione Vandalica, iuſſu crudeliſsimi regis Hunerici, de territorio Capſenſis ciuitatis, ex habitaculo monaſterij abſtracti, atque ad urbem Carthaginem ſunt producti, ubi pro confeſsione fidei carcerali cuſtodiæ mancipati, & crudelibus ferri ponderibus arctati: nouiſsimè tyrannus iuſsit nauem lignorum manipulis adimpleri, atque in ea omnes pariter alligatos in medio pelagi igne ſubpoſitò adcremari, qui Dei nutu extinctus eſt. Tunc præcepit eos remorum uectibus in modum canum cerebris comminutis ſingulos extingui. Corpora eorum in mare iactata ſunt, ſed eadem hora litoribus reddita, à Chriſtiano populo in monaſterio Celerinæ ſunt condita. Apud Cæſaream Cappadociæ natale ſancti Mamnetis martyris, qui paſſus eſt imperante Aureliano ſub Alexandro præſide. Ipſo die octaua ſancti Laurentij martyris & confeſſoris.

F. XV. CAL. SEPTEMB.

APud Præneſtinam ciuitatem natale ſancti Agapiti martyris, qui ſub Antiocho rege, cum eſſet puer annorum quindecim, pro Chriſto paſſus eſt. Hic neruis cædebatur, & flagellis atrociſsimis, & nudus ſuſpenſus eſt, capite deorſum uerſo, & atro ſubter fumo facto, & tunc aquam bullientem fuderunt ſuper uentrem eius. Poſtea leonibus proiectus, ſed nihil ab eis eſt læſus, ad ultimum decollatus eſt. Corpus eius nocte ſublatum eſt à Chriſtianis, & poſitum in ſarcophago nouo, nutu diuino ibi inuento. Romæ beatorum Ioannis & Criſpi presbyterorum, qui multa corpora ſanctorum in perſecutione officioſiſsimè ſepelierunt: & ipſi poſtmodum in pace quieuerunt.

G. XIIII. CAL. SEPTEMB.

NAtale ſancti Magni. In Gallia ſancti Donati presbyteri, qui anachoreticam uitā multis annis duxit. Romæ beati Iulij ſenatoris & martyris. Hunc docuerunt beati martyres, Euſebius, Vincentius, Peregrinus, Pontianus, per quorum manus etiam facultates ſuas pauperibus diſtribuens, à beato Rufino presbytero baptiſmum percepit. Quod audiens Commodus imperator, iratus tradidit eum Vitellio iudici, ut facultates eius requireret, & ad ſacrificandum impelleret. Quiq; coniecit eum in carcerem, & poſt triduum catenis uinctum fecit ſibi præſentari: & auditum eum, tamdiu iuſsit fuſtibus cædi, donec emitteret ſpiritum. Cuius corpus collegerunt noctu ſupradicti ſancti martyres, & ſepelierunt in cœmiterio Calepodij.

A. XIII. CAL. SEPTEMB.

SAmuelis prophetæ, cuius ſacra oſſa Auguſtus Arcadius de Iudæa tranſtulit in Thraciam portantibus epiſcopis, & omnium eccleſiarū populis tanta lætitia occurrentibus, quaſi uiuentem ſuſciperent. Eodem die beati Porphyrij, qui ſanctum martyrem Agapitum erudiuit in fide & doctrina Chriſti. In Alexandria natale Dioſcori, & alibi Philiberti abbatis. In Lucania ſanctorum Valentini, Leonti. In Sinnida ciuitate ſanctorum Valenti, Piricij, Arci, Maximi, Pamphili, & Coloui confeſſoris. & ſancti Bernhardi abbatis.

B. XII.

B. XII. CAL. SEPTEMB.

IN territorio Gamalitanæ ciuitatis, natale ſancti Priuati martyris & epiſcopi, qui paſſus eſt perſecutione Valeriani & Gallieni. Eodem die natale ſanctorum Bonoſi & Maximiani, quorum geſta habentur. In ciuitate Salona natale Anaſtaſij martyris: qui cum uideret beatū Agapitum inter tormenta fortiter Chriſtum confitentem, exclamauit, Magnus eſt Chriſtianorū Deus, & non eſt alius præter eum. Erat aūt cornicularius miles. Ad quem præſes, Sicut uideo, inquit, ſeductus es. Ex quo præſes imperatori Aureliano renunciauit, qui mox perire illū iubet: & ita martyr factus, migrauit ad Dominū. In Hiſpanijs Vincentij, Iuliani. In Sardinia ſanctorum Luxurij & Traiani.

C. XI. CAL. SEPTEMB.

NAtale ſancti Timothei, qui ab Antiochia ueniens Romam, ſub Melchiade papa ſuſceptus eſt in hoſpitium à Syluestro papa, qui poſtea epiſcopus factus eſt. Qui cum annum totum & aliquot menſes prædicans, multos ad Chriſtum conuertiſſet, tentus à Tarquinio urbis præfecto, & longa carceris cuſtodia maceratus, cum ſacrificare idolis noluiſſet, tertiò cæſus, & grauiſsimis ſupplicijs attrectatus, ad ultimum decollatus, & iuxta beatum Paulum apoſtolū ſepultus eſt. Auguſtuduno ſancti Simphoriani, qui tempore Aureliani imperatoris ſub Heraclio conſulari, cùm idolis ſacrificare nollet, primò uerberibus afflictum, deinde carceri mancipatum, ad ultimum abſciſo capite martyrem effecit. In portu Romano, ſanctorum peregrinorum martyrum, Martialis, Epicteti, Saturnini, Aprilis & Felicis, cum ſocijs eorum. Item Romæ beati Antonini martyris: qui cum eſſet carnifex, uidit ſtantem iuuenem cum ſpongia, & detergentem latera ſanctorum martyrū Euſebij, Pontiani, Peregrini atq; Vincentij, cū ſuſpenſi in equuleo cæderētur, exclamare cœpit, Vere Deus eſt Chriſtus, quem hi prædicant: & fugiens occultè à Rufino presbytero baptizatus eſt: & reuerſus ad Vitellium cum ſe Chriſtianum liberè fateretur, capitali ſententia dānatus, uia Aurelia ſepultus eſt. Eodem die octaua aſſumptionis ſanctæ Mariæ.

D. X. CAL. SEPTEMB.

NAtale ſanctorum martyrum Donati, Reſtituti, Valeriani, Fructuoſæ, cum alijs duodecim in Antiochia coronatis. Eodem die beati Zachęi epiſcopi, qui quartus ab Iacobo Hieroſolymorum rexit eccleſiam. Lugduni ſanctorū martyrum Minerui, & Eleazari cum filijs octo. In portu urbis Romæ ſanctorū Hippolyti, Quiriaci & Archillai. Remis ciuitate, ſanctorum Timothei & Apollinaris, qui ibidem martyrizati ſunt. In Alexandria beati Theonę uenerabilis. Paſsio trium fratrum in ciuitate Aegæa ſub Lyſia præſide, id eſt Claudij, Aſteris, Neonis. Et uigilia ſancti Bartholomæi apoſtoli.

E. IX. CAL. SEPTEMB.

NAtale S. Bartholomęi apoſtoli, qui apud Indiam Chriſti euangeliū prædicans, uiuens à barbaris decoriatus eſt, atq; iuſſu regis Aſtragis decollatus martyrium cōpleuit. Huius apoſtoli ſacratiſsimum corpus primùm ad inſulam Liparis, quæ Siciliæ uicina eſt, deinde Beneuentum translatum, pia fidelium ueneratione celebratur. Apud Carthaginem ſanctorū qui paſsi ſunt tempore Valeriani & Gallieni. Ferunt enim inter alia ſupplicia, tunc à præſide clibanū calcis accenſum, & ante ora illius prunas cum thure exhibitas, & præſidē dixiſſe Chriſtianis, Eligite è duobus unum: aut thura ſuper his carbonibus offerte Ioui, aut in calcem demergemini. Tunc trecēti uiri fide armati, ſe ictu rapidiſſimo Chriſtum Dei filium Deum fatentes, iecerunt in ignem, & inter uapores calcis in puluerem ſunt conuerſi. Ex quo etiam candidatus ille exercitus beatorum, maſſa candida meruit nuncupari.

F. VIII. CAL. SEPTEMB.

PAſsio Geneſij martyris, ſub Diocletiano imperatore, qui fuit primū ſub gentilitate mimus, Thymelicę artis magiſter: ſed poſtea Chriſti confeſſor factus, modis multis à perſecutoribus eſt cruciatus, hoc eſt, fuſtibus cæſus, equuleo ſuſpēſus, flammis aduſtus, nouiſsimè decollatus. Romæ natale ſanctorum quatuor martyrum, Euſebij, Pontiani, Peregrini & Vincentij, imperante Commodo, Vitellio iudice: qui primùm leuati in equuleo, ac neruis diſtenti, fuſtibusq; ſunt cæſi, & flammæ ad latera eorum appoſitæ, nec tamen ſuperati, Euſebius pręciſa lingua loquebatur, nouiſsimè plumbatis uſq; ad emiſsionem ſpiritus mactati ſunt. Quorum corpora collegit beatus Rufinus presbyter, & ſepeliuit. Itē ſancti Geneſij Arelatēſis, qui in ripa Rhodani fluminis decollatus, & proprio cruore baptizatus, martyrij gloriam accepit. Eodē die ſancti Sandradi abbatis.

G. VII. CAL. SEPTEMB.

ROmæ ſancti Zepherini papæ, qui rexit eccleſiam annos octo, menſes ſeptem, dies decem. Hic conſtituit ut præſentibus omnibus clericis & laicis fidelibus, ſiue diaconus, ſiue ſacerdos ordinaretur, & aſtātibus ſacerdotibus miſſæ celebrarentur. Item natale ſanctorum Hirenei & Habundij Romę, quos Deciana perſecutione iuſsit Valerianus incloacari, eo quòd corpus beatæ Concordiæ in cloacam miſſum leuauerunt. Et ipſorum quoq; corpora leuauit Iuſtinus presbyter, & ſepeliuit in crypta iuxta beatum Laurentium. Apud Victimilium, caſtrum Italiæ, ſancti Secundi martyris ex legione Thebeorum. Et Pergamis ſancti Alexandri martyris, qui & ipſe erat ex legione prædictorū ſanctorū, qui decollatione martyrium expleuit.

A. VI. CAL. SEPTEMB.

APud Capuam natale ſancti Rufi martyris, quem beatus Apollinaris Petri apoſtoli diſcipulus docuit & baptizauit, cùm eſſet idem Rufus patriciæ dignitatis. Thomis ſanctorum martyrum Marcellini tribuni, & uxoris eius Manneæ, & filij ipſius Ioannis & Serapionis clerici, & Petri militis. In Gallijs ciuitate Arelatenſi



latenſi ſancti Cæſarij epiſcopi & confeſſoris, uiri miræ ſanctitatis. Auguſtuduno ſancti Siagri epiſcopi & confeſſoris.

B. V. CAL. SEPTEMB.

NAtale beati Hermetis martyris. Hunc beatus Alexander papa urbis Romæ cum eſſet præfectus, baptizauit cum uxore & filijs ac ſorore Theodora, & cum eo pariter mille ducētos quinquaginta ſeruos eius, uxores quoq; & filios eorum, prius ingenuitate illis conceſſa, ac non multo pòſt ab Aureliano gladio plectitur. Cuius corpus collegit beata Theodora, atq; in uia Salaria ſepeliuit. In Africa depoſitio ſancti Auguſtini epiſcopi, qui primò de ciuitate ſua propter barbaros in Sardiniā translatus eſt, & nuper à Luitprando rege Longobardorum Ticinum relatus, & honorificè conditus eſt. Conſtantinopoli ſancti Alexandri epiſcopi & confeſſoris, cuius uirtute orationis Arius diuino iudicio condemnatus crepuit medius, & effuſa ſunt uiſcera eius. Apud Sanctonas ſancti Iuliani epiſcopi & confeſſoris. & natale ſancti Iuliani martyris. Itē natale ſancti Pelagij martyris.

C. IIII. CAL. SEPTEMB.

PAſsio & decollatio, uel potius inuentio capitis beati Ioannis baptiſtæ, quem Herodes, ut euangeliſtæ referunt, decollari præcepit. Romæ in Auentino oppido Vindmenſe, ad arcū Fauſtini beatæ Sabinæ martyris, quæ fuit uxor præclariſsimi quondam Valentini. Hanc beata uirgo Serapia uera fide inſtruxit. Paſſa eſt autē famula Chriſti Sabina ſub Adriano imperatore, ſub præfecto quoq; Helpidio, cum in confeſſione Chriſti perduraret, decollatione capitis martyrij palmam adepta eſt. Cuius corpus ſepultum eſt in ſepulchro quod ſibi ipſa parauerat, ubi & magiſtram Serapiam ipſa antè condiderat. In Venuſio ciuitate Apuliæ natale Felicis epiſcopi. Ciuitate Tubzozenſe Ianuarij presbyteri, & Fortunatiani & Septimi lectorum, qui ſub Diocletiano imperatore à Magdelliano procuratore gladio conſummati ſunt.

D. III. CAL. SEPTEMB.

ROmæ uia Oſtienſi ſancti Felicis presbyteri, ſub Diocletiano & Maximiano imperatoribus, præfecto & iudice Dracone. Hic cum ad ſecretariū iudicis eſſet perductus, iuxta templum Serapis, dum cogeretur ad ſacrificandū, exufflauit in faciem ſtatuæ ærex, & ſtatim cecidit. Item ductus ad Mercurij ſtatuam, quæ ſimili modo cecidit. Item ad ſimulachrum Dianæ, quod pari modo cecidit. Tunc præſes iuſsit eū decollari. Quidam ergo uir Chriſtianus obuius ei fuit, hominibus quidē abſcōſus, Deo uerò manifeſtus: hic cœpit clamare, Ipſum quē hic ſanctus pater confitetur, Dominū Ieſum Chriſtum colo. Mox & ipſe ab officio præfecti comprehenſus, pariter dato ſibi prius oſculo pacis cum beato Felice decollatus eſt. Huius nomen quia non inuenerunt poſtmodum Chriſtiani, Adauctum eum appellauerunt, eo quòd ſancto martyri Felici auctus ſit ad coronam. Chriſtiani uerò noctu uenientes, ibi in eodem loco ſepelierunt eos. Quorum corpora uoluerunt pagani exinde effodere, ſed quicunq; manus appoſuerunt, à diabolo correpti ſunt. ubi poſtea pacis tempore baſilica fabricata eſt. Et natale ſanctæ Gaudentiæ uirginis, cum alijs tribus. Et depoſitio Agili abbatis.

E. PRID. CAL. SEPTEMB.

TReueris natale ſancti Paulini epiſcopi & confeſſoris, qui tempore Arianæ infeſtationis, à Conſtantio imperatore, ob catholicam fidem exilio relegatus, & extra Chriſtianum nomen uſque ad mortem mutando exilia fatigatus eſt, ad ultimum apud Phrygiam defunctus, beatę paſsionis coronam percepit à Domino. Apud Athenas beati Ariſtidis confeſſoris.

## SEPTEMBER HABET DIES XXX. LVNAM TRICESIMAM.

## F. CALENDIS SEPTEMBRIS.

NAtale beatæ Annę prophetiſſæ, filiæ Phanuel de tribu Aſer, de qua euangeliſtæ narrant, Ieſu Naue & Gedeon prophetarum. Apud Capuam natale ſancti Priſci martyris, qui unus fuit de illis antiquis Chriſti diſcipulis. Apud Senonas beati Lupi epiſcopi, ſanctitate inſignis, & beati Longini martyris. Scinomannis ciuitate Galliæ, natale Victoris epiſcopi. Nam dum ſanctus Martinus Turonis epiſcopus pergeret ad ſepeliendum Leporinum epiſcopum ſupradictæ urbis, & ueniſſet ad oppidum, reſpiciens uidit hominem operantem in uinea (eratq; ſubdiaconus) reuelatum eſt ſancto Dei, eo quòd ipſe ſucceſſurus eſſet in epiſcopalem locum. Vocauitq; illum ſanctus Martinus ad ſe dicens illi, Benedic domine Victor. Cui ille, Benedic mihi domine tu mi, & benedictus ſermo tuus. Sicq; iuſſu ſancti uiri ſecutus eſt eum: quem conuocata plebe ordinauit epiſcopum, eiq; filium Victorinum nomine baptizauit, & ſecum ad nutriendum ad Dei ſeruitiū tulit: quem etiam poſt obitum patris eidem ciuitati ordinauit epiſcopum. Ad aquas duras natale ſanctæ Verenæ uirginis, & ſancti Egidij abbatis & confeſſoris.

G. IIII. NON. SEPTEMBR.

NAtale ſancti Iuſti Lugdunenſis epiſcopi, miræ ſanctitatis & prophetici ſpiritus uiri. hic clàm epiſcopatū ſuum relinquēs, aſcenſa naui, comitante ſecum uno tantum puero, qui officio lector erat, nomine Viator, peruenit ad Aegyptum, ubi per aliquot annos ſanctis monachis cœlū ſolū expectātibus, cōſociatus, humilitate & ſanctitate nō mediocri uixit. Curſu itaq; temporis cōſummato, coronā iuſtitiæ percepturus migra

migrauit ad Dominum, pridie idus Octobris. Corpus eius à religioſis ciuibus Lugdunũ cum oſsibus beati Viatoris miniſtri eius relatum, & condigno cultu in baſilica ſanctorum Machabæorum conditum eſt, quarta nonas Septemb. Item apud præfatam urbem beati Helpidij epiſcopi & confeſſoris. Apud Apamiam ſancti Antonini martyris.

A. III. NON. SEPTEMB.

NAtale ſanctæ Phœben, de qua beatus Apoſtolus Romanis ſcribit. Romæ paſsio ſanctæ Serapiæ uirginis, ſub Adriano imperatore, iudice Beryllo. Hęc Antiochena fuit genere, & cum in domo Sabinę commaneret, exhibita eſt in conſpectu præſidis: cui ille dixit, Sacrifica dijs. Quæ reſpondit, Timeo & colo Deum omnipotentem: non ſacrifico dæmonibus. Tunc præſes iuſsit eam quinq; iuuenibus laſciuis tradi, ut ei nocturno furto inſultarẽt. A quibus perducta in cubiculum ualde obſcurum, cum uellent eam tangere, ſubitò terræmotus factus eſt magnus: cecideruntq; exanimes in terram mẽbris omnibus reſolutis. Poſt hæc præcepit eam fuſtibus cædi, & ardentes lampades lateribus eius apponi: ſed qui ea tenebant, ceciderunt retrorſum. Tunc percuti gladio iubetur. Paſſa eſt autem quarta calendas Auguſti, ſepulta à beata Sabina, pridie calend. Auguſti. Compoſitum & ornatum eſt ibi uenerabile ſarcophagũ ambarum, & locus orationis condignè dedicatus, tertio non. Septembris. In Capua ſanctorũ martyrum, Antonini pueri uiginti annorum, & Ariſtæi epiſcopi, quorum geſta habentur.

B. PRID. NON. SEPTEMB.

MOyſi prophetæ. Et apud Ancyram Galatiæ ſanctorum martyrum, trium puerorũ, Rufini, Syluani & Vitalicæ. Cabilone natale ſancti Marcelli, qui ſub Antonino imperatore per Priſcum præſidem paſſus, hunc immolantẽ dijs ſuis incurrit. Cumq; ab eo ad conuiuiũ pro fanum fuiſſet inuitatus, & huiuſmodi execrans epulas omnes qui aderant, cur idolis deſeruirent, libera increpatione corriperet, inaudito crudelitatis genere defodi eum cingulotenus erectum præſes iuſsit. Sicq; ſanctus Dei martyr triduo in laudibus Dei omnipotentis perſeuerans, incontaminatum ſpiritum reddidit.

C. NON. SEPTEMB.

IN ſuburbano Romæ beati Victorini martyris: qui dum eremiticam uitam duceret, diaboli ſuaſionibus eſt lapſus: ſed per Dei gratiam recuperatus, & poſtea ſacerdotium Aminterninæ urbis adipiſcitur. Inde poſtmodum ſub imperatore Nerua, cum alijs Dei ſeruis, Eutice & Maronæ ab Aureliano iudice primò relegatur apud eum locum, ubi putentes aquæ & ſulphureæ emanant: in ipſis capite deorſum per tres horas ſuſpendi iuſſus, & teneri ab impio iudice iuſſus eſt. Quod cum per triduum pro nomine Chriſti paſſus fuiſſet, glorioſe coronatus uictor migrauit ad Dominum. Cuius corpus Aminternenſes populi rapientes, honorifica ſepultura condiderunt. Romæ ſancti Herculiani martyris. Capuæ ſanctorum Quinti, Arcontij & Donati, Taurini, Nimpi & Saturnini, & depoſitio Ingenij epiſcopi.

D. VIII. IDVS SEPTEMB.

ZAchariæ prophetæ. Et natale beati Oneſiphori, apoſtolorũ diſcipuli, de quo ait Apoſtolus: Det miſericordiam Dominus Oneſiphori domui. Apud Africã beatorum confeſſorũ & epiſcoporũ Donatiani, Præſidij, Manſueti, Germani, Fuſculi, qui perſecutione Vandalica, iuſſu Hunerici regis Ariani, pro aſſertione catholicæ ueritatis duriſsimè fuſtibus cæſi, & exilio ſunt damnati: inter quos etiam epiſcopum, nomine Letum, incendio concremauit. Tunc etiã epiſcopis, quaſi ad concilium congregatis Carthagine, una die uniuerſæ Africæ eccleſias clauſit, uniuerſamq; ſubſtantiam epiſcoporum & eccleſiarum ſuis epiſcopis cõdonauit. Sancti Magni confeſſoris, diſcipuli ſancti Galli. Romę Eleutherij epiſcopi. Cappadocia ciuitate ſancti Cuttidi epiſcopi & Eugenij, & ſociorum eius.

E. VII. IDVS SEPTEMB.

APud Nicomediam natale beati Ioannis ſub Diocletiano imperatore. cuius cum iam uiſcera in ſupplicijs defeciſſent, nunquam efficere potuerunt, ut eum ne æſtuantem aliquis in pœnis uideret. Et natale ſancti Euritij epiſcopi & confeſſoris, & depoſitio Clodoaldi cõfeſſoris. Arelati ſancti Auguſtalis epiſcopi & confeſſoris, & ſanctæ Reginæ martyris.

F. VI. IDVS SEPTEMB.

NAtiuitas beatiſsimæ Dei genitricis Mariæ perpetuæ uirginis. Apud Nicomediam natale ſancti Adriani martyris, cum alijs uiginti tribus, quos Maximianus poſt innumeras pœnas iuſsit, ut uecte ferreo magno confringerentur tibiæ ipſorum. Confractis itaq; cruribus, ac pedibus inciſis: inſuper & beato Adriano inciſa manu orantes & gratias agentes Deo ſpiritũ emiſerunt. Corpora eorum iuſsit tyrannus incendi: ſed ſubitò factæ ſunt coruſcationes & tonitrua, ac pluuiæ, & extinctus eſt ignis. Tunc Chriſtiani rapientes martyrum reliquias, aſcenſis nauibus fugerunt Byzantium, & reuerenti honore ſepelierunt. Non longo pòſt tempore beati Adriani corpus eſt Romam translatũ. In ſuburbanis Magontiacenſis eccleſię natale ſancti Disboti cõfeſſoris: & Friſingæ depoſitio ſancti Corbiniani epiſcopi.

G. V. IDVS SEPTEMB.

SErgij papæ. qui ſedit Romæ annos tredecim. Hic inuenit miræ magnitudinis portionem ligni ſalutaris Dominicę crucis, in ſacrario beati Petri. Hic ſtatuit in tempore Dominici corporis confractionis, Agnus Dei à clero & à populo decantari, & conſtituit, ut diebus annunciationis Domini, dormitionis, & natiuitatis ſanctæ Dei genitricis Mariæ, ac ſancti Simeonis, quod hypanti Græcè dicitur, letaniæ exeant à ſancto Adriano, & ad ſanctam Mariã populus occurrat. Paſsio beatorum martyrũ, Dorothei & Gorgonij. Apud Nicomediam, ſub Diocletiano imperatore, quos iuſsit appendi, & flagris



& flagris toto corpore laniari, & uiſceribus iã pelle nudatis aceto & ſale perfundi. Poſt hęc iubetur craticula prunis ſubterſtrata in medio poni, ibiq; quod in eo reliquum fuerat, abſumpti hominis ſupponi, & nõ ſubitò, ſed paulatim ſuccẽdi: ad ultimum laqueo appenſo iuſsit necari. Interiecto tempore beatus Gorgonius Romàm transfertur. In Sabinis ſanctorũ Iacincti, Alexandri, Tyburcij. Eodem die ſanctæ Kunegundis uirginis.

A. IIII. IDVS SEPT.

APud Africam ſanctorum epiſcoporum Nemeſiani, Felicis. Item Felicis, Littei, Poliani, Victoris, Iaderis & Datij, qui ſub Diocletiano & Maximiano paſsi ſunt. In Chalcedonia ſanctorũ Soſthenis & Victuris martyrum, ſub Priſco conſule. Romæ depoſitio Hilarij papæ, per quem Victurius ordinem paſchalẽ conſcripſit. Et depoſitio Saluij epiſcopi, de cuius ſanctitate Gregorius Turonis epiſcopus ſcripſit, narrans quòd per reuelationem uidiſſet diuinæ uocis euaginatum gladium imminere ſuper tegulum, quod Hilpericus rex præcepit cõſtrui. cui uiſioni ueritas ſtatim ſubſecuta eſt. Nã poſt dies uiginti duos, filij regis mortui ſũt.

B. III. IDVS SEPT.

ROmæ natale ſanctorum, Prothi & Iacincti, qui erant eunuchi beatæ Eugenię uirginis. Cumq; ab Heleno epiſcopo baptizati eſſent, aliquanto tempore diuinis ſolum eruditionibus uacantes, in ſeruorum Dei monaſterio mira humilitate uerſati ſunt, & hoc apud Aegyptum, inde cum beata uirgine Romam reuerſi, ſub Gallieno imperatore, quòd eſſent Chriſtiani deprehenſi, coguntur ſacrificare, ſed nõ cõſentientes, duriſsimè uerberabantur. Cumq; Deo fidem ſeruantes gauderent, pariter decollantur. Et ſanctorum Felicis & Regulæ.

C. PRID. IDVS SEPT.

APud urbem Ticinũ, quæ & Papia dicitur, ſanctorum confeſſorum Siri & Iuentij, qui à beato Hermagore Aquileienſi epiſcopo, diſcipulo ſancti Marci euangeliſtæ, ad præfatam urbem directi, primò illic Chriſti euangelium prędicantes, & magnis uirtutibus ac miraculis coruſcantes, etiam uicinas urbes Veronẽſem ſcilicet & Brixenã, & Laudenſem, diuinis operibus illuſtrarũt: ſicq; in pontificali honore, fundata & confirmata fide credentium populorũ glorioſo fine quieuerunt in pace. In Antiochia natale Timothei. Catenas ſancti Eupli. Lugduno depoſitio ſacerdotis epiſcopi. Auguſtoduno beati Euentij epiſcopi.

D. IDVS SEPT.

IN Alexãdria beati Philippi epiſcopi & martyris, qui præfectus primùm fuit: deinde baptiſmi gratia ſanctificatus, epiſcopatus dignitatem, ſuffragium ferentibus populis Chriſtianis aſſequitur, & ſub Voluſiano & Gallieno imperatoribus Perhemmius præfectus Alexandriæ cogitauit eum occidere. Sed cùm hoc implere non poſſet, propter populum Chriſtianum, immiſit quoſdam, qui ſe fingerent Chriſtianos.



Quiq; ingredientes percuſſerunt eum in oratione conſtitutum. Sedit autem in epiſcopatu annum unum, mẽſes tres. Et ſancti Amati preſbyteri, & abbatis monaſterij ſancti Romarici. Turonis depoſitio beati Licronis epiſcopi.

E. XVIII. CALEND. OCT.

ROmæ uia Appia natale S. Cornelij epiſcopi, ſub perſecutione Decij: cui primò os cũ plumbatis eſt cęſum, & decollatus eſt cum alijs uiginti uno promiſcui ſexus, cum quibus & Cerealis miles cum Saluſtia uxore ſua, quam Cornelius ab infirmitate ſanauit orando. Beatus itaq; Cornelius rogatus à beata Lucina, corpora apoſtolorum beati Petri & Pauli de Catacumbis leuauit noctu. primùm quidem corpus beati Pauli beata Lucina acccepit, & poſuit in prædio ſuo uia Oſtienſi, ad latus ubi decollatus fuit. Beati Petri uerò corpus ſanctus Cornelius accepit epiſcopus, & poſuit iuxta locum ubi crucifixus eſt, inter corpora ſanctorum, in templo Apollinis: in monte Aurelio Vaticani palatij Neroniani, tertio Kalend. Iulij. Item S. Cypriani epiſcopi, qui ſub Valeriano principe poſt longum exilium detruncatus capite martyrium conſummauit, ſexto miliario à Carthagine iuxta mare. Eodem die exaltatio ſanctæ crucis. Treueris depoſitio ſancti Materni epiſcopi & confeſſoris.

F. XVII. CALEND. OCT.

NAtale ſancti Nicomedis martyris, quem Flaccus comes, eo quòd corpus ſanctæ uirginis Feliculæ, quã ipſe pro Chriſto punierat, ſepeliſſet, iuſsit duci ad ſacrificandum. Quo renuente, plumbatis diutiſsimè cæſus migrauit ad Dominum. Cuius corpus in Tyberim iactauit, quod à clerico ipſius, nomine Iuſto, eſt collectum, & ſepultum iuxta muros uia Numentana. Cabilonenſi caſtro Trenorcio ſancti Valeriani martyris, ſub præſide Priſco, quem iuſsit ſuſpendi, ac graui ungularum laceratione cruciari, ac deinde gladio percuti. Et natale ſancti Apri epiſcopi, & ſancti Leobini confeſſoris. In Alexãdria ſanctorũ Serapionis, Leontij. In Cyra Galatiæ ſancti Eleuci, Valerij & Cyrionis, Stratonis, Marcrobij & Conſtantij. In Ancyra ſancti Pauli epiſcopi. Lugduno depoſitio Albini epiſcopi, & octaua natalis S. Marię uirginis.

G. XVI. CALEND. OCT.

NAtale ſanctæ Euſemiæ uirginis, quæ martyrizata eſt ſub Diocletiano imperatore, procõſule autem Priſco, in ciuitate Chalcedona. Quę tormenta & carceres, uerbera & argumenta rotarum, ignes & pondera lapidum angularium, beſtias & plagas uirgarũ, ſerras acutas & ſartagines ignitas uicit. In ultimo ſancta uirgo precibus obtinuit, ut una ex beſtijs morſum ſibi infigeret, & ita immaculatum ſpiritũ Domino reddidit. Cuius corpus Philophronius pater eius, & Theodora mater eius curatum ſepelierunt, quaſi mille paſſus à ciuitate Chalcedona. Romæ ſanctorum Lucię & Geminiani, imperatore Diocletiano, iudicibus Apofraſio & Megaſio. Manſerat autẽ beata Lucia in uidui-

in uiduitate annos triginta ſex, totius enim uitæ ſuæ anni fuere ſeptuaginta quinq;. Quę accuſata à filio ſuo quòd Chriſtiana uiueret, primò in carcerem miſſa eſt, ubi conſolationem diuinam promeruit: dein fuſtibus diutiſsimè cæſa, & ſubitò terræmotus factus eſt magnus, & templum Iouis ita ſubrutum, ut nec lapis ſuper lapidem remaneret. Tunc in ollam æream miſſa eſt, pice & plumbo feruentem, ubi triduo illæſa permanſit. Poſtea plumbo & ferro onerata, & per plateas ciuitatis ducta. quidam uir Geminianus uidit ſibi patere cœlum, & ſtatim aſſociatus eſt ſanctæ Luciæ in carcere, & ibi monēte angelo, à presbytero, nomine Prothaſio baptizatus. Deinde ſancta Lucia cum beato Geminiano Amegaſio cōſulari arctati, nouiſsimè gladio animaduerſi ſunt. Quorum corpora rapuit quædam mulier Chriſtiana, nomine Maxima, & ut decuit, ſepeliuit.

A. XV. CALEND. OCT.

TVngrenſi diœceſi Leodio uilla publica natale ſancti Lantberti epiſcopi. Qui dum regiam domum zelo religionis increpaſſet, cum rediens orationi incumberet, ab iniquiſsimis uiris de palatio regio miſsis ex improuiſo conclusus intra domum eccleſiæ occiditur. Cuius ſepulchrum creberrimis miraculis illuſtratur. In Britannia Socratis Stephani. Nouioduno ſancti Valeriani, Macrini & Gordiani. Romæ beati Iuſtini presbyteri, quem beatus Sixtus ordinauit. Hic beatos Laurentium, Hippolytum, & Concordiam, Irenæum, Abundium, & Cyrillam filiam Decij Cæſaris martyres, & alios plurimos ſepulturis condidit. Item Romæ ſanctorum martyrū Narciſsi & Creſcentionis.

B. XIIII. CALEND. OCT.

NAtale ſancti Methodij, Olympij, Lucij, & poſtea Tyri epiſcopi, qui ſub Diocletiano in Chalcide Græciæ martyrio coronatus eſt. Viennæ ſancti Ferreoli, qui perſecutionis tempore, cum eſſet tribunitię poteſtatis, iuſsu præſidis tentus primò crudeliſsimè eſt cęſus, deinde graui catenarum onuſtus pondere, in teterrimum carcerem truſus eſt: unde ſolutus Dei nutu, poſtea ab inſequētibus captus, martyrij palmam capitis obtrūcatione percepit: cuius corpus cum capite beati Iuliani ad urbem Vienneniſium relatum, & condigno honore conditū eſt. Mediolani depoſitio beati Euſtorgij epiſcopi, & Satyri, Trophimi, Ιociani.

C. XIII. CALEND. OCT.

IN Neapoli Campaniæ natale ſanctorum Ianuarij, Beneuentanæ ciuitatis epiſcopi, cum Soſio diacono Meſenatæ ciuitatis, & diacono ſuo Feſto, & lectore ſuo Deſiderio, qui poſt uincula & carceres capite ſunt cæſi in ciuitate Puteolana, ſub Diocletiano principe, & iudice Dracontio. Qui cum ducerentur ad mortem, uiderunt inter alios, Proculum Puteolanæ ciuitatis diaconum, & duo laici Eutyches & Achatius, interrogauerunt quare iuſti iuberētur occidi. Quos iudex ut uidit Chriſtianos, iuſsit decollari cum illis. Sic omnes ſeptem pariter ſunt decollati, & tulerunt nocte eorum corpora populi Chriſtianorum. Neapolitani Ianuarium, poſuerunt iuxta ciuitatem in baſilica, Meſenates Soſium æquè in baſilica, Puteolani Proculū Eutychen & Achatium, iuxta baſilicam ſancti Stephani. Feſtum & Deſiderium Beneuentani collegere. In Palæſtina ſanctorum Pelei & Nili epiſcoporum, qui perſecutione Diocletiani cum plurimis clericis igne conſumpti ſunt pro Chriſto. Apud Nuceriam ſanctorum Felicis & Conſtantiæ, qui ſub Nerone paſsi ſunt. Lingonas Sigoni presbyteri, & Florentij epiſcopi & martyris, & natale ſancti Euſtochij.

D. XII. CALEND. OCT.

IN Cyzico natale Fauſtę uirginis, & Eiulaſij ſub Maximiano imperatore, quam idem Eiulaſius, cum eſſet primus palatij, iuſsit decaluari, & radi ad turpitudinem, dein ſuſpendi ac torqueri. Quo tēpore coruſcatio de cœlis multos miniſtrorū percuſsit. Deinde iuſsit loculos afferri, & eam immiſſam ac fixam, quaſi lignum ſecari mediam: ſed non eam carnifices ferris lædere ualebāt. Inter quæ ſtupens Eiulaſius Chriſto credere cœpit. Et hoc ubi imperatori nunciatum eſt, miſit præfectum, qui eum ſuſpēſum fortiter torqueret. Qui etiam iuſsit Fauſtā nudam, & ſine maforte flagellatam, incarceratā, caput terebrari, ac oculos infigi, cui poſtmodū non ſolùm caput & facies, ſed & pectus & totum corpus uſq; ad tibias clauis impletum eſt. Poſt hæc ſartaginem iuſsit igniri, ſed hæc pſallente illa refriguit. Hæc interueniens uox de cœlo uocauit eos, & ſic tradiderunt ſpiritum. Erat autem Fauſta annorum tredecim, & Eiulaſius octoginta. Et uigilia ſancti Matthæi apoſtoli.

E XI. CALEND. OCT.

NAtale ſancti Matthæi apoſtoli & euangeliſtæ, qui primus in Iudæa euangelium Chriſti Hebręo ſermone conſcripſit. Poſt uerò apud Aethiopiam prædicauit, & multos ad fidem conuertit: miſſusq; eſt ſpiculator ab Hirtaco rege, qui eum gladio feriebat efficiens martyrem Chriſti: cuius euangelium ſtylo ſcriptum, Hebræo ipſo reuelante, tempore imperatoris cuiuſdam inuentum eſt.

F. X. CALEND. OCT.

IN Gallia ciuitate Ceduno, loco Agauno, natale ſanctorum martyrum Thebeorum, Mauricij, Candidi, Exuperij, Victoris, Innocentij, Vitalis cum ſocijs ſuis, nempe ſex millibus, ſexcentis, & ſexaginta ſex, qui ſub Maximiano paſsi, pro Chriſto glorioſiſsimè coronati ſunt. Victor uerò martyr, nec legionis eiuſdem fuit, neq; miles, ſed emeritæ iam militiæ ueteranus. Hic cum iter agens incidiſſet in hos, qui paſſim epulabātur læti martyrū ſpolijs, atq; ab his ad conueſcendū inuitatus, prolatā ab exultātibus per ordinē cauſam cognouiſſet, deteſtatus cōuiuas refugiebat. Qui mox ab eis captus & iugulatus eſt, ac cæteris martyribus honore cōiunctus eſt. At uerò beatiſsimorū martyrū corpora poſt multos paſsiōis annos, S. Theodoro

episco-



epiſcopo reuelantur, & in honore eorum baſilica honeſtè componitur. Apud Ratiſponā beati Emmerami epiſcopi & martyris, cui ſingulariter omnia membra abſciſa ſunt.

G. IX. CALEND. OCT.

NAtale S. Soſij diaconi Meſenatæ ciuitatis in Cāpania. Qui cum eſſet annorū xxx. cū beato Ianuario Beneuentano epiſcopo capitis decollationē ſuſcepit, tempore Diocletiani imperatoris. Is cum quodam tempore euangeliū legeret in eccleſia Meſenatæ ciuitatis, præſente epiſcopo Ianuario (frequēter enim eum pro ſanctitate & prudentia eius uiſitare conſueuerat) uidit ſubitò idem epiſcopus de capite eius flammam exurgere, quam nemo alius uidit, & pronunciauit eum martyrem futurum: & non poſt multos dies idem diaconus tētus, & in carcerem miſſus eſt. Ad quem uiſitandum cum ueniſſet epiſcopus cum diacono Feſto, & lectore ſuo Deſiderio, & ipſe cum eis ſimul tētus eſt, ac pariter omnes cū alijs tribus occiſi ſunt. Eodem die natale ſanctæ Teclæ uirginis, de ciuitate Iconio, à beato Paulo apoſtolo inſtructa eſt: quæ ſub Nerone imperatore pro Chriſti nomine igni eſt tradita, ſed nō exuſta: poſtea beſtijs atq; ſerpentibus deputata, ſed à nullo eorum eſt læſa: ad extremum uerò in Seleucia cum duplici corona uirginitatis & martyrij per ſomnum pacis migrauit ad Dominum. Secunda aſſumptio ſanctæ Mariæ uirginis.

A. VIII. CALEND. OCT.

COnceptio ſancti Ioannis baptiſtę. Auguſtuduno natale Andochij presbyteri, Tyrſi diaconi, & Felicis: q à ſancto Polycarpo epiſcopo ab oriente directi ad docendam Galliā, ſub Aureliano principe ſunt glorioſiſsimè coronati. Siquidē flagelllis cæſi, in ultimo tota die inuerſis manibus ſuſpenſi, in ignem miſsi: ſed non combuſti, tandem uectibus colla feriuntur, atq; ita martyrium ſuum compleuerūt. Eodem die depoſitio Solennis epiſcopi. Hic cum quadam die obuium haberet hominem à natiuitate cæcum & ſurdum, eum complexus collo, oſculatus eſt, & ſtatim ſanum reddidit. Hic etiā Carnotenſium epiſcopus, Ludouicum regem cum trecentis ſeptuaginta nobilibus ſacro fonte regenerauit: ſicq; Dei ſanctus tres olympiades gerens in epiſcopatu, migrauit ad Dominum. Romæ Priſcillæ & Liberij epiſcopi & confeſſoris. Aruernis depoſitio Ruſtici epiſcopi, & ſancti Rutperti confeſſoris.

B. VII. CALEND. OCT.

NAtale beati Cleopę, qui unus fuit de ſeptuaginta diſcipulis Chriſti, cui poſt reſurrectionem Dominus, eunti cum alio cōdiſcipulo in caſtellum Emaus, quod Nicopolis nunc dicitur, apparuit. Quem tradunt in eadem urbe, in eademq; domo, in qua menſam quaſi peregrino Domino parauerat, pro confeſsione illius, quē ibi ipſe cognouerat, à Iudæis occiſum, & glorioſa memoria etiam ſepultū. Lugduno ſancti Lupi epiſcopi, ex anachoretis, & natale ſancti Firmini martyris. In Aſia Bardomiani, Eucarpi, & aliorum uiginti ſex.

C. VI. CALEND. OCT.

NAtale ſanctorum martyrum Cypriani epiſcopi & Iuſtinæ uirginis. Quorum Iuſtina ſub Diocletiano multa propter Chriſtum perpeſſa, ipſum quoq; Cyprianum cum eſſet magus, & magicis artibus eam dementare conaretur, conuertit ad Chriſtum. Cum quo iam epiſcopo & nobili doctore facto, martyrizata eſt ſub Claudio principe, & iudice Eutelmio, & cū eis Theognitus quidam: quorū corpora iacuerunt proiecta foris ſex diebus inſepulta. Quidam autem nautæ Chriſtiani nocte rapuerunt ea, & deportauerunt ad urbem Romam, & matrona uenerabilis Rufina reuerēter excipiens illa ſepeliuit in prædio ſuo.

E. V. CALEND. OCT.

APud Aegęam ciuitatē, natale ſanctorū martyrū Coſmæ & Damiani, perſecutione Diocletiani, ſub pręſide Lyſia, q poſt multa tormēta, uincula & carceres toleratos, poſt mare & ignes, cruces, lapidationes & ſagittas, capite plectuntur cum Anthimo, Leontio & Euprepio. Quorum corpora religioſi uiri ſepelierunt in loco uenerabili, non longè à ciuitate Aegæa. Duorum autem fratrum Coſmæ & Damiani memoria etiam templo præclaro opere, nomini eorum ædificato ſolenniter agitur.

F. IIII. CALEND. OCT.

IN Hiſpanijs Corduba ciuitate natale ſanctorum Fauſti, Ianuarij & Martialis, qui primū equulei pœna cruciati, deinde raſis ſupercilijs, & auribus ac naribus præciſis, dentibus quoq; ſuperioribus euulſis, deturpati, ad ultimū ignis paſsione martyrium cōſummauere. In Germania ſanctæ Liobæ uirginis, quę de Britannia inſula à ſancto Boniſacio archiepiſcopo Mogontiacenſis eccleſiæ aduocata, ut famulas Dei in monaſterijs Germanię diuinis ſcripturis inſtrueret, ubi nō ſolùm multa miracula uiuens fecit, imò poſt obitum in Buchonia ſylua in monaſterio Fulda, iuxta decretū ſancti Bonifacij ſepulta, non paucis miraculis claret. Eodem die paſſio ſancti Vueſlai martyris. Romæ natale Stertei. In Africa Martialis, Laurentij, & aliorum uiginti. Autiſiodoro depoſitio ſancti Alodi epiſcopi, & in Gallia Solornis epiſcopi.

G. III. CALEND. OCT.

IN mōte Gargano uenerabilis memoria beati archangeli Michaëlis: ubi ipſius conſecrata nomine habetur eccleſia, uili facta ſchemate, ſed cœleſti prædita uirtute. Vertice ſiquidē montis excelſi poſita, de corpore eiuſdem ſaxi ſpeluncæ ad inſtar præcauata oſtenditur. Romano itaq; pontifice, & Sipontino epiſcopo de conſecratione loci ipſius quęrentibus, ac propterea triduanum ieiunium cum ciuibus celebrantibus, nocte ieiunij ſuprema ſanctus Michaël epiſcopo Sipontino per uiſionem apparens monuit, ut intrarent eccleſiam, quam ipſe dedicauit, & miſſas ibi iuxta morem agerent. Innumera quoq; ibi præſtantur beneficia, per ſanctorum archangelorum merita. In Thracia

ciuitate Eracle, natale Eutici, Plati. Autiſſiodoro depoſitio Fraterni epiſcopi.

G PRID. CALEND. OCT.

IN Bethleē Iudææ depoſitio ſancti Hieronymi presbyteri, cuius uita & doctrina ubiq; in eccleſijs Chriſti laudabilis extat, quomodo diuinos libros ex Hebræa lingua in Latinā tranſtulit, propheticosq; ſenſu allegorico expoſuit, tādem perfectam placitamq; Deo poſt conuerſationem, nonageſimooctauo ætatis ſuæ anno, apud Bethleē in pace quieuit, duodecimo Honorij imperatoris anno. In Gallijs caſtro Solodoro ſanctorum martyrū Victoris & Vrſi, ex glorioſa legione Thebeorum, qui iuſſu Maximiani tyranni, ab Hirtaco executore, primò duris ſupplicijs excruciati, ſed cœleſti lumine ſuper eos coruſcante, ruentibus in terram miniſtris erepti ſunt. Deinde in ignē miſsi ſunt, ſed ueniente mox pluuia uehemēti extincta pyra, in nullo penitus ſunt læſi, nouiſsimè gladio conſummati ſunt.

## OCTOB. HABET DIES XXX. LVNAM VIGESIMAMOCTAVAM.

### A. CALEND. OCT.

Apud Autiſſiodorum natale ſancti Germani epiſcopi & cōfeſſoris, qui multis uirtutibus & doctrina, continentiaq; clarus extitit. Remis ciuitate ſancti Remigij epiſcopi & confeſſoris, uiri præclariſsimæ uirtutis & ſanctitatis. Hic gentem Francorum idolorū culturis deditam conuertit ad Chriſtum, rege ipſorum ſacro fonte baptiſmatis, & ſacramentis fidei prius initiato: ſeptuaginta & eo amplius annos in epiſcopatu expleuit. Hic inter cætera facta, puellam à morte corporis ſuſcitauit. Treueris ſancti Nicetij epiſcopi & cōfeſſoris, qui de utero matris ſanctus fuit. Nam ab ipſo ortus ſui tempore mirabiliter clericus deſignatus eſt. Cum partu itaq; fuiſſet effuſus, toto capite, ut eſt conſuetudo naſcentium, à capillis nudo egreſſus eſt, in circuitu modicorum ordine pilorum apparente. Adradis ciuitate beati Vedaſti epiſcopi & cōfeſſoris, & Babonis epiſcopi. Item S. Fronti epiſcopi, cuius geſta miraculis plena conſcripta habētur. Thomis ciuitate natale ſanctorum Priſci, Creſcētij & Euagri.

B. VI. NON. OCT.

NAtale ſancti Euſebij papæ, qui ſedit in epiſcopatu annos ſeptem, ſepultus eſt uia Appia, in cœmiterio Caliſti. Sub huius tempore inuenta eſt crux Domini noſtri Ieſu Chriſti, quinta nonas Maij. Hic hereticos inuenit in urbe, quos ad manuum impoſitionem reconciliauit. In territorio Attrebatēſi, uilla Syricinio paſſio ſancti Leodegarij Auguſtudunēſis epiſcopi, quē uarijs iniurijs & diuerſis ſupplicijs pro ueritate afflictū Hebroinus maior regiæ domus interfecit. Cuius ſacratiſsimum corpus in diœceſi Pictauorum translatum, in monaſterio beati Maxentij honorificè eſt humatum. In Nicomedia ſancti Eleutherij martyris, ſub Diocletiano, qui per uaria tormentorum genera examinatus migrauit ad Chriſtum.

C. V. NON. OCT.

NAtale ſancti Dionyſij Areopagitæ, qui ab apoſtolo Paulo inſtructus credidit Chriſto, & primus Athenis ab eodem apoſtolo epiſcopus eſt ordinatus, & ſub Adriano principe, poſt clariſsimam confeſsionem fidei, poſt grauiſsima tormentorum genera glorioſo martyrio coronatur. Apud antiquos Saxones natale ſanctorum duorum Eualdorum presbyterorū, qui cum beato Vuillibrordo epiſcopo uenientes in Germaniam, tranſiere ad Saxones, & cū prædicare ibi Chriſtum cœpiſſent, comprehenſi ſunt à paganis, & occiſi. Ad quorum corpora noctu multa diu lux apparens, & ubi eſſent, & cuius eſſent meriti declarauit.

D. IIII. NON. OCT.

APud Corinthum beatorum Criſpi & Gaij, quos beatus apoſtolus ſe dicit baptizaſſe, cuius Gaij meminit idem apoſtolus ad Romanos, Salutat uos, inquit, Gaius hoſpes meus, & uniuerſæ eccleſiæ. Cuius beatus Ioannes epiſtolam ſcribens meminit ita, Senior Gaio cariſsimo, quem ego diligo in ueritate. Apud Aegyptum ſanctorum martyrum Marci & Martiani fratrum, & cum eis innumerabiles alij nō inferiori gloria tā uiri, quàm fœminæ, ſed & pueri ac ſenes, pro fide Domini noſtri Ieſu Chriſti, præſentem uitam parui pendentes futuræ gloriæ beatitudinem quæſiuere: quidā ex ipſis poſt uerbera aliosq; diuerſi generis horribiles cruciatus, flammis traditi ſunt, alij in mare præcipitati, nonnulli inedia cōſumpti, alij patibulis affixi, nonulli etiā capite cæſi, ita ut ſpontè ceruices ſuas ſecuribus darent. In quibus quidam more peruerſo capite deorſum preſſo, & pedibus in ſublime ſublatis, beatiſsimam coronam paſsionis meruerūt. In Africa Audacti, Romæ Marcelli papæ, Autiſiodoro depoſitio Marſi presbyteri. Eodem die S. Franciſci confeſſoris.

E. III. NON. OCT.

APud Siciliam natale ſanctorum Placidi, Eutychij & aliorum triginta. In Gallia ciuitate Valētia, natale ſancti Apollinaris epiſcopi, cuius uita & uirtutibus inſignis fuit, & mors nihilominus ſignis & prodigijs decoratur. Apud Eumeniam beati Praſeæ epiſcopi, apud Smyrniam martyrio conſummati, qui unus ex antiquis quaſi ex traditione priorū ſe accepiſſe aſſeruit, ſaluatorem præcepiſſe apoſtolis ſuis, ut infra duodecimum annum ab Hieroſolymis nō diſcederent. Autiſiodoro depoſitio ſanctorum Germanorum, & Firmati diaconi, & Flauinæ uirginis Deo ſacratæ.

F. PRID. NON. OCT.

APud Capuam natale ſanctorū Marcelli, Caſti, Aemilij, Saturnini. In Gallijs ciuitate Agauino natale Fidei uirginis & martyris, cuius





ius exemplo beatus Capraſius ad agonem martyrij animatus eſt. Eodē die beati Sagaris martyris & epiſcopi Laodicenſis, qui unus fuit de antiquis Pauli apoſtoli diſcipulis. Depoſitio Romani Autiſiodorenſis epiſcopi. Eodem die octaua ſancti Michaëlis archangeli.

G. NON. OCT.

ROmæ uia Appia natale ſancti Marci epiſcopi & confeſſoris, qui ſedit in epiſcopatu annos duos, menſes nouem, dies uiginti, qui etiā ſepultus eſt in cœmiterio Balbinæ uia Ardeatina. Item ſanctorum martyrum Sergij & Bachi, qui ſub Maximiano pro Chriſti nomine paſsi ſunt. Nam Sergius primicerius erat ſcholæ gentiliū, amicus imperatoris, beatus uerò Bachus ſecundicerius erat eiuſdem ſcholæ. Hi enim ab Antiocho duce pro Chriſti nomine, iuſſu Maximiani imperatoris paſsi ſunt: ita ut Bachus dum extenſus crucis flagellis cæderetur, emitteret ſpiritum: Sergius uerò poſt multa tormēta gladio cæſus eſt, & ſic migrauit ad Dominū. Item ſanctorū martyrum Marcelli & Apulei, qui quidem primò adhæſerunt Simoni mago: ſed uidentes mirabilia, quæ Dominus operabatur per apoſtolum ſuum Petrum, relicto Simone doctrinæ apoſtolicæ ſe tradiderunt, & poſt martyrium apoſtolorum ſub Aureliano conſulari martyrij coronam compleuerunt, ſepulti non longè ab urbe Roma.

A. VIII. IDVS OCT.

NAtale beati Simeonis, qui Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum præſentauit in templum. Itē natale ſanctæ Reparatæ uirginis, quæ paſſa eſt in Cæſarea urbe Palæſtinæ, ſub Decio præſide. Hæc cum nollet idolis ſacrificare, primùm adhibita eſt illi olla plumbo feruente impleta, poſtea abſciſæ ſunt illi mamillæ, & lampades ardentes adhibitæ, deinde in caminum ignis miſſa eſt. Quæ cum in nullo ibi fuiſſet læſa, decollata eſt, & cōtinuò de collo eius exiuit columba alba. Cuius corpus rapuerunt Chriſtiani, & conditum aromatibus ſepelierunt. Apud Cretā urbē Cortinæ beati Philippi epiſcopi. Theſſalonicæ ſanctorū Demetrij & Pelagiæ. Eodem die ſancti Amoris confeſſoris.

B. VII. IDVS OCT.

ABrahæ patriarchæ. Apud Pariſium natale ſanctorū martyrū Dionyſij epiſcopi, Eleutherij presbyteri, & Ruſtici diaconi. Qui beatus epiſcopus à pontifice Clemente Romano in Gallias directus, ut prædicationis operā populis à fide Chriſti alienis exhiberet, tandemq; ad Pariſiorum ciuitatem deuenit, & per annos aliquot ſanctum opus fideliter & ardenter executus, à præfecto Feſcennino Siſinio comprehenſus eſt, & cum eo ſanctus presbyter Eleutherius, & Ruſticus diaconus gladio animaduerſi martyrium cōpleuerunt. Item ſancti Donini, qui ſub Maximiano imperatore propter fidem Chriſti decollatus eſt.

C. VI. IDVS OCT.

LOth prophetæ. Apud Coloniam Agrippinam natale ſanctorum martyrum, Gereonis cum alijs trecentis decem & octo, quos ferunt Thebæos fuiſſe: & cum legione illa beati Mauricij, iuſſu Maximiani imperatoris in Gallias tranſitum feciſſe, atq; circa Rheni litora conſediſſe, & funeſtum tyranni imperium reſpuendo pro uera pietate colla pacienter gladijs ſubdidiſſe. Apud Cretam beati Piniti epiſcopi. In Britannia beati Paulini epiſcopi Eboraci, qui gentem Nordanhumbrorum, eam uidelicet nationem Anglorum, quæ ad aquilonem Humbri fluminis habitabat, cū rege ſuo Heduuino prædicando uerbum fidei conuertit ad Dominum.



D. V. IDVS OCT.

APud Tharſum metropolim Ciliciæ natale ſanctorum martyrū Tharaci, Probi & Andronici, qui perſecutione Diocletiani ſub Maximiano præſide longo tempore carcerali ſqualore afflicti ſunt, & tertiò diuerſis ſupplicijs examinati. Nam neruis crudis grauiter cæſi, & teſtis aſperrimis defricati, etiam papyro ardente circa uentrem & latera aduſti, poſt mamillarū confractionem, poſt tormenta tibiarū, poſt aceti & ſinapis infuſionē, poſt obolos ignitos, poſt cōfixionem digitorum, clauis acutiſsimis, poſt oculorum tranſpunctionem, ac linguæ abſciſionem, nouiſsimè in amphitheatro urſis & leonibus proiecti ſunt. Sed cū nulla ex beſtijs ſanctorū corpora auderet attingere, Maximianus ira ſuccēſus iuſsit eos gladio iugulari, & corpora eorum inter corpora gladiatorum proijci. Noctu uerò uenientes fideles, & deprecantes Dominum, ut oſtenderet eis ſanctorum reliquias, uiderunt ſubitò uelut ſtellam ſplēdidam de cœlo miſſam ſuper ſingula ſanctorum corpora reſidentem, ſicq; cum ingenti gaudio rapiētes ea præcedente ſe eiuſdem ſtellæ ſplendore glorioſos Chriſti athletas loco aptiſsimo cōdiderūt.

E. IIII. IDVS OCT.

APud Rauennam uia Laurentina natale ſancti Hediſti. Apud Africam ſanctorum confeſſorum & martyrum quatuor milium nongentorum ſeptuaginta ſex, qui perſecutione Vandalica, cum eſſent eccleſiarum Dei epiſcopi, presbyteri, diaconi, aſſociatis ſibi turbis fidelium populorum, iuſſu Hunerici regis Arriani, pro defenſione catholicæ ueritatis in horribile eremi exilium truſi, & inter Mauros ferociſsimos ſunt deputati. Inter quos erāt Cyprianus & Felix præcipui domini ſacerdotes. E quibus plurimi cum crudeliter ducerentur, & haſtilium cuſpidibus ad currendum, ac lapidibus ſibi alligatis dum tunderentur: ſiue ligatis pedibus uelut cadauera per dura & aſpera loca traherentur, tam diro ſupplicio per ſingula membra diſcerpti, per gladios acutos petrarū. Huic caput loris terebrabatur, alij latera findebantur, inter manus trahētium ſpiritum exhalabant. Extat per totum aggerem publicum loquentibus tumulis ſepultura ſanctorum. In Syria Euſtati presbyteri, & Euchariſti, Burri, Donati, Fortunatæ.

E. III. IDVS OCT.

NAtale ſancti Carpi, diſcipuli apoſtoli Pauli.

li. Apud Troadam Antiochiæ Theophili, qui ſextus ab apoſtolis eccleſię pontificium tenuit, uiri eruditiſsimi. In Hiſpanijs natale Fauſtini, Marci & Adriæ. In Chalcedonia Marcelli. In Alexandria natale ſancti Anaſtaſij epiſcopi, & ſancti Lupentij presbyteri, & S. Geraldi cōfeſſ.

G. PRID. IDVS OCT.

NAtale ſancti Caliſti papæ, qui ſedit in epiſcopatu annos ſeptem, menſes duos, dies decem. Hic conſtituit ieiunium die ſabbati ter in anno fieri, frumenti, uini & olei, ſecundum prophetiam. Qui perſecutione Alexandri imperatoris diutius fame in carcere cruciatus, & quotidie fuſtibus cæſus, per uiſionem à presbytero ſuo Calepodio, qui antea martyrium conſummauerat, confortatus eſt, qui in carcere eodem poſitus quendam militem nomine Priuatum, ab ulcerū dolore ac fœditate ſimul & ab infidelitate curauit. Quod audiens Alexander, ipſum quidem militem fecit plumbatis deficere, beatum uerò Caliſtū per feneſtram domus præcipitari, & ligato ad collum eius ſaxo in puteum demergi, & in eum per rudera cumulari. Poſt uerò dies quatuordecim presbyter eius Aſterius, cū clericis noctu ueniens leuauit corpus, & ſepeliuit in cœmiterio Calepodij. Corduba ciuitate S. Lupi Aureliæ. Lugduno Galliæ tranſitus ſancti Iuſti in eremo. Eodem die translatio S. Burchardi epiſcopi & cōfeſſoris.

A. IDVS OCT.

IN Gallia apud Coloniam Agrippinam ſanctorum Maurorum de militibus, qui ex illa legione ſacra Thebeorū cum eſſent trecenti quadraginta, apud eandem urbem martyrium conſummantes, conditi ſunt in baſilica, quæ admirabili opere ex Muſiuo quodammodo deaurata reſplendet. Vnde & incolæ ad Sanctos aureos uocitare conſueuerunt. Viennæ ſanctorū epiſcoporum Agrati, Coſtori. In Capua Libuli, & ſanctæ Fortunatæ.

B. XVII. CALEND. NOVEMB.

DEpoſitio ſancti Galli confeſſoris, cuius uita plena uirtutibus cōſcripta habetur. Apud Lugdunū beati Antiochi epiſcopi. Apud Viennam ſancti Theodati epiſcopi, item Heronis, qui poſt beatum Ignatium Antiochenam rexit eccleſiam. Erat enim hic beati martyris Ignatij diaconus: qui epiſcopus factus, uiam magiſtri pius imitator ſequitur, & pro commēdato grege amator Chriſti occubuit. In Gallijs ciuitate Arauſica, ſancti Florentij epiſcopi, qui multis clarus uirtutibus in pace quieuit. In Nicomedia Alexandri. In Mauritania, Nini, Victorij, Nobilitani, Mariani, Lucij, Mittini & Creſcentiani, & ſancti Eliphij martyris.

C. XVI. CALEND. NOVEMB.

IN Africa ſanctorum martyrum ducentorum ſeptuaginta pariter coronatorum: & ſanctorum martyrū Martiani & Satyriani, cum duobus fratribus eorum, & egregiæ Chriſti ancillę Maximæ uirginis, qui tempore Vādalicæ perſecutionis ſub Gēſericho rege Ariano, pro cōſtantia fidei catholicę primùm nodoſis fuſtibus cæſi, & uſq; ad oſſa laniati. Cumq; multo tempore talia paterentur, ſequenti ſemper die incolumes inueniebātur. Nouiſsimè legatis pedibus poſt terga currentium quadrigarum, inter ſpinoſa loca ſyluarum pariter iuſsi ſunt interire. Cumq; ducta atq; reducta à dumoſis lignorum aculeis innocentium corpora carperentur, è uicino currentibus indomitis equis, uale ſibi in uicem his uerbis dicebant, Frater ora pro me, impleuit Deus deſiderium noſtrum, taliter peruenitur ad regnum cœlorum. Sicq; orando & pſallendo gaudentibus angelis pias animas emiſerunt. Item beati Ariſtonis, qui unus fuit de ſeptuaginta Chriſti diſcipulis.

D. XV. CALEND. NOVEMB.

NAtale ſancti Lucæ euangeliſtæ, qui fuit natione Syrus, Antiochenſis, arte medicus, apoſtolorum diſcipulus, Paulum ſecutus uſq; ad confeſsionē eius, ſeruiens Domino ſine crimine, neq; unquam uxorem habens, neq; filios, ſeptuaginta & trium annorum obijt in Bithynia plenus ſpiritu ſancto. Sepultus eſt autē nūc Conſtantinopolim, ad quam urbem uiceſimo Cōſtantij anno oſſa eius cum reliquijs Andreę apoſtoli translata ſunt. Romæ ſanctæ Triphoniæ, uxoris Decij Cæſaris: quæ uiro ſuo poſt interfectionem beatorum Sixti, Laurētij & Hippolyti diuinitus punito ſe petijt baptizari cum filia Decij Cyrilla, à Iuſtino presbytero, & alia die defuncta eſt, & iuxta ſanctum Hippolytum in crypta ſepulta. Item ſancti Aſclepiadis Antiocheni epiſcopi.

E. XIIII. CALEND. NOVEMB.

APud Antiochenam Syriæ, natale ſanctorū Beronici & Pelagiæ, quæ primùm fuit ſub gentilitatis ritu meretricis officio functa, & mūdanis illecebris dedita, poſtea uerò per gratiā Dei, & ſancti Nonni epiſcopi dogmata ad fidē Chriſti conuerſa, & ab eodem epiſcopo baptizata, totam ſubſtantiam ſuam & ſupellectilem pauperibus erogauit: ipſaq; cilicio induta, & uili indumento ueſtita, in peregrinationem perrexit, & in Hieroſolymis ſub uirili habitu monaſticam uitam duxit. Conſtruxerat enim ſibi paruam cellulam in monte Olíueti, ubi Dominus cœlum aſcendit, & ibi uitam præſentem finiuit, atq; ad uitam æternam feliciter migrauit. Item beatorum martyrum Ptolemæi & Lucij, ſub Antonino Pio, & filio eius paſſorū: & ſancti Aquilini epiſcopi & confeſſoris.

F. XIII. CALEND. NOVEMB.

IN Gallijs ciuitate Agauno S. Capraſij martyris: qui cum rabiem perſecutionis declinans lateret in ſpelunca, audiens beatam uirginē fidem pro Chriſto fortiter agonizare, animatus ad tolerantiam paſsionum, orauit ad Dominū, ut ſi pro certo eum dignum gloria martyrij iudicaret, ex lapide ſpeluncæ illius aqua limpidiſsima emanaret. Quod cum Dominus continuò præſtitiſſet, ille ſecurus ad aream certaminis properauit, & palmam martyrij fortiter dimicando promeruit. Item natale Simplicij.





G. XII. CAL. NOVEMB.

APud Nicomediam natale ſanctorum martyrum Daſij, Zotici, Gaij, cum duodecim militibus. Eodem die ſancti patris noſtri Hilarionis, cuius uitam Hieronymus uirtutibus plenam conſcripſit. Item natale ſancti Aſterij preſbyteri, Caliſti papæ. Qui cum corpus eius leuatum de puteo ſepeliſſet, poſt dies ſex audiens hoc Alexander imperator, præcepit eum per pontem præcipitari. Cuius corpus inuentum eſt, & à quibuſdam Chriſtianis in eadem ciuitate ſepultum. Scriptum eſt in paſsione ſancti Caliſti. & tranſitus ſancti Viatoris lectoris. In Colonia ſanctarum uirginum undecim milium.

A. XI. CAL. NOVEMB.

HIeroſolymis beati Marci, qui primus Hieroſolymis ex gentibus poſt epiſcopos ex circumciſione ſacerdotium ciuitatis illius accepit, clariſsimi & doctiſsimi uiri, ac non multo pòſt martyrio cōſummati. Item beatæ Salomæ, quæ in Euangelio legitur cum reliquis ſanctis fœminis circa Domini ſepulturam ſolicita. Apud Hadrianopolim Thraciæ paſsio ſanctorū Philippi epiſcopi, Seueri presbyteri, atq; Hermetis diaconi, & Euſebij, qui perſecutione ſæuiente Chriſtianorū, eccleſias claudere & ſpoliare, iuſſu imperatoris Iuliani, per iniquos præſides contradicebāt, & ob hoc per Baſſum præſidem, necnon & Iuſtinum multis tormentis afficiebantur, hoc eſt, carceribus, uinculis, flagellis, ad ultimum uerò flammarum incendio: ſed Domini uirtute roborati, uſq; in finem in cōfeſſione nominis eius perſeuerauerunt.

B. X. CAL. NOVEMB.

APud Antiochiam Syriæ natale ſancti Theodori presbyteri, qui perſecutione impij Iuliani ſub præfecto & auunculo eius Iuliano, cū ab eo Antiochenorum eccleſia ſpoliata, & religioſi quiq; fuiſſent eius terrore diſperſi, in eccleſia permanſit intrepidus, atque ab eo teneri iuſſus: poſt equulei pœnam, & multos ac duriſsimos cruciatus, etiam lampades circa eius latera appoſitæ ſunt. Sed his diuina uirtute reſtinctis, cum milites qui eas tenebant, angelorum aſpectu territi ruiſſent in faciem, & credentes in Chriſto impium miniſterium recuſarent, iuſſit eos Iulianus pelago immergi. Quibus beatus Theodorus ait, Præcedite fratres, ego uerò ſuperans inimicum ſequar Dominum. Sicq; occiſione gladij martyrium conſummauit. In Hiſpanijs natale ſanctorum Seruandi & Germani, qui poſt uerbera ſqualorem carceris, & famis ac ſitis iniuriam, & longiſsimi itineris, quē iubente Viatore præſide ferro onuſti pertulerunt laborem, nouiſsimè martyrij ſui curſum ferro cæſis ceruicibus impleuerunt. Coloniæ ſancti Seuerini archiepiſcopi & confeſſoris. Viennæ ſancti Ioditij epiſcopi. Item ſancti Venantij abbatis.

C. IX. CAL. NOVEMB.

IN Venuſia ciuitate Apuliæ natale ſanctorum Felicis epiſcopi ciuitatis Tubrocenſis, Audacti & Ianuarij presbyterorum, & Fortunatiani, & Septimi lectorum, qui temporibus Diocletiani in ſua ciuitate Tyci, à Magnelliano procuratore multis diu uinculis & carceribus macerati, & in Africa & in Sicilia, tandem in occiſione gladij conſummati ſunt. Sunt autē honorificè ſepulturæ traditi inter Carthaginē & Vticā. In Nicomedia natale Seueri & Dorothei.

D. VIII. CAL. NOVEMB.

BOnifacij papæ, qui ſedit Romæ annos tres. Hic ſepultus eſt uia Salaria, iuxta corpus ſanctę Felicitatis. Hic conſtituit ſeruum clericū non fieri, nec obnoxium curiæ, uel cuiuslibet rei. In Gallia ciuitate Sueſsionis, natale ſanctorum Criſpini & Criſpiniani: qui perſecutione Diocletiani & Maximiani ad trochleas extenti, & fuſtibus cæſi, poſtquam digiti eorum ſubulis transfixi ſunt, & de dorſo eorum lora præciſa, ad ultimum gladio trucidati, coronam martyrij adepti ſunt. Petragoricas ciuitate natale ſancti Frontonis, qui Romæ à beato Petro epiſcopus ordinatus, cum Georgio presbytero ad prædicandum euangeliū miſſus eſt. Cumq; tertio die itineris idem Georgius fuiſſet mortuus, mœrens Fronto reuerſus eſt ad apoſtolum, acceptoq; eius baculo, & ſuper corpus defuncti poſito, ſocium de morte recepit: ſicq; ad prædictam ciuitatem ueniens, magnam gentis illius multitudinem conuertit ad Chriſtum, & multis clarus uirtutibus in pace quieuit. Romę uia Salaria natale quadraginta ſex militum, qui ſimul baptizati ſunt à beato Dionyſio papa, & mox iubēte Claudio imperatore decollati ſunt.

E. VII. CAL. NOVEMB.

APud Africam natale ſanctorum martyrum, Rogatiani presbyteri, & Feliciſsimi, qui perſecutione Decij & Valeriani illuſtri martyrio ſunt coronati. Scribit beatus Cyprianus in epiſtola ad confeſſores, his uerbis: Vt ſequamini, inquit, in omnibus Rogatianum presbyterū glorioſum ſenem, uiam uobis ad gloriam noſtri temporis religioſa uirtute, & diuina dignatione facientem: qui cū Feliciſsimo fratre noſtro quieto ſemper & ſobrio excipiens ferocιētis populi impetum, primùm hoſpitium uobis in carcere præparauit, & metator quodammodo ueſter, nunc quoq; uos antecedit. In Nicomedia natale Luciani & Filori, Heraclidę & Martialis. Eodem die ſancti Amandi confeſſoris.

F. VI. CAL. NOVEMB.

IN Hiſpanijs Abula ciuitate, natale ſanctorum Vincētij, Sabinę & Criſteſtes, qui primò adeò in equuleo ſunt extēti, ut omnes compages mēbrorū eorum laxarentur: deinde capita eorū lapidibus ſuppoſita, & uſq; ad excuſsionē cerebri ualidis ſunt uectibus contuſa, atq; ita martyriū compleuerunt, agente præſide Datiano. Apud Thylę caſtrum, natale ſancti Florētij martyris. Romæ Euariſti papæ, qui ſedit annos nouē, ſub Traiano martyrio coronatur, ſepultus eſt in Vaticano. Hic conſtituit duos in urbe presbyteros, & ſeptem ordinauit diaconos, qui cuſtodirent epiſcopum prædicantem. Et uigilia Apoſtolorum Symonis & Iudæ.

G. V. CAL. NOVEMB.

NAtale ſanctorum apoſtolorum, Symonis Chananęi, qui & zelotes ſcribitur, & Thaddæi, qui etiam Iudas Iacobi legitur, & alibi appellatur Lebbęus, quod interpretatur corculus. E quibus Taddæus apud Meſopotamiā, Simon uerò apud Aegyptum traditur prædicaſſe: inde ſimul Perſidam ingreſsi, cum fidei innumeram gentis illius multitudinem ſubdidiſſent, & eccleſiam Dei latè iam fundatam uiderent, martyrium ibi curſu temporis explentes, beato certamine conſummauerunt, honorificè ſepulti à populis Chriſtianis, quos Domino ipſi genuerant. Romæ ſanctæ Cyrillæ, filiæ Decij Cæſaris, quæ à Claudio principe iugulata eſt gladio, & ſepulta à Iuſtino presbytero, cum matre ſua, iuxta ſanctum Hippolytum. Itē ſancti Fidelis martyris.

A. IIII. CAL. NOVEMB.

NAtale ſancti Narciſsi Hieroſolymorum epiſcopi, uiri ſanctitate & patiētia, ac fide laudabilis. Accidit aliquando in die ſolenni uigiliarum Paſchæ, oleum deeſſe luminaribus: tum præcepit repentè naturam aquæ in oleum uerti. Qui centum & ſedecim annorum migrauit ad Dominum. Apud Sidonē urbem ſancti Zenobij presbyteri, qui perſecutione Diocletiani martyrio coronatur. Viennæ depoſitio beati Theodari abbatis. In Lucania ſanctorum Iacincti, Quintini, Felicianæ, Lucinij. Eodem die ſancti Felicis diaconi & martyris.

B. III. CAL. NOVEMB.

ROmæ natale ſancti Pontiani papæ & martyris, qui ab Alexandro imperatore cum Hippolyto presbytero in exilium deportatus eſt in Sardiniam inſulam, ubi eſt defunctus. Ciuitate Tingintana paſsio ſancti Marcelli centurionis, qui capitis abſciſione martyrium conſummauit, ſub Agricolano agente uices præfectorum prætorio. Apud Africam martyris numero ducentorum uiginti. In Antiochia beati Serapionis epiſcopi.

C. PRID. CAL. NOVEMB.

ROmæ beati Nemeſij diaconi, & Lucillæ filiæ eius: quos ſanctus pontifex Stephanus baptizauit, quicq; ipſum Nemeſium diaconem conſtituit. Qui decollatione quidē capitis martyrium compleuit, ſimul cum filia, ſub Valeriano & Gallieno, octaua calendas Septembris: eiusq; corpus à beato Stephano papa in eodē loco ſepultum: ſed à beato Sixto pontifice poſtea leuatum, pridie calendas Nouembris, & in crypta uenerabiliter curatum. In Gallia oppido Viromandēſi natale ſancti Quintini, qui ſub Maximiano imperatore paſſus eſt, & poſt annos quinquaginta quinq; inuentum eſt, reuelante corpus eius angelo, & ſepultum octaua calendas Iulij. Et uigilia omnium ſanctorū. Eodem die ſancti Vuolfgangi epiſcopi & confeſſoris.

NOVEMBER HABET DIES XXX. LVNAM TRICESIMAM.

## D. CALENDAE NOVEMBRIS.

FEſtiuitas omnium ſanctorum. Petente nanq; papa Bonifacio, iuſsit Phocas imperator in ueteri fano, quod Pantheon uocabatur, & à Domitiano prius factum erat, ablatis idolatriæ ſordibus eccleſiam beatę ſemper uirginis Mariæ, & omnium fieri martyrum: ut ubi quondam omnium non deorum, ſed dæmonum cultus agebatur, ibi deinceps omnium fieret memoria ſanctorum: quę ab illo tempore in calendis Nouembris, in urbe Roma celebris & generalis agitur: ſed & in Gallijs monente ſanctæ recordationis Gregorio pontifice, pijſſimus Ludouicus imperator omnibus regni ſui & imperij epiſcopis conſentientibus, ſtatuit, ut ſolenniter feſtiuitas omnium ſanctorum in præfata die annuatim perpetuò ageretur. Quam ſanctam conſtitutionem reuerenti animo ſuſcepit omnis eccleſia. In caſtro Diuione natale ſancti Benigni presbyteri, qui cū Antiocho compresbytero, & Tyrſo diacono miſſus eſt à ſancto Polycarpo ab Oriente in Galliā: cuius prædicatione comes Terentius comperta uinctum eum & cæſum ad ſe adduci præcepit: & rurſum audita ſermonum eius conſtantia, neruis duriſſimis cædi fecit. Poſt hæc ad trochleas extenſus & cæſus, & rurſum carceri mancipatus, mane idola orando deſtruxit, & reductus eſt in carcerem: cui ſubulas decem calentes in manibus infixerunt, & cum plumbo remiſſo pedes in lapide perforato fixerunt, & canes duodecim feroces incluſerunt cum eo per ſex dies. Et angelus attulit panem cœleſtem ei, ſubulas abſtulit, & eum de plumbo ac ferro eripuit. Poſt hoc collum eius uecte ferreo tundi præcepit, & corpus eius lancea perforari. Quo facto columba niuea de carcere Chriſtianis aſpicientibus ad cœlos aſcendit, & odor ſuauiſsimus quaſi de paradiſo ſecutus eſt. Venit autem beata Leonilla, & conditum aromatibus corpus non longè ab ipſo carcere ſepeliuit. Item ſanctorum Cæſarij diaconi, & Iuliani presbyteri: qui uidelicet Cæſarius tempore Claudij ueniens ex Africa ad Terracinam Campaniæ ciuitatem, dum contra idolatras proclamaret, in publico tentus eſt à Firmino pontifice, & in cuſtodiam recluſus: ubi diebus multis maceratus, deinde traditus eſt Leontio conſulari Campaniæ: quem ille cùm uerbis ſuperare nequiret, iuſsit uinctum ante carpentum ſuum ducere ligatis manibus nudum uſque ad templum Apollinis. Quò cum perueniſſet, ad orationem eius corruit templum, & occidit pontificem Firminum. Poſt



Poſt hoc recluſus à Luxurio in carcere primò ciuitatis, fuit ibi annum unum & menſem: deinde eductus in forum ab eo, dum oraret, cœleſti eſt lumine circumdatus: ita ut ipſe Leontius crederet, & Cæſarium qui erat nudus, ſua chlamyde indueret, & baptizaretur, ac corpus & ſanguinem Domini acciperet de manu Iuliani presbyteri. Nec mora, dicta ſuper eū oratione, tradidit ſpiritum, tertia calendas Nouembris. Tunc Luxurius iuſsit Iulianum & Cæſarium mitti in ſaccum, & præcipitari in mare. Qui eodem die reiecti ſunt ad littus, & ſepulti ab Euſebio homine Dei, iuxta urbem Terracinam, & idem Euſebius poſtea martyrium paſſus eſt cum Felice presbytero. Et depoſitio ſancti Seuerini monachi de Tyburtina ciuitate, & ſanctæ Mariæ martyris.

E. IIII. NON. NOVEMB.

NAtale ſancti Victorini Pictauienſis epiſcopi, qui perſecutione Diocletiani martyrio coronatus eſt. Apud Laoditiam beati Theodoti epiſcopi, uiri non ſolùm uerbis, ſed & rebus & uirtutibus ornati. Hic arte medicus fuit quidem, ſed ad animarum à Domino trāslatus eſt medicinam, uerè incomparabilis, qui ſuper omnes penè homines fide, miſericordia, ſtudio, uigilantia, atque omnibus optimis inſtitutionibus claruit. In ſcripturis quoque diuinis laborem quamplurimum geſsit, quieuit, ſepultus in ſenectute bona. Item ſancti Ambroſij abbatis monaſterij Agaunenſis. Viennę ſancti Georgij eiuſdem urbis epiſcopi. In Africa ſanctorū Publij, Victoris, Hermetis, Iuſti & Papiæ.

F. III. NON. NOVEMB.

NAtale ſancti Quarti apoſtolorum diſcipuli. Apud Cæſaream Cappadocię natale ſanctorum martyrum Germani, Theophili, Cæſarij & Vitalis, qui optimè duxerunt martyrium ſub Deciana perſecutione. Viēnę ſancti Domni epiſcopi glorioſi. Eodem die depoſitio ſancti Pirminij epiſcopi & confeſſoris, & ſancti Hugberti epiſcopi & confeſſoris.

G. PRID. NON. NOVEMB.

APud Alexandriam beati Hierij presbyteri, uiri acris ingenij. In Gallia ciuitate Redonis natale ſancti Amantij epiſcopi & confeſſoris, cuius uita ſanctitate & miraculis extitit glorioſa. Auguſtuduno beati Proculi epiſcopi. In Gallijs Bituricas depoſitio beati Illuſoris pueri & confeſſoris. In Africa natale Primi, Cęſarij, Gregorij, Porphyrij, Amantis, Saturnini, Victorinæ.

A. NON. NOVEMB.

ZAchariæ prophetæ, patris Ioannis baptiſtæ. In Terracina Campaniæ ciuitate natale ſanctorum Felicis presbyteri, & Euſebij monachi, temporibus Claudij imperatoris. Qui uidelicet Euſebius cum ſepeliſſet ſanctos martyres, Iulianum & Cæſarium, & ad ſepulchra eorum orans multos conuerteret ad fidem, quos Felix presbyter baptizauit, tenti ſunt ambo à Leontio, filio Leontij conſularis, ob eam maximè cauſam, quia Cęſarius patrem eius Chriſtianum feciſſet. & ad forum eius ducti non ſunt ſuperati: inde carcere incluſi, nocte eadem cum ſacrificare nollent, decollati ſunt, atq; in fluuium iactati. Quorum corpora uenerunt uſq; ad mare, & relicta ſunt ad litus, atq; à presbytero quodam, nomine Quarto, de Capua inuēta: qui ea mox impoſita uehiculo duxit in caſam ſuam, & curioſe quærens etiā capita inuenit, adiunctaq; corporibus ſepeliuit iuxta ſanctū Cęſarium.

B. VIII. IDVS NOVEMB.

TVmiſſa Africæ natale ſancti Felicis. In huius ſolennitate quendam pſalmum beatus Auguſtinus uidetur exponere ad populum ita dicēs, Felix martyr uerè felix, & nomine & corona, cuius hodie diei eſt feſtiuitas. In oriēte ciuitate Theopoli ſanctorum decem martyrum, qui ſub Saracenis paſsi legūtur in geſtis ſanctorum quadraginta. In ciuitate Lemouicenſi, in prouincia Aquitaniæ ſancti Leonardi confeſſoris, diſcipuli ſancti Remigij epiſcopi.

C. VII. IDVS NOVEMB.

APud Alexandriam beati Achilleæ epiſcopi, eruditione, fide, conuerſatione & moribus inſignis. Item apud Peruſinam Italiæ urbē ſancti Herculiani epiſcopi, & ſancti Amaranti, qui apud Albienſem urbem martyrizatus eſt. Depoſitio Vuillibrordi epiſcopi, de gente Anglorum, uiri ſanctiſsimi, & miraculorum gratia admodum inſignis: qui à Sergio papa Romæ ordinatus eſt, & in Germaniam ad prædicandū deſtinatus, ibidemq; requieuit. Itē ſancti Rufi Metenſis urbis epiſcopi & confeſſoris, qui tranſlatus eſt à prædicta urbe, conſentiente Drogone præſule, in Vormatienſem pagum, in uillā quæ uocatur Oternheim, temporibus Lotharij imperatoris, & Lodouici regis: ubi etiā ſanctitas eius multis uirtutibus claruit. In Africa natale Rogati, Donati.

D. VI. IDVS NOVEMB.

ROmæ natale ſanctorū martyrum, Claudij, Nicoſtrati, Simphoriani, Caſtorij & Simplicij, qui tēpore Diocletiani Auguſti ꝑ Chriſti nomine paſsi ſunt, eo quòd nollent deos paganorum colere. Nam cum eſſent inſignes artifices, & in lapidibus marmoreis imagines ſculpere ſuper omnes artifices regios noſſent, & artis eorum peritia multū Imperatori placuiſſet, tamen accuſantibus eos Philoſophis, eo quòd falſos deos adorare renuerāt, iuſsit eos Diocletianus loculis plumbeis incluſos omnes præcipitare in fluuium. Paſſus eſt autē cum eis & Simplicius, quem à gentilitatis ritu conuerterunt ad fidem Chriſti. Poſt dies autem quadragintaduos, uenit quidam Nicodemus Chriſtianus, & leuauit cum ipſis loculis corpora martyrum, & in domo ſua honorificè poſuit. Paſsi ſunt autem ſexta idus Nouembris. Ipſo die natale ſanctorū quatuor coronatorū: id eſt, Seueri, Seueriani, Carpophori & Victorini. Hi cū impellerētur

tur ad ſacrificandum,reluctantes: nec omnino conſenſum impijs præbentes,perſtiterunt in fide. Nunciatum eſt hoc imperatori Diocletiano: quos ilicò iuſsit, ut ante ſimulachrũ Aſclepij ictibus plumbatarum cæſi deficerent: quorum corpora iuſsit in platea canibus iactari, quæ iacuerunt ibi diebus quinque illæſæ. Tũc Chriſtiani uenerunt, & collecta corpora ſepelierunt. Via Lauicana, miliario ab urbe tertio, in arenario, iuxta corpora ſanctorum martyrum Claudij, Nicoſtrati, Simphoriani, Caſtorij & Simplicij. Poſt duos tamen annos paſsionis horum quinque martyrum, cum nomina eorũ minimè reperirentur,ſtatuit beatus Melchiades epiſcopus, ut anniuerſarius quatuor coronatorum dies ſub nominibus ſanctorum quinque martyrum recoleretur. Intercurrentibus tamen annis, cuidam ſancto uiro etiam nomina eorum reuelata ſunt. Feſtiuitas uerò, ut fuerat ſtatuta,celebris in aliorum martyrum feſtiuitate permanſit, ac locus quatuor coronatorum nomine inſignis Eodem die commemoratio omnium ſanctorum.

E. V. IDVS NOVEMB.

NAtale beati Theodori martyris, tempore Maximiani & Maximini imperatorum. Qui cum eſſet miles ſub Brycha præpoſito legionis, miſſus eſt in carcerem, ſignatoq; oſtio ibi diuina uiſitatione conſolatur. Poſt aliquot dies adductus iterum ante præſidem, ſuſpenſus eſt in ligno, & ungulis ferreis latera eius raſa, quouſque coſtæ eius nudarentur:deinde manibus poſt tergum ligatis,in focum miſſus eſt, & circumſpiciens uidit in turba lachrymantem Cleonicum, qui cum eo tyro adductus fuerat, & exclamans dixit,Cleonice expecto te, feſtina,& ſequere me. Et cum iam flammarum globis undique uallaretur beatus martyr, orationem fudit, laudans patrem, & filium ac ſpiritum ſanctum, ſicq; ſanctam animã Chriſto reddidit. Quædam autem mulier Euſebia nomine,collegit corpus eius, & ſindone munda inuoluens tranſtulit in poſſeſsionem ſuam,in locum appellatum Euchata. Apud Bituricas ſancti Vrſicini, qui Romæ ordinatus à ſucceſſoribus apoſtolorum, primus ipſi urbi deſtinatur epiſcopus.

F. IIII. IDVS NOVEMB.

IN territorio Agatenſi natale ſanctorum martyrum Tyberij,Modeſti & Florentiæ, qui tẽpore Diocletiani uarijs tormentis cruciati martyrium compleuerunt. Eodem die ſancti Martini papæ,qui ob fidem catholicam ab imperatore Conſtantio hæretico, per Theodorũ exarchum de eccleſia raptus, ac productus Conſtãtinopolim,relegatur apud Cherſonã Lycię prouincię,ibidemq; uitam finiuit, multis in eodem loco uirtutum ſignis uſque hodie refulgens. Romæ depoſitio ſancti Leonis epiſcopi. In Antiochia natale Demetrij epiſcopi, Amneſi, Euſtochij,& ſociorum eius. Aurelianis depoſitio beati Monitoris epiſcopi.

G. III. IDVS NOVEMB.

IN Gallia Turonis ciuitate natale ſancti Martini epiſcopi & confeſſoris, cuius uita & doctrina per miracula quæ Dominus per eum fecit,penè omnibus fidelibus claret: nec neceſſe eſt à nobis hic aliquid exinde commemorari, quia ipſius uitam, uirtutes & ſigna Sulpitius manifeſtè luculento ſermone deſcripſit: necnõ & Gregorius eiuſdem urbis epiſcopus in miraculorum libris pleniſsimè diſſeruit. In Scythia metropoli Phrygiæ paſsio ſancti Mennæ martyris, qui perſecutione Diocletiani & Maximiani cum eſſet miles nobili genere ex Aegyptiorum prouincia ortus, abrenuncians terrenæ militiæ,primùm cœleſti regi ſecreta conuerſatione in eremo militauit: deinde in natalitijs præfatorum imperatorum procedens ad publicum,ac ſe Chriſtianum libera coram ipſis uoce declarans, traditus eſt Pyrrho duci torquendus:qui iuſsit eum carcere includi, quamdiu imperatorum natalitia celebrabantur. Peracta igitur feſtiuitate,iubente Duce, & neruis bubulis manibus ligatis,tamdiu à militibus uirgis cæſus, donec ſanguine ipſius plateæ replerentur: deinde in equuleo exungulatus,& lampadibus circa latera aduſtus,cilicioq; plagæ eius fricatę, & carbones ignis ſuper plagas impoſiti.per tribulos quoque & ſudes ferreos ligatis manibus ac pedibus tractus, plumbatis etiam collo & maxillis grauiter cæſus, in laude Dei omnipotentis immobilis permanſit. Nouiſsimè gladio animaduerti iuſſus eſt, & corpus igne comburi. Quod furtim à Chriſtianis è medio ignis ereptũ, & mundis linteaminibus aromatibusq; cõditum,debita ueneratione curatum eſt. Lugduni natale ſancti Verani epiſcopi.

A. PRID. IDVS NOVEMB.

APud Africam commemoratio ſanctorũ Arcadij.Paſcaſij, Probi & Eutychiani, qui ex Hiſpania oriundi,cum apud Gẽſerichum Vandalorum regem merito ſapientiæ,& fidelis obſequij chari clariq; haberẽtur, nec Marrianam perfidiam, cui ipſe deditus erat, ullatenus declinari paterentur, excitato in rabidiſsimam iram barbaro,primùm proſcripti,deinde in exilium acti,atrociſsimis ſupplicijs excruciati, ad poſtremum diuerſis mortibus interempti,illuſtri martyrio mirabiliter occubuerunt. Puer Paulinus nomine, frater Eutychiani & Paſchaſij,fuſtibus diu cæſus,& ad infimam ſeruitutem damnatus eſt. Coloniæ ſancti Cuniberti epiſcopi & confeſſoris. Item ſancti Melani Rodonicæ ciuitatis epiſcopi. Viennæ ſancti Iſicij epiſcopi. In Africa ſanctorum martyrum Auruli, Publij. In Cæſarea Cappadociæ ſanctorũ Germani & Theophili, Cæſaris & Euſebij.

B. IDVS NOVEMB.

RAuennæ natale ſanctorum martyrum Valentini,Solutoris, Victoris. Turonis depoſitio ſancti Bricij epiſcopi & confeſſoris. In prouincia apud Aquis ciuitatem beati Metrij clariſsimi martyris.

C. XVIII.



C. XVIII. CAL. DECEMB.

APud Thraciam ciuitatem Heracleam, natale ſanctorum martyrum Clementini, Theodoti,Philomini. Apud Alexandriam beati Serapionis, quem perſecutores ſub Decio in domo ſua crudeliſsimis affecerũt ſupplicijs, ita ut omnes iuncturas ei membrorum, prius ſoluentes de ſuperioribus eius præcipitarent, ac ſic Chriſti martyr efficeretur. Item Heracli, Martialis,Donati,& aliorum multorum.

D. XVII. CAL. DECEMB.

NAtale ſancti Felicis epiſcopi, qui à quintodecimo ætatis ſuæ anno miraculorum gloria inſignis fuit,& ſub Martiano pręſide cum alijs triginta martyrium compleuit. corpus eius Elpidius presbyter in Nolẽſi eccleſia ſepeliuit. In Africa natale ſanctorum Secundi, Fidentiani,Varici martyrum.

E. XVI. CAL. DECEMB.

NAtale ſancti Eucherij,Lugdunenſis epiſcopi,admirandæ fidei,uitæ & doctrinę uiri. In Capua natale S.Auguſtini. In Africa Vitalis, Ianuarij.& depoſitio beati Othmari abbatis.

F. XV. CAL. DECEMB.

APud Alexandriam beati Dionyſij epiſcopi, in multis ſæpè confeſsionibus ſatis clari, & pro paſsionum tormentorumq; diuerſitate magnifici, Valeriani & Gallieni imperatorũ temporibus. In Hiſpanijs Corduba ciuitate paſsio ſanctorum martyrum Aciſcli & Victoriæ. Aurelianis ciuitate Galliæ depoſitio ſancti Aniani epiſcopi & confeſſoris. Viennæ ſancti Mamatij epiſcopi & confeſſoris. Sancti patris noſtri Gregorij miraculorum libri factoris Turonicę.

G. XIIII. CAL. DECEMB.

ANtiochiæ natale ſancti Romani, qui tẽporibus Diocletiani cum Aſclepiades præfectus eccleſiam irrumperet,cęteros Chriſtianos hortatus eſt,ut ei cõtradicerent. Vnde eum primum equuleo extendi, deinde plumbatis grauiter cædi,poſt hęc etiam nouacula acutiſsima maxillas eius radi fecit, tũc ad petitionem eius puerum paruulum induci præcepit. Quem Romanus Chriſti nomine inuocato, utrum unũ, an plures deos melius eſſet colere, interrogauit,ut ex eius confeſsione præfectus confunderetur:cumq; puer in unum Deum ſolum credẽdum eſſe dixiſſet, indignatus Aſclepiades, cathamo eum ſuſpendi,ac uerberari,ac poſtremò etiam decollari iuſsit,cui nomen Baralas. Romanus uerò rurſus equuleo ſuſpẽſus,ungulisq; exaratus,ad rogum ardentem, in quem præcipitaretur,perductus eſt. Sed orante eo,uenit repentè imber inũdãs,& extinxit. Poſt hæc iuſſit ei linguam abſcindi. Quo facto,cum Chriſtũ uoce clariſsima laudaret, recluſus in carcere, ad extremum uerò laqueo ſtrãgulatus eſt, ſicq; ſanctus martyr migrauit ad Chriſtum. Item in eadem urbe natale ſancti Heſychij,qui ſub pręfato imperatore cum eſſet miles,& præceptum audiſſet,ut quiſquis non ſacrificaret idolis,cingulum ſolueret:ob hanc cauſam imperator colobio muliebri indutum, primò eum in gynæcium dedit: deinde ligato in dextera eius ſaxo ingenti,inde in fluuium præcipitari iuſsit. Octaua ſancti Martini epiſcopi & confeſſoris.

A. XIII. CAL. DECEMB.

ROmæ uia Appia natale S.Maximi presbyteri & martyris, qui perſecutione Maximini paſſus,poſitus eſt ad ſanctum Sixtum. Gelaſij papæ,qui ſedit in epiſcopatu annos quatuor. Hic reuocauit Meſenum epiſcopum, quem Felix anteceſſor illius damnauerat,& communioni eccleſiæq; ſuæ reſtituit. Hic libros aduerſus Eutychen & Neſtorium compoſuit. Viennæ ſanctorum martyrum, Seuerini,Exuperij & Feliciani. Item ſancti Fauſti diaconi, cui tantam Deus contulit gratiam, cum nullus ad ſanctos qui affligebantur,accedere pręſumpſiſſet,iſti una cum collega ſuo Euſebio nomine, inuitis omnibus hoſtibus,ad confeſſores Chriſti non negabatur ingreſſus. Grandæuus igitur beatus Fauſtus obtruncatione capitis conſummatus eſt. Eodem die in Marburch beatæ Elizabeth Lantgrauiæ.

B. XII. CAL. DECEMB.

ROmæ S. Pontiani papę, qui Maximino aduerſus eccleſiarũ ſacerdotes perſecutionẽ cõmouente cũ Hippolyto presbytero, in Sardiniã deportatur, ibiq; fuſtib. mactatus, martyriũ conſummauit. Corpus eius à Fabiano papa relatum,atque in cœmiterio Caliſti ſepultum eſt. Sedit in epiſcopatu annos nouẽ, menſes quinque,dies duos. Apud Siciliam ciuitatem Meſanam,ſanctorum Ampeli & Gagi. Apud Cauillonẽ Syluestri epiſcopi. In Heraclea Baſsi,Dionyſij,Agapiti,& aliorum quadraginta.

C. XI. CAL. DECEMB.

NAtale beati Rufi, de quo beatus Paulus apoſtolus ad Romanos ſcribit, Salutate Rufum electum,& matrem eius & meam. Item natale ſancti Mauri martyris,qui ab infantia Chriſtianus fuit,orationibus & ieiunijs uacans: qui ſub Numeriano imperatore,& Celerino præfecto diuerſis pœnis maceratus, hoc eſt primùm fuſtibus nodoſis cæſus, deinde plũbatis iuſſum eſt maxillas eius contundi: poſtea in equuleo ſuſpendi,atq; ungulis radi, & lampades ardentes lateribus eius applicari, ad extremum uerò caput eius amputari. Cuius corpus nocte nautæ Africani cognoſcentes, ex ſua patria ortum rapuerunt,& uoluentes eũ linteaminibus mundis,cum aromatibus poſuerunt in ſarcophagũ, ſcripſeruntq; ad caput eius, Dei & Chriſti Ieſu famulus Maurus, hoc ſeculum pro Chriſti fide relinquens,uitam æternam acquiſiuit. Celerinus namq; præfectus,nautas iuſsit comprehendi:at illi omnes fugerunt. Tunc iuſsit nauem,in qua martyris corpus erat,ſarmentis impleri,et igne ſuppoſito,in medio mari comburi:ſed gubernante Domino,martyrem ſuum,ubi uoluit, ad portum ſalutis perduxit.

D. X. CAL. DECEMB.

NAtale ſanctæ Cæciliæ uirginis,Marci, Aurelij, & Commodi imperatorum temporibus,quæ ſponſum ſuum Valerianum, & fratrẽ

eius

eius Tyburtium, ad credendum Chriſto perdocuit, ac deinde ad martyrium incitauit. Hãc Almachius urbis præfectus poſt martyrium eorũ teneri fecit, & ut thura dæmonibus poneret, impelli. Apparitores uerò attendentes decorẽ & prudentiam eius, rogabant eam ne tale decus omitteret. At illa conſilium pietatis eis ſufficiẽter inſinuans, cum ad credendum Chriſto permotos cerneret, dicit eis, Ite, dicite infelici Almachio, quòd ego inducias peto: & intra domũ meam faciam uenire, qui uos omnes uitæ æternæ faciat participes. Veniens igitur papa Vrbanus, baptizauit pluſquã quadringentos promiſcui ſexus homines. Iterum Almachius beatam Cæciliam ſibi præſentari iuſsit. Et cum inſuperabilem eam in confeſsione fidei permanere uideret, iubet ut ad domum ſuam duceretur, & ibi flammis balnearibus concremaretur. Vbi incluſa die integro & nocte, quaſi in loco frigido integra perſtitit ſanitate, cum ſemper incendia lignis congeſtis miniſtrarẽtur. Quod audiens Almachius, miſit qui eam decollaret: quam ſpiculator tertio ictu percuſsit, ſed caput eius amputare non potuit. ſuperuixit autem triduo. Tunc ſanctus Vrbanus corpus eius auferens nocte, ſepeliuit eam inter collegas ſuos epiſcopos. Item ſanctæ Mederaſmæ uirginis.

E. IX. CAL. DECEMB.

NAtale ſancti Clementis. Hic quartus poſt Petrũ Romæ epiſcopus ordinatus eſt. Hic ſeptem regiones diuiſit notarijs fidelibus, qui geſta martyrum ſolicitè perquirerent. Hic ex præcepto beati Petri, eccleſiæ ſuſcepit pontificatum. Linus & Cletus ideo ante eum ſcribuntur, quia ab ipſo principe apoſtolorum ad miniſteriũ ſacerdotale epiſcopi ſunt ordinati. Qui iubente Traiano, miſſus eſt in exiliũ trans Pontum mare, in eremo: ubi multis ad fidem uocatis per miracula & doctrinam eius, præcipitatus eſt in mare, ligata ad collum eius anchora: ſed receſsit mare orantibus diſcipulis per tria milia, & inuenerũt corpus in arca ſaxea, in marmoreo templo, & anchoram iuxtà, taliq; martyrio Petri diſcipulus coronatur. Itẽ natale ſanctæ Felicitatis matris ſeptem filiorum martyrum, quæ iubente Antonino decollata eſt pro Chriſto. In Italia, monaſterio Bobio, depoſitio ſancti Columbani abbatis, qui multorum cœnobiorum fundator, & innumerabilium pater extitit monachorũ, multiſq; uirtutibus clarus quieuit in ſenectute bona. Et ſancti Drudonis confeſſoris.

F. VIII. CAL. DECEMB.

NAtale ſancti Ignatij epiſcopi & martyris, qui tertius poſt Petrum apoſtolum Antiochenam rexit eccleſiam, perſecutione Traiani damnatus, ad beſtias Romam uinctus mittitur: ubi præſente Traiano circumſedente ſenatu pilis plumbeis ſcapulæ eius primùm contuſæ, deinde ungulis latera eius dilaniata, & lapidibus aſperis confricata: pòſt expanſæ manus eius, & igni repletę, papyro oleo infuſo & incenſo, latera eius aduſta, poſt ſuper carbones pauimento aſperſos, ubi ſanctæ plantę illius ſteterunt. Poſt lectum flammantem, poſt dorſum eius ungulis diſciſſum & dilaceratum, poſt acetum & ſalem, quibus plagæ eius infuſæ ſunt, poſt uinculis ferreis beata illius aſtricta, & pedes in ima carceris in ligno concluſos: ubi tribus diebus ac noctibus panem non comedens, & aquam non bibens manſit. Sedente pro tribunali Traiano, in amphitheatro, cõcurrente omni turba Romanorũ, ligatus duobus obijcitur leonibus. Cũq; iam proiectus beſtias rugientes audiret, ardore patiẽdi, ait: Viri Rom. qui hoc certamẽ ſpectatis, non ſine cauſa laboraui, quia nõ propter prauitatem hæc patior, ſed propter pietatem. Frumentum Chriſti ſum, dentibus beſtiarũ molar, ut panis Dei mundus inueniar. Hæc illo dicente, accurrerunt ad eum leones, & ex utraq; parte ſuper eum incidentes, præfocauerunt eũ tantummodo, & non tetigerunt carnes eius. Itẽ Romæ natale ſancti Chryſogoni martyris, qui per biennium iuſſu Diocletiani cõiectus eſt in uincula: ubi multa perpeſſus ſanctæ Anaſtaſiæ alimonijs fouebatur, ad ultimũ decollatus eſt, & in mare proiectus. Corpus eius Zoilus ſenex presbyter inuentum, adunato capite in cubiculo ſuo collocauit. & natale ſancti Creſcentiani martyris, ſub perſecutione Maximini.

G. VII. CAL. DECEMB.

NAtale ſancti Petri Alexandrini epiſcopi, inter præcipuos egregij. Hic duodecimo epiſcopatus ſui anno martyrij coronam capitis obtruncatione promeruit, tempore Maximiani imperatoris: cũ quo ſimul & alij plures ex Aegypto epiſcopi trucidãtur, ferè cum clericis & laicis ſexcenti ſexaginta. Hic dum in carcere ſeruaretur, & uniuerſus populus Alexandriæ urbis fores carceris obſeruaret amore patris ſui, Arrius infelix, qui à beato Petro excommunicatus, & degradatus propter dogma erroris habebatur, cognita ſentẽtia Maximiani aduerſus beatum Petrum feſtinè peruenit ad eccleſiam, obſecrans ut pro eo clerus & populus apud epiſcopum intercederet, putans quòd poſt diſceſſum eius ipſe leuaretur epiſcopus. Venientes igitur qui rogaturi fuerant, cœperũt pro Arrio beato epiſcopo ſupplicare: quibus ſanctus epiſcopus cum magno ſuſpirio reſpondit, Quia iam Arrius Deo mortuus, à facie Dei proiectus eſſet, quia grauiter in eſſentia Deitatis blaſphemaſſet, dogmatizans patrem, & filium ac ſpiritum ſanctum non eſſe unius eſſentiæ & naturæ. Et apprehendens duos presbyteros, Alexandrum & Achillam, de turba ſeorſum, ait illis ſecretè, Ego quidem etſi peccator ſum, tamen ſcio me uocatione cœleſti ad hunc agonem martyrij eſſe uocatum. Vobis igitur confiteor myſterium Dei, quod mihi reuelatum eſt: quia uos poſt martyrium meum ſedem & epiſcopatum meum cõſecuturi eſtis, & tu quidem primus Achilla, poſt te uerò Alexander. In hac hora noctis, ut uobis totum de Arrio aperiam, cum ſolenni conſuetudine Deo ſacrificium orationum conſummaſſem, ecce ſubitò apparuit

mihi



mihi in habitu pueri Chriſtus Dominus meus: ad cuius præſentiam ſplendore nimio illuſtratus, uultum maieſtatis eius non ualebam aſpicere. Erat autem indutus colobio nimis candido, quod conſciſſum à ſummo uſque deorſum, ambabus manibus coniungebat circa pectus ſuum, quodammodo cooperiens nuditatẽ ſuã. Quem ut uidi, timore nimio correptus, tãdem cõfortatus aio ad eum, Quid eſt Domine, quòd uideo tunicam tuam ſciſſam à ſummo uſque deorſum? Qui reſpondens dixit mihi, Quotidie inde tractas, & neſcis quomodo ſciſſa eſt. Arrius namque hoc fecit, qui ſeparauit à me populum hæreditatis meæ, comparatum ſanguine meo. Præcipio nunc, & moneo, ne eum recipias in communionem: nec rogantibus his, qui uenturi ſunt ad te, quos ille direxerit, ueniam ei ne præſtes. Hæc quę tibi manifeſtaui, duobus presbyteris tu notum facias: ut ipſi poſt te, eũ anathematizando abijciant, ne populus illius errore decipiatur. Exhortationis igitur ſermonem eis faciens, & in catholicæ fidei unitate ut manerent, commendans eos Domino, in quem crediderant, dimiſit in pace. Eodem die paſsio ſanctę Katherinæ uirginis & martyris Chriſti, & aliorum.

A. VI. CALEND. DECEMB.

NAtale ſancti Lini papę, qui poſt apoſtolum Petrum primus Romanam eccleſiam tenuit annos duodecim, menſes tres, dies duodecim. Hic ex præcepto beati Petri conſtituit, ut mulier in eccleſiam uelato capite introiret, & martyrio coronatus, ſepultus eſt in Vaticano. Apud Alexandriam natale ſanctorum martyrum, Fauſti presbyteri, & Dij, & Ammonij, qui cum beato Petro eiuſdẽ epiſcopo iubente Maximiano trucidati ſunt. Eodẽ die beati epiſcopi & martyris, ſub Antonino imperatore, qui inter alia facta miracula mortuum ſuſcitauit. Romę Syricij epiſcopi, & in Capua Nicanoris, Caſsiani & Feliciſsimi. Auguſtuduno depoſitio ſancti Amatoris epiſcopi. In Nicomedia beati Marculi ſacerdotis & martyris, qui temporibus Conſtantis regis tyranni perſecutiones maximas pertulit, ad extremum ab alta rupe præcipitatus eſt.

B. V. CALEND. DECEMB.

NAtale ſanctorum martyrum Vitalis & Agricolæ, qui apud Bononiam urbem Italiæ poſt alia tormenta ultimò crucifixi, martyrium compleuerunt: quorum corpora poſtmodum, cum eſſent poſita inter ſepulchra Iudæorum, & populo Chriſtiano prorſus incognita, beatus Ambroſius ipſis ſanctis martyribus reuelantibus, apud Bononienſem ciuitatẽ reperit, quæq; extructa eccleſia cum magna fidelium lætitia & dæmonum pœnis confitentium merita martyrum, ſub altare depoſuit. In Gallia ciuitate Regenſi, natale ſancti Maximi epiſcopi, qui primæua ætate uirtutum omnium gratia præditus, primùm Lirinienſis cœnobij pater, deinde Regenſis eccleſiæ epiſcopus, ſignis & prodigijs inclytus extitit. Denique inter alia geſta magnifica tres mortuos uiuens, unum tactu, quo ad ſepulchrum uehebatur loculi, mortuũ ſuſcitauit. In Nicomedia natale Marcelli, Petri, Numeri, Hierenæ, & Meloſi. Et depoſitio Obtati epiſcopi.

Bedæ tom.3.

C. IIII. CALEND. DECEMB.

NAtale ſancti Soſthenes, diſcipuli apoſtolorũ, & Trophimi, de quo ſcribit apoſtolus ad Timotheum: Trophimum autem reliqui infirmũ Mileti. Hic ab apoſtolis Romę ordinatus epiſcopus, primus ad Arelaten urbem Galliæ illuc ob Chriſti euangelium prędicandum miſſus eſt: ex cuius fonte, ut beatus papa Zoſimus ſcribit, tota Gallia fidei riuos accepit, qui apud eandem urbem in pace quieuit. Gregorij papę, qui rexit eccleſiam annos decẽ. Hic conſtituit in Canone à ſacerdote dicendum, Quorum ſolennitas hodie in conſpectu tuæ maieſtatis celebratur, Domine Deus noſter toto in orbe terrarum, inter quorum nos conſortia, & cætera. Sepultus eſt in eccleſia beati Petri apoſtoli. Eodem die ſancti Rufi martyris, quem Dominus Ieſus Chriſtus cum omni domo ſua per Chryſogonum martyrem lucratus eſt, & cum omni domo ſua Diocletianus punitum Chriſto martyrem fecit. Apud Africam natale ſanctorum martyrum Papij & Manſueti epiſcoporũ, qui tempore Vandalicę perſecutionis ſub Genſericho rege Arriano, pro fidei catholicæ defenſione, candentibus ferri laminis toto corpore aduſti, glorioſum agonem conſummauerunt. Quo in tempore etiam alij ſancti epiſcopi, id eſt, Quod uult Deus, Carthaginenſis Valeanus, Vrbanus, Creſcens, & qui uocatur Habet Deum, & Euſtachius, Creſconius & Creſcẽtianus, & Felix, & Hortulanus, & Florentianus, damnati exilio curſum uitæ ſuæ conſummauerunt. Viennæ ſancti Philippi eiuſdem urbis epiſcopi. In Syria Trophimi, Theodoli, Expicati, Eruceri, Euſebij & Iulij.

D. III. CALEND. DECEMB.

ROmę natale S. Saturnini martyris, & Siſinij diaconi, ſub Maximiano, à q̃ primò inter alios ſeruos Dei dãnati, ad fodiendã arenã, ad faciẽdas thermas Diocletianis, deinde in carcere diu ſunt macerati: ubi multos gentiles docentes baptizabãt, & denuò educti, uincti catenis ac nudis pedibus ante præfectum urbis Laodicium iuſsi ſunt in equuleo leuari, & attrahi neruis, & fuſtibus ac ſcorpionibus cædi. Quibus etiam poſtmodum flammas ad latera iuſsit apponi, & depoſitos de equuleo capite truncari. Quorum corpora colligens Traſon cum Ioanne presbytero ſepeliuit in prædio ſuo uia Salaria. Apud Tholoſam natale ſancti Saturnini epiſcopi, qui temporibus Decij in capitolio eiuſdem urbis tentus à Paganis, eo quòd ad eius præſentiam omnes dij ipſorum obmuteſacti, nullum ſacrificantibus poſſent dare reſpõſum,

x tauro

tauro ad uictimam præparato funibus religatus eſt. Quo uehementius ſtimulato, à ſumma Capitolij arce per omnes gradus præcipitatus eſt, capite colliſo, excuſſoq; cerebro, & omni corpore dilaniato dignam Chriſto animam exhalauit. Cuius corpus in eccleſia digno honore ueneratur. Et uigilia ſancti Andreæ apoſtoli.

E. PRID. CALEND. DECEMB.

IN ciuitate Patras prouinciæ Achaiæ, natale beati Andreæ apoſtoli, qui interpretatur uirilis, uel decorus frater Petri. Hic prædicauit in Scythia, qui ab Egea proconſule cōprehenſus, cum perſeueranter in fide Chriſti & euangelio duraret, carcere clauſus primum, inde coram proconſule grauiſsime cæſus: ad ultimum cruce ligatis manibus & pedibus, funibusq; toto corpore tenſus, ut lōgius cruciaretur, biduo inibi ſuperuixit, non ceſſans ea quæ Dei ſunt, populum docere. Cumq; hi qui Chriſto crediderant Domino ſatis agerent, ut deponeretur, Egeamq; ut hoc perficerent, nolentem impellerent, apoſtolus Domini circumſtante populo, & Egea proconſule, ut ſolueretur agente, poſt uerba orationis fulgore cœleſti fere una deſuper circumfulſus hora, cum ipſo lumine abſcedente emittens ſpiritum perrexit ad Dominum. Cuius corpus Maximilla potentiſsima matronarum reuerenter depoſitum ſepeliuit. Apud Sanctonas natale S. Trophiani epiſcopi, uirtutis uiri. Romæ Caſtuli, Euprepitis.

## DECEMB. HABET DIES XXXI. LVNAM VICESIMAM NONAM.

## F. CALENDAE DECEMBRIS.

NAtale ſanctorum martyrū Chryſanthi & Dariæ, qui tempore Numeriani, iudice Celerino Romæ paſsi ſunt. Chryſanthi pater Polemius uir illuſtris fuit: hic filium ſuum cuidam uirgini coniunxit, quam ex nobiliſsimis Romanis fuiſſe cōſtat: hanc Chryſanthus ad fidem Chriſti conuertens, baptizari fecit. Factumq; eſt ut per Chryſanthū multitudo uirorum & per Dariam innumerabiles fœminæ ad Chriſti gratiam confluerent. Præfectus namq; Celerinus, comprehenſos tradidit Claudio tribuno, qui ſeptuaginta milites ad torquendum dedit, qui neruis crudis eum aſtringunt, ſed mox ligamenta omnia reſoluta ſunt. Deinde in cippum, ita ut in tertio pūcto eius tibiam coarctarent, eum mittunt, mox ligneus cippus in cinerem reſoluitur. Tunc perfundunt eum lotio humano putentiſsimo, ut maleficia, inquiunt, amittas: ſed fœtor in ſuauem odorem mutatus eſt. Deinde corio recenti uitulino nudum eum conſtringunt, & ad ſolem feruentem componunt: ſed uirtute Domini corium ut erat, molle permanſit. Deinde collum, manus ac pedes, catenis ferreis conſtringentes, recludūt in obſcuriſsimo loco: & ſtatim catenæ ſolutæ ſunt, & magna lux infulſit. Daria uerò in publico meretricum lupanari ponitur, ſed leo de cauea ueniens ad tutelam Domini uirtute ei donatur. Qui ingreſſus cellam, in qua ſancta Dei in oratione proſtrata iacebat, iuxtà proſterni tur, ut uenientes à ſe repelleret. Dum hæc omnia Celerinus imperatori indicaſſet, ille iuſsit eos duci uia Salaria in harenario, & uiuos deponi, & terra ac lapidibus obrui. Contigit ut ad diem natalis eorum infinita populi multitudo concurreret: hoc nunciatum eſt imperatori, qui iuſsit, ut in introitu cryptæ paries leuaretur: ac ſic factum eſt, ut omnes dum ſacramenta Chriſti perciperent, martyrij gloriam celebrarent: inter quos erant Diodorus presbyter & Martinianus diaconus, & plurimi clericorum. Ipſo die beati Egilij Nouiomenſis epiſcopi. Romæ Candidæ, Vmboni.

G. IIII. NON. DECEMB.

NAtale ſanctæ Vinianæ martyris, beatorum martyrum Fauſti & Dafroſæ filiæ, quæ iubente Iuliano imperatore ſacrilego tādiu plūbatis cæſa eſt, donec ſpiritum redderet: cuius corpus iuſsione imperatoris biduo in foro iacuit: tandem raptum nocte à Ioanne presbytero, ſepultum eſt in domo, ubi mater & ſoror eius Demetria iam ſepultæ erant, iuxta palatiū Licieuanum. Romæ natale ſanctorum Primenti, Pontiani, Pimini, Dimetri, Iubiani. In Mauritania, Seueri, Securi, Ianuarij, Victorini.

A. III. NON. DECEMB.

TIngi metropoli Mauritaniæ natale ſancti Caſsiani presbyteri, glorioſi martyris. Itē ſanctorum martyrum Claudij tribuni, & uxoris eius Hilariæ, ac filiorum Iaſonis & Mauri, & ſexaginta militum, qui omnes ad prędicationem beati Chryſanthi crediderunt in Chriſto. Quod ut nunciatum eſt imperatori Numeriano, iuſsit Claudium tribunum ingenti ſaxo alligatum præcipitem in medio mari dari, milites uerò ſeptuaginta, cum quibus Iaſonem & Maurum filios Claudij capitali ſententia puniri. Erat autem in loco ubi decollati ſunt colliculus antiquus, hunc emundantes nocte Chriſtiani, ſimul in unum omnia corpora ſepelierunt uia Salaria. Corpora autem Iaſonis & Mauri collegit ſancta Hilaria, relicta martyr, ubi dum aſsiduis orationibus uacaret, migrauit ad Dominum. In oriente Mecrobi, Claudici & Felicis. In Nicomedia Ambici, Victoris & Iulij. In Africa Claudij, Criſpini, Maginę, Iohannis, Stephani. In Pannonia S. Agricolæ.



B. PRID. NON. DECEMB.

ROmæ natale ſanctorum martyrū, Simphronij & Olympij, temporibus Valeriani & Gallieni imperatorum. Hic Simphronius traditur Olympio Tribuno, ut ab eo facultates Nemeſij Tribuni requireret, ſub pœnarum examinatione: qui interrogatus à præfecto reſpōdit, Si facultates quæris Nemeſij domini mei, iam eas tradidi Chriſtianis pauperibus, quoniam ipſius erant: ſi autem ſacrificium me offerre compellis, ſacrifico Chriſto Ieſu Deo meo ſacrificium laudis. Iratus Olympius, fecit eum extendi in cataſta & fuſtibus mactari, deinde ſimulachrum Martis aureum unà cum tripoda deferri. Quod ſtatim ad uerba Simphronij liquefactum ſicut lutum. Hoc uidens Olympius cū uxore ſua Exuperia, & filio Theodolo, proſtrauerunt ſe ad pedes Simphronij agētes pœnitētiam. Vocatusq; beatus Stephanus papa, uenit nocte ad domū Olympij, baptizauit eos, & omnes qui crediderunt in domo Olympij. Quod cum prædicti audirent imperatores, miſerunt ut adducerentur. Simphronius nanq; adducitur ferreis uinculis onuſtus, nudusq; ac capiſtratus, cum Olympio & uxore & filio. Gallienus dixit Olympio, Adhuc differo pœnarū tibi inferre ſupplicia, quia de tua conſcientia dubius ſum. Olympius reſpondit, Ego quidem non feci quaſi Olympius, ſed quaſi impius & crudelis: pro quibus pœniteo commiſsis, & effundo lachrymas in conſpectu cui credo uiuo & uero. Tunc data eſt ſententia, ut igne conſumerentur. Ducti ſunt itaq; ante ſtatuam Solis, fixisq; in terram ſtipitibus, ligatis manibus deuincti ſunt, ac in congerie ſarmentorum ſpinarumq; ignis eſt ſuppoſitus, ſtatimq; in ipſo ignis initio gratias Chriſto decantantes emiſerunt ſpiritum: quorum colligēs ſanctus Stephanus epiſcopus corpora ſepeliuit. Item Eracli, Chriſtiani, Pudenti.

C. NON. DECEMB.

IN Africa apud Coloniam Thebeſtinam natale ſanctæ Criſpinæ, quæ tempore Diocletiani & Maximiani cum ſacrificare nollet, iuſſu Anolini proconſulis decollata eſt. Item natale ſancti Dalmatij martyris, & ſanctorum Criſpini, Felicis, Iulij, Potamiæ, Grati & aliorum ſeptem, & Zeloti, Fortunati & Gatti.

D. VIII. IDVS DECEMB.

NAtale ſancti Nicolai Myrēſis eccleſiæ Metropolitani epiſcopi. Apud Africā ſanctarum Dionyſiæ, Datiuæ, Leontis, Aemiliani medici, & religioſi uiri nomine Tertij, Bonifacij, Seruij, Victricis & Maiorici adoleſcentis, qui omnes perſecutione Vandalica ſub Hunerico Arriano rege, pro confeſsione catholicæ fidei, & ne ab Arrianis rebaptizarētur, grauiſsimis & innumeris ſupplicijs excruciati, cōfeſſorum Chriſti numero ſociari meruerunt: è quibus Maioricus curſum palmiferum in certamine conſummauit.

E. VII. IDVS DECEMB.

APud Alexandriam beati Agathonis martyris. Qui cum eſſet militaris, & aſsiſteret ubi beati martyres laniabantur, inter quos erat Iulianus & Eunus in Domini Ieſu Chriſti confeſsione perdurantes, & quoſdam uolentes etiam illudere mortuis cadaueribus martyrum, prohiberet, clamor aduerſus eum totius uulgi extollitur. Offertur iudici fortiſsimus miles iā Domini, & nunquam ſe inferior factus in confeſsione perſiſtens, capite pro pietate damnatur. Apud Sanctonas beati Martini abbatis, diſcipuli ſancti Martini Turonicæ urbis epiſcopi, qui in monaſterio quod ædificauit, in pace quieſcit. In Antiochia natale Polycarpi & Theodori. Eodem die octaua ſancti Andreæ.

F. VI. IDVS DECEMB.

COnceptio ſanctæ Mariæ perpetuę uirginis. Romæ natale ſancti Eutychiani papæ, qui rexit eccleſiam annum unum, & ſub Aureliano imperatore martyrio coronatus, ſepultus eſt in cœmiterio Caliſti, qui & ipſe per diuerſa loca trecentos quadraginta duos martyres manu ſua ſepeliuit. Hic conſtituit fruges ſuper altare tantum fabas & uuas benedici. Apud Alexandriam beati Macharij ſub Decio, qui gente Pibycus, cum multis uerbis à iudice ad negandum ſuaderetur, & eo maiore cōſtantia fidem ſuam profiteretur, uiuus ad ultimum iubetur exuri. In ciuitate Verona natale ſancti Zenonis martyris.

G. V. IDVS DECEMB.

NAtale ſanctæ Leocadiæ uirginis, quæ tempore Diocletiani & Maximiani à præfecto Hiſpaniarum Daciano, apud Toletum dira carceris cuſtodia macerata eſt. Vbi cum grauiſsimos beatæ Eulaliæ, & reliquorum martyrum, qui à Daciano interficiebantur, audiſſet cruciatus, genibus in oratione poſitis, impollutum Chriſto ſpiritum reddidit. Ipſo die beati Cypriani abbatis Petragorici magnificę ſanctitatis uiri. In Africa natale Petri, Succeſsi, Primitiui, Publicini & aliorū uiginti. Treuiris depoſitio ſancti Eucharij epiſcopi & confeſſoris.

A. IIII. IDVS DECEMB.

ROmæ ſancti Melchiadis papæ, qui ſedit in epiſcopatu annos tres, ſepultus eſt in cœmiterio Caliſti. Hic conſtituit, ut die Dominico, aut feria quinta nullus ieiunaret, quia ipſos dies Pagani, quaſi ſacro ieiunio celebrant. Et hic conſtituit, ut ex conſecratu epiſcopi, oblationes propter hæreticos per eccleſias dirigerentur. Apud Emeritam Hiſpanię ciuitatem natale ſanctæ Eulaliæ. Quę cum eſſet annorum tredecim,

tredecim, iuſſu Daciani præſidis, plurima tormenta perpeſſa, nouiſsimè in equuleo ſuſpenſa & exungulata, faculis ardentibus ex utroque latere appoſitis, hauſto igne ſpiritum reddidit, & cernentibus Chriſtianis in ſpecie columbæ niueæ eius anima cœlum petijt. Cuius corpus per triduum iuſſu præſidis pependit in ligno. Sed cui non humana fuerant, diuina ſunt conceſſa munera. Nam nix deſuper puellæ corpus aſperſit, ut quod ex utraq; parte appoſitus ignis ardoris ſui incendio conflagrauerat, niuali candore coopertum diuina gratia dealbaret. Sicq; à Chriſtianis reuerenter ablata, & deuotione debita ſub ſacro altari depoſita, miraculorum gratia illuſtratur. Apud præfatam urbem paſſio ſanctæ Iuliæ, quæ fuit cõuirginalis beatæ Eulaliæ, quæq; illi ad paſsionem properanti indiuidua comes & ſodalis adhæſit. Item apud Hiſpalim ciuitatem, ſanctorum martyrum Carpophori presbyteri, & Abundij diaconi, qui perſecutione Diocletiani, ſub iudice Martiano in confeſsione Chriſti primò fuſtibus crudeliſsimè cæſi ſunt, deinde in carcerẽ negato cibo & potu retruſi: unde per angelum educti, & uerbũ Dei prædicantes iterum tenti ſunt, & ora ipſorum lapidibus contuſa, rurſumq; equuleo torti, & poſt hæc diu in carcere macerati, nouiſsimè gladio ſunt percuſsi. Viennæ ſancti Sindulfi epiſcopi & confeſſoris.

B. III. IDVS DECEMB.

DAnielis prophetæ. Romæ Damaſi papæ, qui rexit eccleſiam annos decem & octo, menſes tres, dies duos. Hic conſtituit, ut Pſalmi die noctuq; canerẽtur per omnes eccleſias. Hic multa corpora ſanctorũ requiſiuit, & inuenit, quorum memoriam etiam uerſibus declarauit. Item Romæ natale ſanctorum martyrum Pontiani, Prætextati atq; Tarſonis, qui potens & locuples de facultatibus ſuis cum eſſet Chriſtianus, ſanctis martyribus in carceribus & in metallis damnatis, uictum miniſtrabat, per beatũ Siſinium & Cyriacum, non pòſt multo & ipſe tentus à Maximiano palmã martyrij cum duobus alijs percipere meruit. In ciuitate Ambianis Galliæ, ſanctorum martyrum Victorici & Fuſciani. In Hiſpania ſancti Eutychij, cuius geſta habentur, & ſancti Gentiani martyris.

C. PRID. IDVS DECEMB.

SAnctorũ martyrum Hermogenis, Donati, & aliorum uiginti duorum. Apud Alexandriam beatorum martyrum Epimachi & Alexandri, qui multo tempore & magnis cruciatibus uinculorum & carceris torti, ignibus ad poſtremum conſumi iubentur. Item ſanctarum quatuor mulierũ, Ammonariæ, Mercuriæ, Dionyſię: & item aliæ Ammonariæ, quę dum nimia conſtantia uterentur apud iudicem, & ille erubeſceret uinci à fœminis, inauditis tormentorum generibus toleratis, finem omnium ferro cædente ſuſcipiunt, glorioſe apud Alexandriam ſepultæ.

D. IDVS DECEMB.

APud Syracuſas Siciliæ ciuitatem ſanctæ Luciæ uirginis & martyris, quę paſſa eſt perſecutione Diocletiani & Maximiani ſub Paſchaſio cõſulari. Hæc nobiliſsima Syracuſanorum, poſtquam omnia ſua quæ de parentibus ei remanſerant, pauperibus, uiduis, orphanis, peregrinis, & Deo ſeruientibus diſtraxit, à ſponſo ſuo, quòd eſſet Chriſtiana, Paſchaſio delata, impellebatur ad ſacrificandum dęmonibus. Quæ cum nullo modo conſentiret, traditur lenonibus, ut populum ad caſtitatem eius inuitarent, & tamdiu deluderetur, donec mortua nunciaretur. Quam lenones nullatenus mouere poterant. Tunc præcepit Paſchaſius, ut ignem copioſum circa eam accenderent, & picem & reſinam, & feruens oleum ſuper eam iactarent: ſed illa in nomine Domini ſtetit immobilis. Tandẽ gladio in gutture merſo percuſſa, quamdiu uoluit turbam circumſtantem allocuta eſt, nec omnino mortua eſt, donec uenientibus ſacerdotibus communionem Dominici corporis & ſanguinis acciperet: ſepulta in loco in quo percuſſa eſt, baſilica ſupra corpus eius poſtmodum ædificata.

E. XIX. CALEND. IAN.

APud Antiochiam ſanctorum martyrũ Druſi, Zoſimi, Arſenij & Iſidori atque Theodori. Apud Alexãdriam beatorum martyrum Heronis, Dioſcori, qui ſub Deciana perſecutione uarijs tormentis dilaniati, nouiſsimè ignibus ſunt traditi. Item beati Lupicini Viennenſis eccleſiæ octaui epiſcopi. Apud Cyprum natale ſancti Spiridonis epiſcopi admirandæ beatitudinis uiri: qui unus fuit de illis confeſſoribus, quos Maximianus dextris oculis effoſsis, & ſiniſtro poplite ſucciſo, per metalla damnauerat, qui etiam propheticã uitam duxit. Lugduno Galliæ S. Viatoris epiſcopi. Remis Nicaſij epiſcopi, & Eutropiæ, Aſpedię & Theodoli.

F. XVIII. CALEND. IAN.

APud Africam ſancti Valeriani epiſcopi & confeſſoris, qui tempore Vandalicæ perſecutionis cum ex pręcepto Genſerichi regis Arriani ad tradendum diuina myſteria uel libros, arctarentur cuncti Domini ſacerdotes: ita ut idem impij Arriani de ipſis pallijs altaris camiſias ſibi & femoralia facerent, uiriliter ne ſacramenta diuina traderet dimicans, extra ciuitatem ſingulariter expelli iuſſus eſt, & ita præceptũ, ut nullus eum neq; in domo, neq; in agro dimitteret habitare. Cumq; eſſet annorũ pluſq; octoginta, in ſtrata publica multo tempore iacuit nudus ſub aere, ſicq; in confeſsione catho-

lica



licæ ueritatis curſum beatæ uitæ impleuit. Aurelianis beati Maximini presbyteri. In Africa natale Fauſtini, Lucij, Candidi, Cæliani, Marci, Ianuarij & Fortunati.

G. XVII. CALEND. IAN.

MArtyrium trium uirorum ſanctorum Ananiæ, Azarię & Miſaelis. In Thuſcia ſanctę Barbaræ uirginis, quæ tempore Maximiniani imperatoris paſſa eſt pro Chriſto. Hæc primũ à patre ſuo Dioſcoro diu afflicta ſub dira cuſtodia, deinde tradita præſidi Marciano, & expoliata, neruis taureis ualde cæſa & diſcerpta eſt, & cilicio plagæ eius defricatæ, inde recluſa in carcerem, ubi luce diuina cõſolata eſt. Deinde circa latera eius lampades applicatæ, & malleis caput eius cæſum, & mamillæ eius præciſę: deinde per plateas circumducta, & flagellis diutiſsimè afflicta eſt, ad extremũ uerò gladio martyrium cõſummauit. Rauennæ Valentini, Naualis, Agricolæ, Concordi. Viẽnæ beati Adonis epiſcopi. Eodem die translatio ſanctorum martyrum Simplicij, Fauſtini & Beatricis.

A. XVI. CALEND. IAN.

TRanslatio ſancti Ignatij martyris, qui tertius poſt Petrum apoſtolum Antiochenã rexit eccleſiam. Apud urbem Romam paſſus, ſed Antiochiæ poſtmodũ ſepultus. Eodem die beati Lazari, quem Dominus ſuſcitauit à mortuis, & beatæ Marthæ ſororis eius, quorum uenerabilem memoriam extructa eccleſia non lõgè à Bethania, ubi è uicino domus eorum fuit, conſeruat. In oriente apud Eleutheropolim ciuitatem paſsio ſanctorum martyrum quinquaginta, qui ſub Sarracenis paſsi ſunt,

B. XV. CALEND. IAN.

BEatorum martyrum Rufi & Zoſimi, qui de illis primis diſcipulis erant, per quos primitiua eccleſia in Iudæis & Græcis fundata eſt. Hi requieſcunt apud ciuitatem Macedoniam Philippis. Apud Africam natale ſancti Moyſitis martyris. Turonis ſancti Gratiani epiſcopi, qui ad pręfatam urbem ab urbe Roma tranſmiſſus, multis clarus uirtutibus ibi quieuit in pace. Laodicea ciuitate Theotini, Baſiliani. In Africa Quinti, Simplicij.

C. XIIII. CALEND. IAN.

APud Aegyptũ beati Nemeſij martyris, qui primò per calumniam quaſi latro iudici delatus eſt Aemiliano. Quo crimine abſoluto, poſtea quòd Chriſtianus eſſet, defertur. In hoc uerò nulla à iudice miſeratio reſeruatur, ſed geminatis ſupplicijs excruciatum cum latronibus iuſsit incendi, ignorans quod crudelitate ſua optimo martyri ſimilitudinem ſaluatoris detulit, qui pro ſalute humani generis unà cum latronibus pertulit crucem. Aurelianis ſancti Viti abbatis, qui ſpiritu prophetiæ illuſtris fuit. In Nicomedia Cyriaci, & Palili, Secundi, Anaſtaſij, ac Syddimi epiſcoporum, & Gregorij papę.

D. XIII. CALEND. IAN.

BEatorum martyrum Ammonis, Zenonis, Ptolemæi, Ingenij & Theophili, qui tribunalibus apud Alexandriam aſtantes, cum quidam Chriſtianus à iudice torqueretur, & iam penè ad negandum ſuaderetur, diſrumpebantur intra ſemetipſos, & uultu oculis ac nutibus uelut erigere conabãtur illum, qui in ſupplicijs poſitus trepidabat. Interdũ etiam manus protendere, ac totius reliqui corporis motibus & habitu diuerſe inclinati, tanquam ſubleuare lapſantis animos geſtiebãt. Conuerſi uerò ad eos omnes, & quid de ſemetipſis profiterentur, ex eorum motibus agnoſcentes, prius penè quàm in eos uulgus clamoribus inſiliret, ipſi in medium prorumpunt, ac ſe Chriſtianos eſſe teſtãtur. Per quorum uictoriam glorioſiſsimè Chriſtus de inimico triumphauit. Romæ Zefenni epiſcopi, ſanctorumq; Liberati & Baiuli. Et uigilia ſancti Thomæ apoſtoli.

F. XII. CALEND. IAN.

NAtale beati Thomæ apoſtoli, qui Parthis & Medis Euangelium prædicans, paſſus eſt in India. Corpus eius in ciuitatẽ, quam Syri Edeſſen uocãt, translatum, ibiq; digno honore conditum eſt. Catalaunis ſancti Maximi epiſcopi, primi illi ciuitati ab urbe Roma directi: qui inter alia innumera miracula mortuum ſuſcitauit. In Thuſcia natale ſanctorum Iohannis & Feſti.

F. XI. CALEND. IAN.

ROmæ uia Lauicana inter duas lauros, natale triginta martyrum, qui omnes una die perſecutione Diocletiani coronati ſunt. Apud Alexandriam beati Chiridonis martyris. Is nanq; cum rem cuiuſdam potentis ſub mercede procuraret, iubetur ab eo idolis immolare. Recuſans cogebatur iniurijs: perſiſtens rurſum blandicijs mulcebatur. Cum uerò utrumq; contemneret, præacuta ſude ualidiſsima tranſuerberatur per media uiſcera, & neci traditur. Ipſo die aliorum quàm plurimorum martyrum, qui in deſertis & montibus apud Aegyptum oberrantes, fame, ſiti, frigore, languore, latronibus, beſtijsq; conſumpti ſunt: qui omnes imitati electos Dei prophetas, gloria martyrij coronati ſunt. Inter quos & uenerandus ſenex Cheremon. Hic epiſcopus urbis Aegypti, quæ dicitur Nicopolis, cum ad Arabicum mõtem unà cum grandæua coniuge diſceſsiſſet, nulli ultrà apparuit. Romæ depoſitio ſancti Felicis epiſcopi. In Antiochia natale ſancti Baſilei, & alibi paſsio Theodoſiæ uirginis, & Didymi monachi.

G. X. CALEND. IAN.

ROmæ natale ſanctæ Victoriæ uirginis, perſecutione Decij imperatoris. Quæ cum eſſet deſponſata uiro Pagano Eugenio, & nec nubere uellet, nec ſacrificare, propter draconem peſtiferum de illis locis expulſum, & alia facta miracula, & propter uirgines quas ad ſeruiendum Domino aggregauerat, percuſſa eſt gladio in corde à carnifice Thaliarcho. Corpus eius cum omni reuerẽtia curatum eſt. Apud Nicomediam ſanctorum martyrum uiginti, quos Diocletiana perſecutio grauiſsimis tormentis martyres Chriſto fecit. Item Romæ beati Ser-



uuli,

uuli, cuius beatus meminit Gregorius in homeliis. In alio loco Euariſti, Victoris & aliorum octingentorum triginta duorum.

### A. IX. CALEND. IAN.

VIgilia Domini noſtri Ieſu Chriſti. Apud Antiochiam Syriæ ſanctarum uirginum quadraginta, quæ perſecutione Deciana per diuerſa tormenta martyrium conſummauerũt. Eodem die ſancti Gregorij presbyteri & martyris: apud Spoletum, tempore Diocletiani & Maximiani imperatorum, ſub iudice Flacco. qui dum perſeuerãter in fide maneret, fuſtibus nodoſis dorſum eius uerberatum rumpitur, rigiratus uenter eius diſsipatur, inde ligatus manus & pedes in craticula ſuperponitur, lignis ſuppoſitis. Continuò terræmotu facto, cecidit una regio in ciuitate Spoletana, & oppreſsit pluſquam trecentos idolis ſeruientes. Pòſt ferro conſtrictus, ſub cuſtodia militum in carcerẽ truditur, ubi angelica uiſitatione conſolatur. eductus è carcere carduis ferreis genua illius percuſſa ſunt: ſed & ardentibus lampadibus latera eius incenſa, dicente beato martyre iudici impio, Si totum corpus meum perdas, præſtò eſt Dominus meus Ieſus Chriſtus, qui me ſanat & corroborat. Tunc Flaccus iuſsit Tircano cuidam, ut beatum Gregorium tractum in amphitheatrum decollaret. Quo facto, iuſsit Tircanus feras terribiles dimitti, ut corpus ſancti martyris abſorberent. ſed nulla earum corpus ſanctum attigit. Quædam autem mulier Abundantia nomine, petijt corpus ſancti martyris: ſed quia aliter obtinere non potuit, datis triginta quinque aureis Tircano, corpus recepit, & ut decuit, martyrem ſepeliuit iuxta pontem lapideum. In Thropoli ciuitate, ſancti Luciani, Metrobi, Pauli, Zenoti, Theutini, Druſi.

### B. VIII. CAL. IAN.

IESVS CHRISTVS FILIVS DEI IN BETHLEEM IVDAEAE NASCITVR, ANNO CAESARIS AVGVSTI OCTAVIANI QVADRAGESIMOSECVNDO: OLYMPIADIS VERO CENTESIMAE NONAGESIMAE TERTIO ANNO: AB VRBE AVTEM CONDITA, SEPTINGENTESIMO QVINQVAGESIMOSECVNDO, compreſsis cunctarum per orbem terræ gentium motibus, & firmiſsima pace ordinatione Dei à Ceſare Auguſto Octauiano compoſita, quando Cyrenius ex conſilio ſenatus in Iudæam miſſus, cenſus hominum poſſeſsionumque deſcribebat, ſextam mundi ætatem ſuo pijſsimo conſecrauit aduentu. Eodem die natale ſanctæ Anaſtaſiæ, quæ tempore Diocletiani primò duriſsimam & immitẽ cuſtodiam à uiro ſuo Publio perpeſſa, in qua tamen à Chryſogono confeſſore Chriſti multum conſolata & confortata eſt: deinde à præfecto Illyrico in grauiſsima, atque diutina cuſtodia macerata eſt, in qua duobus menſibus refecta eſt cœleſtibus eſcis per ſanctam Theodoram, quę martyrium prius paſſa eſt. Deinde naui impoſita cum ducentis uiris, & quingentis fœminis, ut demergerentur in mare: ſed perlata eſt ad inſulas Palmarias, ubi per manus & pedes extenſa, & ligata ad palos fixos, & circa mediũ eius ignis accenſus eſt, in quo martyrium conſummauit, & omnes qui cum illa uenerant, uarijs interfectionibus martyrium celebrarunt. Inter quos omnes unus erat innocentiſsimę naturæ, nomine Eutychianus. qui ſublatis ſibi, cum diues eſſet, omnibus facultatibus, tacuit nihil cogitans, nihilq; metuens niſi hoc, ne facultates ac diuitias fidei perderet. Quotiens cunque fuiſſet auditus, quotienſcunque interrogatus, nihil aliud dicebat, Chriſtum mihi nõ tollit, etiam qui caput abſtulerit. Tunc Apollonia Chriſtiana matrona tollens corpus beatæ Anaſtaſiæ, exoſculabatur, & aromatibus & linteaminibus mundis obuoluens, intra uiridarium domus ſuæ fabricata baſilica, ut decuit martyrem, ſepeliuit. Ipſo die Romæ in cœmiterio Aproniani paſsio ſanctæ Eugeniæ uirginis, quæ tempore Gallieni imperatoris poſt multa inſignia uirtutum, & ſacros uirginum choros, quos Chriſto Domino aggregauerat, ſub Nycetio urbis præfecto alligato ſaxo, & præcipitata in Tyberim: ſed mergi non potuit. Inde thermis ignitis incluſa, illæſa reperta eſt, nouiſsimè in die natalis Domini ſicut ipſe Saluator ei antè reuelauit, per ſpiculatorem in cuſtodia gladio iugulatur. Et ſublatum eſt corpus eius à Chriſtianis, & poſitum non longè ab urbe uia Latina, in prædio eius proprio, ubi multorum ipſa ſepelierat membra.

### C. VII. CALEND. IAN.

IN oppido Hieroſolymitano Caphargamala paſsio ſancti Stephani protomartyris Chriſti, qui non multo poſt aſcenſionem Domini ab apoſtolis diaconus ordinatus eſt. Scribit beatus Lucas euangeliſta eius paſsionem in actibus apoſtolorum. Eodem die ſancti Ignatij, Rufi & Zoſimi papæ, qui ſedit Romę annum unũ. Hic conſtituit ut diaconus læuam tegeret pallijs: & præcepit ut nullus clericus poculum in publico propinaret, niſi tantum in cellis fidelium & clericorum. De quorum agone felici, ſanctus Polycarpus in epiſtola ad Philippenſes ſcribit dicens, Deprecor autem omnes uos obedientiæ dare operam, ac meditari patientiam, quam uidiſtis in Ignatio, & Rufo, & Zoſimo beatis uiris: ſcientes quod hi non in uacuum, ſed per fidem & iuſtitiam cucurrerunt, donec uenirent ad locum ſibi à Domino præparatum, quoniam quidem paſsionũ eius participes extiterunt: nec dilexerunt præſens ſeculum, ſed Chriſtum, qui pro ipſis & pro omnibus mortuus eſt, & reſurrexit.





### D. VI. CALEND. IAN.

NAtale beati Iohannis euangeliſtæ, quem Dominus Ieſus amauit plurimum: qui ſecundam poſt Neronem perſecutionem mouente Domitiano, poſteaquam in oleo ignito demerſus nihil paſſus eſt, in Pathmum inſulam relegatus uidit apocalypſim. Interfecto autem Domitiano, & actis eius ob nimiam crudelitatem reſciſis à ſenatu, ſub Pertinace principe redijt Epheſum: & quia cõcuſſam ſe abſente per hæreticos uidit eccleſiæ fidem, confeſtim hanc deſcriptam in Euangelio ſuo uerbi Dei æternitatem ſtabiliuit. Rogatus ſiquidem ab Aſiæ epiſcopis, aduerſus Cerinthum, aliosq; hæreticos, & maximè contra Ebionitarum tunc dogma ſurgens: qui aſſerunt Chriſtum ante Mariam non fuiſſe. unde compulſus eſt ſcribendi Euangelij ſanctum opus ſuſcipere. Ipſe autem uſq; ad Traiani principis tempora perſeuerãs, totas Aſiæ fundauit, rexitq; eccleſias, & confectus ſenio ſexageſimo octauo poſt paſsionẽ Domini anno, ætatis autem ſuæ nonageſimonono mortuus, iuxta eandem urbem eſt ſepultus. Romæ Dionyſij papæ, qui ſedit in epiſcopatu annos ſex: ſepultus uia Appia, in cœmiterio Caliſti. Hic eccleſias presbyteris dedit, & parochias diœceſis dedit, atque conſtituit. Et ordinatio epiſcopatus ſancti Iacobi, fratris Domini, qui ab Apoſtolis primus ex Iudæis eſt ordinatus Ieroſolymis.

### E. V. CALEND. IAN.

BEthleem Iudææ natale ſanctorum Innocentum, quos Herodes cum Chriſti natiuitatẽ Magorum indicio cognouiſſet, triceſimo quinto anno regni ſui interfici iuſsit, qui anno triceſimo ſexto morbo intercutis aquæ, & ſcatentibus toto corpore uermibus, miſerabiliter & dignè mortuus.

### F. IIII. CALEND. IAN.

DAuid regis. Itẽ apud Arelaten natale ſancti Trophimi epiſcopi & confeſſoris, diſcipuli apoſtolorum Petri & Pauli. Eodem die ſancti Creſcentij apoſtoli Pauli diſcipuli, Vienenſis eccleſiæ primi doctoris. In Africa natale Dominici, Victoris, Primiani, Lyboſi epiſcopi. Romæ Caliſti, Felicis & Bonifacij epiſcopi in cœmiterio Caliſti. Eodem die ſancti Thomę archiepiſcopi & martyris Cantuarienſis.

### G. III. CALEND. IAN.

APud Spoletum paſsio ſancti Sabini epiſcopi, Exuperantij & Marcelli diaconorum, & Venuſtiani cum uxore, à filijs ſub Maximiano Auguſto. Qui beatus Sabinus cum eſſet in omnibus diuinis inſtructionibus clarus, tentus eſt à præſide Tuſciæ Venuſtiano, cum duobus diaconibus Exuperantio & Marcello, & multis clericis. Cui Venuſtianus deum Iouem ſuum, quem habebat in cubiculo ex lapide mirè formatum, ueſtimentis aureis ad adorandum obtulit. Quem beatus Sabinus in manibus acceptum, facta oratione continuò eliſit in pauimento, & confregit. Quod factum uidens Venuſtianus, cum furore iuſsit ut præciderentur ei manus, & in conſpectu eius Marcellum & Exuperantium equuleo ſuſpendi, ac fuſtibus cædi, & unguibus radi latera eorum, ignem etiam ſupponi. Hoc facto in confeſsione Domini ſpiritum emiſerunt. Sabinum uerò epiſcopum iuſsit retrudi in carcerem. Audientes autem quidam piſcator & presbyter, collegerunt corpora ſanctorum, & ſepelierunt iuxta uiam pridie Calendas Ianuarij. Serena uerò Chriſtiana uidua curam habens ſancti Sabini epiſcopi, adduxit in carcerem nepotem ſuum Priſcianum, qui erat cæcus. Tunc ſanctus Sabinus trũcas manus ſuper oculos eius poſuit, & illuminauit. Videntes autem qui in cuſtodia erant, miſerunt ſe ad pedes eius, numero undecim, & baptizati ſunt. Quod cum nunciatum eſſet Venuſtiano præſidi, indoluerant oculi eius, & prę dolore neque cibum, neque potum, neque ſomnum capere poterat, miſitq; uxorem ſuam, & duos filios, ut adducerent beatum Sabinum ad domum eius de carcere. Adductus itaque proſtrauit ſe ad pedes eius Venuſtianus cum fletu, uxorq; ac filij agentes pœnitentiam, & rogantes ſe baptizari. Mox baptizatus ut de pelui leuatus eſt, nullum dolorem ſenſit oculorum: nunciatum eſt autem hoc Maximiano, qui iratus pręcepit Sabinum damnari, & ipſum Venuſtianum capite truncari. Veniens autem Lucius Tribunus, ſine auditione beatum Venuſtianum cum uxore & filijs necauit, in ciuitate Aſsiſina: Sabinum uerò epiſcopum adduxit in ciuitatem Spoletum, & tamdiu pręcepit cædi, donec deficeret. Cuius corpus collegit uenerabilis Serena, quæ manus eius in dolio uitreo cum aromatibus condiuerat, & infra domum ſuam poſuerat, ſepeliuitq; eum à ciuitate Spoletana miliario plus minus uno, ſub die ſeptimo idus Decembris. Feſtiuitas tamen eius & ſupra nominatorum martyrum, tertio calendas Ianuarij agitur.

### A. PRID. CALEND. IAN.

ROmæ natale Syluestri papæ, & confeſſoris, qui poſt beatum Petrũ triceſimus quintus ſedit annos uiginti quatuor, menſes decem, dies undecim. Cuius induſtria Synodus præclariſsima toto orbe terrarum trecentorum decem & octo patrum, apud Nicæam urbem Bithyniæ celebratur, ſub conſulatu Conſtantini Auguſti, & Licinij, tertio decimo calendarum Iuliarum. Iulij tamen papæ tempore conſummatur. & conſtituit, ut nullus clericus propter cauſam quamlibet in curiam introiret, nec ante iudicem cauſam diceret, niſi ut eccleſiæ & altaris ſacrificium in ſindone lintea celebraret. Fecit autem ordinationes ſex mẽſe Decembri, presbyteros quadraginta duos, diaconos uigin

tiquinq; epiſcopos per diuerſa loca ſexagintaquinq;. Sepultus eſt in cœmiterio Priſcillæ, uia Salaria. Hic conſtituit chriſma ab epiſcopo conſici, & ut baptizatum liniat presbyter. Et conſtituit ut nullus laicus crimen audeat inferre de clerico, & Dalmaticas in eccleſia, ut eorũ læua tegeretur, ſcilicet diaconorum. Senonis ſanctæ Columbæ uirginis ſub Aureliano imperatore, quæ ſuperato igne gladio cæſa eſt. Item Senonis beatorum Sabini & Potentiani, qui à beatis Apoſtolis ad prædicandum directi, præfatã urbem martyrij ſui confeſsione illuſtrẽ fecerũt.

MARTYROLOGII FINIS.

# De locis ſanctis libellus, quẽ de opuſculis maiorũ abbreuiando Beda compoſuit.

*De ſitu Hieruſalem.* *Caput I.*

SITVS urbis Hieruſalem penè in orbẽ circumactus, non paruo murorum ambitu ſurgit, quo etiam montẽ Syon quondam uicinũ intra ſe recipit, qui à meridie poſitus pro arci urbi ſupereminet, & maior pars ciuitatis infra montem iacet, in planicie humilioris collis ſita. Poſt paſsionem Domini quippe à Tito imperatore deſtructa, ſed ab Helio Adriano Cæſare, à quo etiam Helia nunc uocatur, inſtaurata, multoq; amplior effecta eſt. Vnde eſt, quòd cum Dominus extra portas urbis paſſus ſepultusq; ſit, modò loca paſsionis & reſurrectionis illius, intra eiuſdem media cernantur: cuius in magno murorũ ambitu octogintaquatuor turres, portæ uerò ſex uiſuntur. Prima porta Dauid ad Occidentem montis Syon: ſecunda porta uallis fullonis: tertia porta ſancti Stephani: quarta porta Beniamin: quinta portula, id eſt, paruula porta, ab hac per gradus ad uallem Ioſaphat deſcenditur: ſexta porta Thecuitis. Celebriores tamen ex his ſunt tres exitus portarum. Vnus quidẽ ab Occaſu, alius à ſeptẽtrione, tertius ab Oriẽte. A meridie autem Aquilonali montis ſuperciliũ Syon ſupereminet ciuitati, & ea pars murorum tum interpoſitis turribus nullas habere portas comprobatur, id eſt, à ſupraſcripta Dauid porta, uſq; ad eam montis Syon frontẽ, quæ prærupta rupe Orientalem reſpicit plagam. Situs quippe ipſius urbis eſt à ſupercilio Aquilonali montis Syon incipiens, id eſt, molli cliuo diſpoſitus, uſq; ad humiliora Aquilonaliũ Orientaliumq; loca murorum, ut pluuia ibi decidens nequaquam ſtet, ſed inſtar fluuiorũ per Orientales defluens portas cunctis ſecum platearum ſordibus raptis, ualle Ioſaphat torrentem Cedron augent.

*De ſepulchro Domini, & de Conſtantiniana atq; Golgothana eccleſia, & alijs ſanctis locis in Hieruſalem.* *Cap. II.*

INgreſsio ergo à Septentrionali parte urbem, primùm de locis ſanctis pro conditione platearum diuertendum eſt ad eccleſiam Conſtantinianam, quę Martyriũ appellatur. Hanc Conſtantinus imperator, eo quòd ibi crux Domini ab Helena matre eius reperta ſit, magnifico & regio cultu conſtruxit. Dehinc ab Occaſu Golgothana uidetur eccleſia, in qua etiã rupes apparet illa, quæ quondam ipſam affixam Domini corpori crucem pertulit argenteam, modò pergrandem ſuſtinens crucẽ, pendente magna deſuper ærea rota cũ lampadibus: infra ipſum uerò locum Dominicæ crucis, exciſa in petra crypta eſt, in qua ſuper altare pro defunctis honorandis ſacrificiũ ſolet offerri, poſitis interim in platea corporibus. Huius quoq; ad Occaſum eccleſiæ ἀναςάσεως, id eſt, reſurrectionis Dominicæ rotunda eccleſia, tribus aucta parietibus, duodecim columnis ſuſtentatur, inter parietes ſingulos latum habens ſpacium uiæ, quæ tria altaria in tribus locis parietis medij cõtinet, hoc eſt, Auſtrali, Aquilonali & Occidentali. Hæc bis quaternas portas, id eſt, introitus per tres è regione parietes habet, è quibus quatuor ad Vulturnum, & quatuor ad Eurum ſpectant. Huius in medio monumentum Domini rotundũ in petra exciſum eſt, cuius culmen intrinſecus ſtans, homo manu contingere poteſt, ab Oriente habens introitum, cui lapis ille maximus appoſitus eſt, quod intrinſecus ferramentorũ ueſtigia uſq; ad præſens oſtendunt. Nam extrinſecus uſq; culminis ſummitatem totum marmore tectum eſt, ſummum uerò culmen auro ornatum, auream magnam geſtat crucem. In huius ergo monumentũ Aquilonali parte ſepulchrũ Domini in eadem petra exciſum, longitudinis ſeptem pedum, trium menſura palmorum pauimento altius eminet, introitum habens à latere meridiano: ubi die noctuq; duodecim lapides ardent, quatuor intra ſepulchrum, octo ſupra in margine dextro. Lapis qui ad oſtiũ monumenti poſitus erat, nunc fiſſus eſt, cuius pars minor quadratum altare ante oſtium, nihilominus eiuſdem monimenti ſtat, maior uerò in Orientali eiuſdem loco quadrangulum, aliud altare ſub linteaminibus extat. Color autẽ eiuſdem monumenti & ſepulchri, albo & rubicundo permixtus uidetur: à dextra autẽ parte huic eccleſiæ cohæret beatæ Domini genitricis eccleſia quadrangula. In platea, quæ martyriũ & Golgotha cõtinuat, exedra eſt, in qua calix Domini ſcriniolo reconditus, per operculi foramẽ tangi ſolet & oſculari. Qui argẽteus calix duas hinc



hinc & inde habẽs anſulas, ſextarij Gallici menſuram capit: in quo eſt & illa ſpongia Dominici potus miniſtra. In loco autem illo, quo Abraham altare ad immolandum filium conſtruxit, menſa eſt lignea non parua, in quam pauperũ eleemoſynæ ſolent à populo deferri. Singula quæ dixi, ut manifeſtius agnoſceres, etiam præ oculis depingere curaui.

*Figura hæc & pictura deerat in exemplari manuſcripto, eius gratia relictum eſt hoc interſtitium.*

Lãcea militis inſerta habetur in cruce lignea in porticu martyrij, cuius haſtile in duas interciſum partes, à tota ueneratur ciuitate.

*De monte Syon, & de eccleſia ſuper eum fundata; & Bethſaida & Siloa.* *Cap. III.*

HAec quidem omnia quæ commemorauimus ſancta loca, extra montem Syon poſita cernuntur, quo ſe ad Aquilonem deficiens loci tumor porrexit: in inferiore uerò parte urbis, ubi templum in uicinia muri ab Oriente locatum, ipſiq; urbi tranſitũ peruio ponte mediante fuerat coniunctum, nunc is Saraceni quadratam domum ſub rectis tabulis, & magnis trabibus ſuper quaſdam ruinarum reliquias uili opere conſtruentes, oratione frequentant, quæ tria milia hominum capere uidetur. Paucæ illic ciſternæ in uſum aquarum cernuntur. In uicinia templi Bethſaida piſcina gemino inſignis lacu apparet, quorum alter hybernis plerũq; impletur imbribus, alter rubris eſt diſcolor aquis. Ab ea fronte montis Syon, quæ prærupta rupe Orientalem plagam ſpectat, inter muros atque in radicibus collis fons Siloę prorumpit, qui alternante quidem aquarum acceſſu in meridiem fluit, id eſt, non iugibus aquis, ſed incertis horis diebusq; ebullit, & per terrarum concaua & antra ſaxi duriſsimi, cum magno ſonitu uenire cõſueuit. In ſuperiori montis Syon planicie, monachorum cellulæ freqũtes eccleſiam magnã circundãt, illic (ut perhibent) ab Apoſtolis fundatam, eo quòd ibi ſpiritum ſanctum acceperint, ibiq; ſancta Maria obierit. In qua etiam locus cœnæ Domini uenerabilis oſtenditur. Sed & columna marmorea in medio ſtat eccleſiæ, cui adhærens Dominus flagellatus eſt. Huius ergo eccleſiæ talis dicitur eſſe figura.

*Etiam hic interſtitiũ erat illi figuræ datum.*

Hic monſtratur petra, ſuper quam lapidatus eſt ſanctus protomartyr Stephanus, extra ciuitatem: in medio autem Hieruſalem, ubi cruce Domini ſuperpoſita mortuus reuixit, columna celſa ſtat, quæ æſtiuo ſolſtitio umbram non facit, unde putant ibi mediam eſſe terram, & hiſtoricè dictum: Deus autem ante ſecula operatus eſt ſalutem in medio terræ. Qua ductus opinione Victorinus Pictauienſis antiſtes eccleſiæ, de Golgotha ſcribens ita inchoat:
Eſt locus, ex omni mediũ quẽ credimus orbe,
Golgotha Iudæi patrio cognomine dicunt.

*De Acheldemach, & loco ubi ſuſpenſus eſt Iudas.* *Caput IIII.*

POrtam Dauid egredientibus, fons occurrit in auſtrum per uallem directus, ad cuius medietatem ab occaſu Iudas ſe ſuſpendiſſe narratur. Nam & ficus magna ibi, ac uetuſtiſsima ſtat, iuxta quod Iuuencus ait:
Informem rapuit ficus de uertice mortem.

Porrò Acheldemach ad Auſtralem plagam montis Syon, peregrinos & ignobiles mortuos hodie quoque alios terra tegit, alios inhumatos putrefacit.

*De ſudario capitis Domini, & alio maiore linteo à ſancta Maria confecto.* *Cap. V.*

SVdarium capitis Domini poſt reſurrectionem eius, mox Chriſtianiſsimus quidam Iudæus furatus, uſq; ad obitum diuitijs ſibi affluentibus habuit. Qui moriturus interrogat filios, qui Domini ſudarium, qui cæteras patris uelit accipere diuitias. Maior theſauros rerum, minor elegit ſudarium. Et mox illi decreſcunt opes uſq; ad paupertatem: fratri autem cum fide creſcunt & opes, quod uſq; ad quintam generationem fideles tenuere. Hinc ad impios perueniens, diuitias tantum auxit, ut Iudæis, & hoc multo tempore, donec poſt longa litigia, quibus Chriſtiani Iudæi ſe Chriſti: infideles uerò ſe patrum ſuorum affirmabant hęredes, Mauuias Saracenorum rex, qui noſtra ætate fuit, iudex poſtulatur. Qui accenſa grandi pyra, Chriſtum iudicem precatur, qui hoc pro ſuorum ſalute ſuper caput habere dignatus eſt. Miſſum ergo in ignem ſudarium, ueloci raptu effugiẽs euolat, & in ſummo aẽre diutiſsimè quaſi ludẽdo uolucritans: ad ultimum cunctis utrinq; intuentibus, ſeſe leuiter in cuiuſdam de Chriſtiana plebe ſinum depoſuit, quod mane mox totus populus ſumma ueneratione ſalutabat & oſculabatur. Habebat autem longitudinis pedes octo. Aliud quoq; aliquãto maius linteum in eccleſia illa ueneratur, quod fertur à ſancta Maria contextum, duodecim Apoſtolorum & ipſius Domini continens imagines, uno latere rubro, & altero uiridi.

*De locis circa Hieruſalem, & eccleſia in ualle Ioſaphat, ubi ſepulta fuit ſancta Maria.* *Caput VI.*

CIrca Hieroſolymã, aſpera & montuoſa cernuntur loca, hinc quoq; Septentrionẽ uerſus uſq; ad Arimathiam terra petroſa & aſpera per interualla monſtratur: ualles quoq; ſpinoſæ uſq; ad Thaniticam regionem patentes: ad Cæſaream uerò Palæſtinæ ab Helia, quamuis aliqua reperiantur anguſta & breuia aſpera loca, præcipua tamen planicies camporum interpoſitis oliuetis. Diſtant autem ſeptuaginta quinq; milibus paſſuum, longitudo uerò terræ repromiſsionis à Dan uſq; Berſabee, tenditur ſpacio centum

centum ſexaginta milium, ab Ioppe uſq; Bethleem quadraginta ſex milibus. Iuxta murũ templi uel Hieruſalem Gehennon occurrit, quæ eſt uallis Ioſaphat, à Septentrionali plaga in Auſtrum porrecta, per quam torrens Cedron, ſiquando pluuiarũ aquas recipit, decurrit. Hæc uallis & parua campi planicies, irrigua & nemoroſa, plenaq; delicijs, locum in ſe quondam Baali ſacrũ habuit. In hac turris regis Ioſaphat, ſepulchrum eius continens: cuius ad dextram de rupe montis Oliueti, exciſa & ſeparata domus, duo cauata habet ſepulchra, hoc eſt, Symeonis ſenis, & Ioſeph ſanctæ Mariæ ſponſi: in eadem ualle ſanctæ Mariæ rotunda eſt eccleſia, lapideo tabulatu diſcreta, cuius in ſuperioribus quatuor altaria, in inferioribus unum habetur in Orientali plaga, & ad eius dexteram monumentum uacuum, in quo ſancta Maria aliquandiu pauſaſſe dicitur: ſed à quo, uel quando ſit ablata, neſcitur. Hanc intrantes uident ad dexteram inſertam parieti petram, in qua Dominus nocte, qua tradebatur, orauit, ueſtigijs genuum quaſi ceræ molli impreſsis.

*De monte Oliueti, & eccleſia ibi fundata, ubi Dominus ad cœlos aſcendit.* Cap. VII.

MOns Oliuarũ mille ab Hieruſalem diſcretus paſsibus, altitudine monti Syon par eſt: ſed latitudine & longitudine præſtat, exceptis uitibus, & oliuæ raræ ferax eſt arboris, frumenti quoq; & hordei fertilis. Neq; enim rucoſa, ſed herboſa & florida ſoli illius eſt qualitas. In cuius ſummo uertice, ubi Dominus ad cœlos aſcendit, eccleſia rotunda grandis, ternas per circuitum cameratas habet porticus deſuper tectas. Interior nanq; domus propter Dominici corporis meatum camerari & tegi non potuit, altare ad Orientem habens anguſto culmine protectum: in cuius medio ultima Domini ueſtigia cœlo deſuper patente, ubi aſcendit, uiſuntur. Quæ cum quotidie à credentibus terra tollatur, nihilominus manent, eandemq; adhuc ſpeciem ſui uelut impreſsis ſignata ueſtigijs ſeruant. Hæc circa ærea rota iacet uſque ad uerticem uel ceruicem alta, ab occaſu habens introitum, pendente deſuper in trochleis magna lampade, totaq; die ac nocte lucẽte. In Occidentali eiuſdem eccleſiæ parte, feneſtræ octo, totidemq; e regione lampades in funibus pendentes, uſq; Hieroſolymam lucent, quarum lux corda intuentium cum quadam alacritatę & compunctione pauefacere dicitur. In die aſcenſionis Dominicę, per annos ſingulos miſſa peracta, ualidi flaminis procella deſurſum uenire conſueuit, & omnes qui in eccleſia fuerint, terræ proſternere. Totã ibi illa nocte lucernæ ardent, ut non illuſtrari tantũ, ſed & ardere mons & ſuppoſita loca uideantur. Et huius quoq; baſilicæ figuram præ oculis depingere placuit.

Etiam hic pictura deerat.

Monumentũ Lazari eccleſia ibidem extructa demonſtrat, & monaſterium grande in campo quodam Bethaniæ, magna Oliuarum ſylua circundatum. Eſt autem Bethania quindecim ſtadijs ab Hieruſalẽ. Tertia quoq; eiuſdẽ montis ad Auſtralem Bethaniæ partem eccleſia eſt, ubi Dominus ante paſsionem diſcipulis de die iudicij loquitur.

*De ſitu Bethleem, & de eccleſia, ubi natus fuit Dominus, & de ſepulchris Dauid & Hieronymi, & trium paſtorum.* Caput VIII.

BEthleem ſex milibus in auſtrum ab Hieroſolyma ſecreta, in dorſo ſita eſt anguſto ex omni parte uallibus circundato, ab Occidente in Orientem mille paſsibus longa, humili ſine turribus muro per extrema plani uerticis inſtructo: in cuius Orientali angulo, quaſi quoddam naturale ſemiantrum eſt, cuius exterior natiuitatis Dominicæ fuiſſe dicitur locus, interior Domini præſepe nominatur. Hæc ſpelũca tota interius ſpecioſo marmore tecta, ſupra ipſum locum, ubi Dominus natus ſpecialiter traditur, ſanctæ Mariæ grandem geſtat eccleſiam. Petra iuxta murum cauata, primum Dominici corporis lauacrum de muro miſſum ſuſcipiens, hactenus ſeruat: quæ ſi qua forte occaſione uel induſtria fuerit exhauſta, nihilominus continuò dũ reſpicit, ſicut antè fuerat plena, redundat. Ad Aquilonem Bethleem in ualle contigua, ſepulchrum Dauid in medio eccleſiæ humili lapide tegitur, lampade ſuperpoſita: ad Auſtrum uerò in ualle contigua in eccleſia, ſepulchrum Hieronymi. Porrò ad Orientem in turre Ader, id eſt, gregis mille paſsibus à ciuitate ſegregata eſt eccleſia, trium paſtorum diuinæ natiuitatis conſciorum monumenta continens. Hęc relationẽ Archulphi epiſcopi ſecutus dixerim. Cæterùm Erras apertè ſcribit, in Hieruſalem Dauid eſſe ſepultum, uia regia, quæ ab Helia Cedron ducit, ab Oriente Bethleem, ab Occidente ſepulchrum Rachel, habens titulo nominis eius uſque hodie ſignatum.

*De ſitu Chebron, & monumentis patrum, & Adam.* Cap. IX.

CHebron in campi latitudine ſita eſt, & ab Helia uiginti duobus milibus ſeparata, uno ad Orientem ſtadio ſpeluncam duplicẽ in ualle habet, ubi ſepulchra patriarcharum quadrato muro circũdantur, capitib. uerſis ad Aquilonem: & hæc ſingula ſingulis tecta lapidibus inſtar baſilicę dolatis, trium patriarcharum candidis. Adã obſcurioris & uilioris operis, qui haud longo ab illis ad Borealem extremamq; muri illius partem pauſat. Trium quoq; fœminarum uiliores & minores memoriæ cernuntur. Mambre collis mille paſsibus à monumentis his ad Boream, herboſus ualde & floridus, campeſtrẽ habet in uertice planiciem, in cuius Aquilonali parte,



querçus Abrahæ, duorum hominum altitudinis truncus, eccleſia circundata eſt. Egredientibus uerò Chebron ad Aquilonem in ſiniſtra parte uiæ occurrit mons pinoſus, paruus, tribus milibus paſſuum à Chebron, unde Hieroſolymam pinea lignea feruntur in camelis. nã in omni Iudæa currus uel plauſtra raró fiũt.

*De Hiericho, & locis eiuſdem ſanctis.* Caput X.

HIericho ab Helia Orientem uerſus, nouendecim mille paſsibus abeſt, qua tertiò ad ſolum deſtructa, ſola domus Raab ob ſignum fidei remanet: eius enim adhuc parietes ſine culmine durant. Locus urbis ſegetes & uineas recipit. Inter hanc & Iordanem quinque uel ſex ab ea milibus ſeparatum, grandia ſunt palmeta cãpulis interpoſitis & inhabitatoribus Chananæis. Duodecim lapides, quos Ioſue de Iordane tolli præceperat, in eccleſia Galgatis facta altrinſecus iuxta parietes eiuſdem iacent, uix ſinguli nunc duobus uiris eleuabiles, quorum unus neſcio quo caſu fractus, ſed ferro mediante reconiunctus eſt. Eſt iuxta Hiericho fons uber ad potum, pinguis ad irrigandum, qui quondam ſterilis ad generandum, parum ſalubris ad potandum per Helizeum prophetam, dum uas ſalis in eum mitteret, ſanatus eſt. Denique campus circumiacet ſeptuaginta ſtadiorum in longitudinem, & uiginti in latitudinem patens, in quo mirabilis hortorum gratia, uaria palmarum genera, præſtantiſsimi apium fœtus. Illic opobalſamum gignitur, quod ideo cum adiectione ſignificamus, quia agricolæ cortice tenues uirgulas acutis lapidibus incidunt, in quibus balſama generantur, ut per illas cauernas paulatim diſtillans humor ſe colligat lachrymis pulchrè rorantibus. Cauerna autem Græco nomine ὀπὴ dicitur. Illic cyprũ, illic myrobalanum naſci ferunt. Aqua ut cætera fontium, illic tamen præſtantius: æſtate frigida, hyeme tepens: aër mollior, ut ſumma hyeme lineis utantur indumentis. Vrbs ipſa condita in campo, cui ſupereminet & nudus gignẽtium: ægrum enim & ieiunum ſolum, & ideo deſertum ab incolis. Hic à Scytopolis urbis terra, uſq; ad regionem Sodomitanam & Aſphaltios locus diffuſus habetur. Aduerſus hũc mõs ſupra Iordanem, ab urbe Iuliade uſque ad Zoaros Arabiæ Petræ conterminos extentus, ubi etiam mons eſt, ferreus nuncupatus. Inter hos duos montes campus iacet, quem ueteres magnum appellauere, Hebraice autem Aulon. Cuius longitudo ducentorum triginta ſtadiorum, latitudo centum uiginti: exordium à uico Gennabara, finis uſq; ad Aſphaltum lacũ. Iordanis eum medium interſecat, uiridantibus ripis fluminis alluuione. ſiquidem ſuper ripas eiuſdem, fructus arborum uberior eſt, aliàs longè exilior: arida ſunt enim omnia præter oram fluminis.

*De Iordane, & mari Galilææ ſiue Tiberiados.* Caput XI.

IPſius Iordanis exordiũ uulgò putatur in prouincia Phœnice, ad radices mõtis Libani, ubi Panium, id eſt, Cæſarea Philippi ſita eſt. Vnde & idem Panium, hoc eſt, ſpelæum, per quod ſeſe attollit Iordanis; à rege Agrippa decore admirabili extructum, uenuſtatumq; accepimus. Eſt autem in Traconitide terra fons, rotæ qualitatem exprimens, unde & Phialæ nomen accepit, quindecim à Cæſarea milibus paſſuũ diſcretus, ita iugiter plenus aquarum, ut neque ſuperfluant, neque unquam minuantur. In hunc Philippus tetrarches eiuſdem regionis paleas miſit, quas in Panio fluuius ebulliuit. Vnde liquet in Phiala principiũ eſſe Iordanis, ſed poſt ſubterraneos meatus in Panio cœpiſſe fluentũ, qui mox lacum ingreſſus, paludes eius interſecat: inde quoq; curſus ſuos dirigens, quindecim milia paſſuum ſine ulla interfuſione progreditur, uſq; ad urbem, cui Iulias nomen eſt: poſtea lacum Geneſar medio tranſit fluento. Vnde plurima circũuagatus Aſphaltium, hoc eſt, mortuum mare ingreſſus, laudabiles prodit aquas. Eſt enim coloris albi, ſicut lac, & ob hoc in mari mortuo longo tramite diſcernitur. Eſt autem Geneſar, id eſt, mare Galilææ magnis ſyluis circumdatum, in longitudine habens centum quadraginta ſtadia aquæ dulcis, & ad potandum habilis. Siquidem nec paluſtris uliginis craſſum aliquid aut turbidum recipit, quia arenoſo undique litore circunuenitur: ſed & amœnis circumdatur oppidis, ab oriente Iuliade & Hippo, ab occidẽte Tiberiade aquis calidis ſalubri: genera quoque piſcium guſtu, & in ſpecie quàm in alio lacu præſtantiora.

*De mari mortuo, & natura eius ſiue adiacentis terræ.* Caput XII.

MAre mortuum lõgitudine ſtadiorum quingentorum octoginta uſque ad Zoaros Arabiæ, latitudine centum quinquaginta uſque ad uicina Sodomorum protẽditur. Nam & de puteis quõdam ſalis, poſt Sodomæ & Gomorræ, & ciuitatum finitimarum combuſtionem, inundaſſe certiſsimum eſt. Apparet uerò procul de ſpecula montis Oliueti cernẽtibus, quòd fluctuum colliſione commotum, ſalſiſsimum eijcit ſal, & hoc ſole ſiccatum accipitur, multis ubique nationibus profuturũ. Aliter uerò in quodam Siculo monte ſal fieri dicitur, ubi lapides de terra euulſi, uerùm ſalſiſsimum ſal, & cunctis uſibus aptiſsimum præbeant, quod eſſe ſal terrę dicitur. Mortuum autẽ mare appellatur, quòd nihil recipiat generum uiuentium, neq; piſces, neq; aſſuetas aquis aues, tauri cameliq; fluitẽt. Denique ſi Iordanis imbribus piſces illuc influens rapuerit, ſtatim moriuntur, & pinguibus aquis ſupernatant. Lucernam accenſam ferunt ſupernatare ſine ulla conuerſione, extincto demergi lumine; quin & uas diuerſum arte quali-

qualibet difficile hærere in profundo, omniaq; uiuentia, diuerſa licet & uehementer illiſa, ſtatim reſilire. Deniq; Veſpaſianum præcepiſſe, nandi ignaros reuinctis manibus in profundū deijci, eosq; omnes ilico ſupernataſſe. Aqua ſterilis & amara, cęteriſq; aquis obſcurior, & quaſi aduſtæ præferens ſimilitudinem. Vagari ſuper aquas bituminis glebas certum eſt atro liquore, quas ſcaphis appropinquātes colligūt. Hærere ſibi bitumen fertur, & nequaquam ferro pręcidi, ſanguine tantum mulierū menſtruo uel urina cedere: utile eſt autem ad compagem nauium, uel corporibus hominum medendis. Seruat adhuc regio ſpeciem pœnæ: naſcuntur enim ibi poma pulcherrima, quæ & edendi cupiditatē ſpectantibus generant, ſi carpas, fatiſcunt ac reſoluuntur in cinerem, fumumq; excitant, quaſi adhuc ardeant. Sanè in diebus æſtatis immodicus per ſpacia cāpi æſtuat uapor, unde & coaleſcēte uitio nimiæ ſiccitatis atq; corruptus aër miſerādas incolis excitat ægritudines.

*De loco, in quo baptizatus eſt Dominus. Caput* XIII.

IN loco in quo Dominus baptizatus eſt, crux lignea ſtat uſq; ad collū alta, quæ aliquotiens aqua tranſcendente abſconditur: à quo loco ripa ulterior, id eſt, Orientalis in iactu fundæ eſt, citerior uerò ripa in ſupercilio monticuli grande monaſterium geſtat beati Ioannis Baptiſtæ eccleſia clarum: de quo per pontē arcubus ſuffultum ſolent deſcendere ad illam crucem, & orare. In extremo fluminis parte, quadrata eccleſia, quatuor lapideis cancris ſuperpoſita eſt, coctili creta deſuper tecta, ubi Domini ueſtimēta cum baptizaretur, ſeruata eſſe dicuntur. Hāc non homines intrare, ſed undiq; cingere ac penetrare ſolent, ab eo loco, quo de faucibus maris Galilææ Iordanis exit, uſq; ubi mare mortuū intrat, octo dierum iter.

*De locuſtis & melle ſylueſtri, & fonte ſancti Ioannis Baptiſtæ. Caput* XIIII.

MInimum genus locuſtarum fuiſſe, quo Ioānes baptiſta paſtus eſt, uſq; hodie apparet, quæ corpuſculis in modum digiti manus exilibus & breuibus, in herbis facile raptæ coctæq; in oleo, pauperem præbent uictum. In eodē deſerto ſunt arbores, folia lata & rotunda lactei coloris & melliti ſaporis habentes, quæ natura fragilia, manibus confricantur & edūtur. Hoc eſſe mel ſylueſtre dicitur. Ibidem & fons ſancti Ioannis Baptiſtæ oſtenditur lucida aqua, lapideo protectus tecto calce perlito.

*De fonte Iacob iuxta Sichem. Cap.* XV.

PRope ciuitatem Sichem, quæ nunc Neapolis dicitur, eccleſia quadrifida eſt, hoc eſt, in crucis modum facta. In cuius medio fons Iacob quadraginta cubitos altus, à latere ipſo uſq; ad ſummum digitorū extentus, de quo Dominus aquas à Samaritana muliere petere dignatꝰ eſt.

*De Tiberiade & Capharnaum, & Nazareth, & locis ibidem ſanctis. Cap.* XVI.

LOcus ille in quo Dominus panes benedixit & piſces citra mare Galilææ, ad Aquilonem ciuitatis Tiberiadis, campus herboſus & planus, nunquam ex illo tempore aratur, nulla ſuſcipiens ædificia, fontem tantùm, ex quo tunc illi biberunt, oſtendens. Qui ergo ab Helia Capharnaum pergunt, per Tiberiadem iter habent, deinde ſecus mare Galilææ, & locum benedictionis panum, à quo non longè Capharnaum in finibus Zabulon & Nephtalim, quæ murum non habet, anguſto inter montē & ſtagnum ſitu, ſuper maritimam oram Orientē uerſus longo tramite protenditur, montem ab Aquilone, lacum ab Auſtro habens. Nazareth muros non habet, ſed magna ædificia, duasq; grandes eccleſias. Vna eſt in medio ciuitatis ſupra duos fundata cancros, ubi quondam fuerat domus, in qua Dominus nutritus eſt infans. Hæc autem eccleſia duobus (ut dictum eſt) tumulis, & interpoſitis arcubus ſuffulta, habet inferius inter eoſdem tumulos fontem luc idiſſimum, unde ciues omnes aquas in uaſculis per trochleas in eccleſiam extrahunt: altera uerò eſt eccleſia, ubi domus erat, in qua angelus ad beatam Mariam uenit.

*De monte Thabor, & tribus eccleſijs ſuper eum. Caput* XVII.

MOns Tabor in medio Galilææ campo, in tribus milibus manans ad Boream à Cheneſareth diſtat, ex omni parte rotundus, herboſus ualde & floridus, altitudine triginta ſtadiorum. Vertex ipſe campeſtris & multum amœnus uiginti & trium ſtadio dilatatur, ubi grande monaſterium, grandi quoq; ſylua circundatur, tres eccleſias habēs, iuxta quod Petrus ait, Faciamus hic tria tabernacula. locus muro cinctus, grandia geſtans ædificia.

*De ſitu Damaſci. Caput* XVIII.

DAmaſcus in campo ſita, lato & amplo murorum ambitu, & crebris munita turribus, quam magna quatuor flumina interfluunt: ubi dum Chriſtiani ſancti Ioannis Baptiſtę eccleſiā frequentant, Saracenorum rex cum ſua gente aliam inſtituit atq; ſacrauit. Plurima extra muros in gyro Olíueta. A Tabor uſque Damaſcum, ſeptem dierum iter.

*De ſitu Alexandriæ, & Nilo & eccleſia, in qua requieſcit Marcus Euangeliſta. Caput* XIX.

ALexandria ab occaſu in ortum ſolis longa, ab Auſtro oſtijs Nili cingitur, ab Aquilone





lacu Mareotico: cuius portus cæteris difficilior, quaſi ad formam humani corporis in capite ipſo & ſtatione capacior, in fluctibus uerò anguſtior, quia meatus maris ac nauium ſuſcipit, quibus quædam ſpirandi ſubſidia portui ſubminiſtrantur. Vbi quis anguſtias atq; ora portus euaſerit, tanquam reliqua corporis forma, ita diffuſio maris longè lateq; extēditur. In eiuſdē dextera portus paruus habetur, in quo Pharus, id eſt, turris eſt maxima, nocturno tempore flāmarum facibus ardēs, ne decepti tenebris nautę in ſcopulos impingant, & ueſtibuli limitem comprehendere nequeant, qui & ipſe ſemper inquietus eſt, fluctibus hinc inde collidētibus: portus uerò placidus ſemper, amplitudinē habens triginta ſtadiorum: à parte Aegypti urbē intrantibus ad dexteram occurrit eccleſia, in qua beatus euangeliſta Marcus requieſcit. Cuius corpus in Orientali parte eiuſdem eccleſiæ ante altare humatum eſt, memoria ſuperpoſita, de quadrato marmore facta. Circa Nilum Aegyptij aggeres crebros propter irruptionē aquarum facere ſolent, qui ſi fortè cuſtodum incuria rupti fuerint non irrigant, ſed opprimunt terras ſubiacentes: & qui plana Aegypti incolunt ſuper riuos aquarum, ibi domos faciunt tranſuerſis trabibus ſuperponentes.

*De Conſtantinopoli, & baſilica in ea, quæ crucem Domini continet. Cap.* XX.

COnſtantinopolis undiq; præter Aquilonē mari cincta, quòd à mari magno, ſexaginta milibus paſſuum uſq; ad murum ciuitatis, & à muro ciuitatis uſq; ad oſtia Danubij quadraginta milibus paſſuum extenditur, ambitu murorum iuxta ſitum maris anguloſo duodecim milia paſſuum circumplectitur. Hanc primò Conſtantinus in Cilicia iuxta mare, quod Aſiam Europāq; diſterminat, ædificare diſpoſuit, ſed quadam nocte ferramenta omnia ablata, miſsis qui requirerent, in parte Europæ inuenta ſunt: ibi enim fieri Dei uoluntas intellecta eſt. In hac urbe baſilica miri operis, quæ ſanctæ Sophiæ cognominatur, rotundo ſchemate, & à fundamētis conſtructa & concamerata tribus cincta parietibus, & magnis ſuſtentata columnis arcubusq; ſublimata eſt: cuius interior domus in Aquilonali ſui parte grande & ualde pulchrū armarium habet, in quo capſa lignea ligneoq; operculo tecta crucis Dominicæ tres particulas continet, longum uidelicet lignum in duas partes inciſum, trāſuerſum eiuſdem ſanctæ crucis lignum. Hæc tribus tantum per annum diebus, hoc eſt, cœna Domini, in paraſceue, & in ſabbato ſancto, populis adorāda profertur: quarum prima capſa illa ſuper altare aureum, duos cubitos altitudinis, & unum latitudinis habēs, cum cruce ſancta patefacta componitur: accedensq; primus imperator, deinde cunctus per ordinem laicorum gradus ſanctam crucem adorat & oſculatur: ſequenti die Imperatrix, & omnes matronæ uel uirgines idem faciūt: tertia nihilominus die epiſcopi & cuncti clericorum gradus idem faciunt, & ſic capſa recluſa ad ſupradictum armarium reportatur. Quādiu autem ſuper altare manet aperta, totam eccleſiam mirus odor perfundit. De nodis enim ligni ſancti liquor odorifer oleo ſimilis profluit, cuius ſi etiam modica particula contingat, omnem ægritudinem ſanat.

VERSVS EIVSDEM.

Deſcripſi breuiter fineſq; ſituſq; locorum,
  Pagina ſacra magis, quæ memorāda refert,
Beda ſequēs ueterū monimēta, ſimulq; nouorū
  Charta magiſtrorum quæ ſonet inſpiciens.
Da Ieſu patriam ſemper tendamus ad illam,
  Quam beat æternum uiſio ſumma tui.

PERORATIO.

HAec de locis ſanctis prout potui fidem hiſtoricam ſecutus poſui, & maximè Archulphi dictatus Galliarū epiſcopi, quos eruditiſsimus in ſcripturis presbyter Adomnanus laciniosò ſermone deſcribens, tribus libellis comprehendit. Siquidem memoratus Antiſtes, deſiderio locorum ſanctorum patriam deſerens, terram repromiſsionis adijt, aliquot menſibus Hieroſolymis demoratus, ueterano monacho nomine Petro duce pariter atq; interprete uſus, cūcta in circuitu quæ deſiderauerat, uiuida intētione luſtrauit: necnon Alexandriam, Damaſcum, Conſtantinopolim, Siciliamq; percurrit. Sed cum patriam reuiſere uellet, nauis qua uehebatur poſt multos anfractus uento contrario, in noſtrā, id eſt, Britannorum inſulam portata eſt: tandemq; ipſo poſt nonnulla pericula ad pręfatum uirum uenerabilem Adomnanum ueniens, iter pariter ſuum, & ea quę uiderat explicando, pulcherrimæ illū hiſtoriæ docuit eſſe ſcriptorem. Ex qua nos aliqua decerpentes ueterumq; libris comparantes, tibi legenda trāſmittimus, obſecrantes per omnia, ut præſentis ſeculi laborem, nō ocio laſciui temporis, ſed lectiōis orationiſq; ſtudio, tibi tēperare ſatagas.

FINIS LOCORVM SANCTORVM.

# Bedæ interpretationes nominum Hebraicorum.

AAc, apprehēdēs, uel apprehēſio.
Aad, teſtificās, uel teſtimonium.
Aadhar, deprecatio, uel deprecationi.
Aalma, uirgo abſcondens, uel abſcondita, uel abſconſio uirginitatis.
Aara, montana, uel mons fortitudinis.
Aaron, mons fortis, uel mons fortitudinis, ſiue montanus, aut mons eorum.

Aaronitæ,montes robuſti, uel montium forti-
tudines:ſiue montani,aut montes eorum.
Aars, ſol, uel lumen: ſiue illuminans, aut illu-
minatio.
Aathar, de patre tuo, uel tempore tuo, ſiue tu
ante,aut temporalis tuus.
Aaz,apprehendẽs,uel fortitudo:ſeu fortis,aut
apprehenſio.
Aazia,patruus, uel patruelis:ſeu apprehendẽs
Dominum,aut fortitudo Domini.
Abba,pater,uel paternitas. Syrum eſt,non He
bræum.
Abacuc,luctator fortis,uel rigidus: ſiue cõple-
xans eos,aut ſuſceptio eorum,ſiue ſuſtenta-
tio eorum.
Abbadia,ſeruus Domini, uel ſeruiẽs Domino.
Abbaga,pater ſolennis,uel patris ſolẽnitas:ſeu
pater loquens,aut patris locutio.
Abbaia, pater Dominus,uel pater abundans:ſi
ue pater meus iſte,aut patris mei abundãtia.
Abbaim,pater eius,uel paternitas eorum.
Abana,pater gratus,uel lapides colligens.
Abani,patris requies, uel pater commotus:ſeu
pater gratus mihi, uel pater gratificans me.
Abamia,pater gratus Domino, uel pater grati
ficans Deum.
Abaria,tranſiens Dominus,uel in tranſitu Do-
mini:ſiue pater ſuſcitans Dominum, aut pa-
ter uigilans à Domino.
Abarim,pertranſiens, aut pertranſitio: ſeu mõ
tes in tranſitu,uel montes tranſeuntium.
Abaron,pater ſuſcitãs dolorem,uel pater uigi-
lans murmurationi: ſiue pater ſuſcitans ini-
quitatem,aut pater uigilans inutilitati.
Abasbai,parcens,uel pepercit:ſeu parcens mi
hi,aut parſimonia mea.
Abatha,pater tangens ridentem, uel patris ta-
ctus ridentis.
Abda,ſeruiens,uel ſeruitium: ſiue ſeruus eius,
aut ſeruiens ei.
Abdai, ſeruus meus,uel ſeruiens mihi: ſiue ſer-
uiens eius,uel ſeruitus mea,uel ſeruitium e-
ius mihi.
Abdehel,ſeruus Dei,uel ſeruiens Deo.
Abdemelech,ſeruus regis,uel ſeruiens regno:
ſiue ſeruus regius,aut ſeruus regnator.
Abdenago,ſeruus tacẽs,uel ſeruiens taceo, uel
Domini auxilium, aut Dominus auxiliator.
Abdi,ſeruus meus,uel ſeruiens mihi.
Abdias, ſeruus Domini,uel ſeruiens Domino:
ſiue Domini teſtis,aut Domino electus.
Abdiel,ſeruus Dei,uel ſeruiens Deo.
Abda,ſeruus eius,uel ſeruiens ei.
Abdai,ſeruus meus,uel ſeruiens mihi:ſiue ſer-
uitus eius,uel mea,uel ſeruitium eius mihi.
Abdoni,ſeruiens eis,uel ſeruus eorum.
Abdon,ſeruus mœrens,uel ſeruus inutilis..
Abdon,ſeruus muſsitans,uel ſeruus iniquus.
Abdon, ancilla dolẽs, uel ſeruiẽs murmurãdo.
Abed,ſeruus populi,uel ſeruiens populo.
Abedia,ſeruiẽs Domino, uel ſeruitiũ Domini.
Abel,committens,uel commiſsio. (bilis.
Abel,luctus,uel pauor:ſeu uanitas,aut miſera-

Abdela,committẽs ei, uel commiſsio eius:ſiue
lugens eum,aut miſerabilis ei.
Abelga,uapor uallium,uel luctus deuorans.
Abelmain,uanitas habitaculi, uel luctus inha-
bitantium.
Abelmeola,uapor uallis falſæ,uel luctus partu
rientium:ſeu uanitas domicilij, uel miſerabi
litas inhabitationis.
Abelmeula,idem eſt.
Abelſatim, uapor ſpinoſus, uel luctus germi-
nans:ſeu miſerabilis poſitio, aut uanitas re-
ſurrectionis.
Abemboen, lapis pollicis eorum, uel lapis in
medio eorum. (eorum.
Abenezer, lapis adiutorij, uel lapis auxiliator
Abenner,lapis lucidus,uel pater lucernæ.
Aber,cõmiſit,uel certamẽ inijt: ſeu particeps,
aut participatio. (ratus.
Abel,uulnus,uel liuor: ſiue liuidus, aut uulne-
Abeſſalon,pax patris, uel pater pacis: ſiue pa-
tris luctus,aut patris amaricatio.
Abeſſan,pater abundans,uel patris egreſsio.
Abethã,patris repulſio, uel uia explorationis.
Abgata, pater tangens ridentem,uel patris ta-
ctus ridentis. (nis.
Abethſethim,luctus lictorũ, uel uanitas germi
Abia,pater Dominus,uel patris Dominũ: ſiue
Domini paternitas,aut ubi pater fuit.
Abiahel, pater Dominus Deus, uel paternitas
Domini Dei. (tatio.
Abiail,pater meus exultãs, uel patris mei exul
Abial, pater meus contemptus,uel patris mei
deſpectio.
Abiasbori,pater meus ſuperintelligens,uel pa
tris mei ſuperintelligentia.
Abiã,patris mei populus,uel pater meus eorũ.
Abiaſab, pater meus colligens, uel patris mei
collectio. (cõgregatio.
Abiaſaph,pater meus cõgregãs,uel patris mei
Abiathar,pater meus ros,uel pater meus ſuper
fluus:ſiue pater meus ſuſcitãs peccatum,aut
pater meus peccato uigilans.
Abida, pater meus ſciẽs, uel patris mei ſciẽtia.
Abidae, idem.
Abidam,pater meus ſciens eos,uel pater meus
ſcientia eorum. (cium.
Abidã, pater meus iudex, uel patris mei iudi-
Abiel,pater meus Deus,uel patris mei deitas.
Abiẽ,patris mei mater, uel pater me⁹ matern⁹.
Abiezer,pater meus fortis,uel patris mei auxi
lium: ſiue pater meus ſeparatus, aut patris
mei ſanctificatio.
Abiezeri, patris mei auxilium,uel pater meus
auxiliator meus.
Abigabaõ, pater collis mœrẽtis, aut pater ual
lis mœſtitiæ:ſiue pater meus uallis mœſta,uel
pater meus collis mœrentium. (ultatio.
Abigail,pater meus exultãs,uel patris mei ex-
Abigal, pater roris, uel erroris:ſiue patris mei
aceruus,aut patris mei inuolutio.
Abihel, pater meus Deus, uel patris mei dei-
tas,uel imploratio. (tio.
Abilma,lugẽs,uel plorãs:ſiue luctus,aut plora-
Abil-



Abilmei,lugẽtes,uel plorãtes: ſeu uani,aut mi
Abilmes,idem. (ſerabiles.
Abimahel, pater meus à Deo, uel pater meus
exaudiens Deum. (gnum.
Abimalech, pater meus rex,uel patris mei re-
Abim,pater menſuræ, uel pater menſuratus:ſi-
ue pater fuit, aut pater erit. (tio.
Abinaã,patris mei decus, uel patris mei cõmo
Abinadab, patris mei uotum, uel pater meus
ſpontaneus. (quietio.
Abinoen, patris mei fidelitas:uel patris mei re
Abira,pater meus magiſter,uel patris mei ma-
giſterium.
Abiram, pater meus excelſus, uel pater meus
exaltatus:ſiue pater meus ſublimis, aut pa-
tris mei ſublimitas.
Abirõ,pater magiſter muſsitãs, uł pater meus
magiſter murmurans:ſiue pater meus magi
ſter iniquus,aut pater meus magiſter inutilis
Abiſa,pater ſalutis,uel patris ſalutare.
Abiſa,pater meus ſacrificans,uel patris mei ſa
crificium, ſiue patris mei incenſum, aut pa-
tris mei holocauſtum. (hi.
Abiſai,pater ſalutis meę,uel patris ſalutare mi
Abiſai, pater meus incenſum mihi, uel pater
meus ſacrificium meum.
Abiſai, pater meus ſuperfluus, uel patris mei
rugitus. (cauſtum.
Abiſag,patris mei incẽſum, uł patris mei holo
Abiſue, pater meus cantans,uel patris mei can
tilena: ſiue pater meus loquens, aut patris
mei locutio. (ctus.
Abiſur,pater meus mutus,uel pater meus dire
Abiſur,pater meus robuſtus,uel pater meus an
guſtiatus:ſiue pater meus continens;aut pa-
tris mei acerbitas.
Abithal,pater meus ros, uel pater meus irrora
tus: ſiue patrem meum apprehendens, aut
patris mei apprehenſio.
Abiu,pater meus eſt,uel pater meus ipſe.
Abiud,patris robur,uel patris robor:ſiue pater
eorum,aut pater meus iſte.
Abner,pater lucidus,uel patris lucerna, uel pa
ter luminis.
Abobi,pater incãtator, uel patris amplexatio.
Abor,pater montium, uel patris foramen: ſeu
pater luminis,aut pater iracundus.
Abra,patris magiſterium, uel patris exaltatio.
Abraam, pater uidens populum, uel pater ui-
dens multitudinem:ſeu pater multitudinis,
aut pater multarum, ſubintelligitur gentiũ.
non eſt enim in nomine.
Abrech, pater delicatus,uel pater tenerrimus.
Ipſe eſt Ioſeph, qui prælatus Aegyptiorum,
cum eſſet tener ac delicatus ætate iuuentu-
tis, factus eſt pater ſenum merito ſapientiæ,
& prælatus ſapientibus.
Abſalon,pax patris, uel pater pacis, uel patris
luctus,aut patris amaricati.
Abſalon, patrem meum pacificans, uel patris
mei amaricatio.
Abſanias,pater egreſſus Domino,uel patris ab
undantia Domini.



Abur, patris lumen,uel pater igneus:ſeu pater
incendens,aut patris apertio. (tus.
Abur,liuor,uel plaga:ſeu liuidus,aut uulnera-
Achab,frater patris,uł fraternitas paternitatis
Acham,frater patris ſui, uel fraternitas pater-
nitatis ſuæ.
Achaim,decenter,uel ſcorpiones.
Achaia, ſoror laborans, uel ſoror quæ, ſiue ſo-
ror Domini,aut frater eius Dominus.
Achaicus,frater laborans, uel frater quis: ſiue
frater Domini, aut frater eorum Dominus.
Achaici, fratres laborantes, uel fratres qui:ſeu
fratres Domini, aut frater eorum Dominus.
Achaim, prærupta umbracula:ſiue ſoror labo-
ris,aut frater eorum.
Achal,omnia,uel in omnibus:ſeu frater conce
ptus,aut fratris commixtio.
Acham,labor, uel neceſsitas: ſeu coluber inſi-
dians,aut fraternitas eorum. (mus.
Achamoni,frater ſapiẽtiæ,uel frater ſapiẽtiſsi-
Achan,neceſsitas,uel tribulatio.
Acharan,retinens, uel apprehendens:ſiue reti
nens gratiam,aut apprehenſio gratiæ.
Achar, merces, uel turbator: ſiue tumulus, aut
peruerſio.
Acharam,turbans populum,uel peruerſio po-
puli: ſiue peruertens eos,aut turbatio eorũ.
Acharã, merces gratiæ,uel turbãs gratificatas.
Accharca,infernus,uel pauimentum.
Acharis,ſterilis,uel ingratus:ſeu ſterilitas, aut
ingratitudo.
Acharob,mures,uel demolitio.
Accaron,in paſcuis,uel gregis paſcua:ſeu ſteri
litas,aut eruditio triſtitiæ.
Accaronitæ,in paſcuis, uel in paſcua gregum:
ſiue ſteriles,aut erudimenta triſtitiarum.
Achas,tenens,aut apprehendẽs: ſiue retentio,
aut apprehenſio.
Achan,conuertens,uel apprehendens:ſiue cõ-
uerſus uiſioni, aut apprehendens fortitudi-
nem,id eſt,reſurrectionem Domini.
Achaſias,apprehendens Dominum,uel appre
henſio Domini:ſeu conuerſus fortiter Domi
no,aut apprehendens uiſionem Dominicã.
Achaſib,frater lupi,uel frater deuorans:ſeu te-
nens lupum, aut apprehẽdens rapacitatem.
Acſa,claudicans,uel fractura. (tionis.
Acſaph,clauda collectio,uel fractura cõgrega-
Aces,hamus,uel retentio:ſiue humilis, aut hu-
Acces,idem. (militas.
Acceret, diſsipans,uel diſperdens: ſiue demo-
liens,aut interficiens.
Accerethi,diſsipans me, uel diſperdens me, ſi-
ue demolitio mea, aut interfectio mea.
Achela,ſuſcipiens eum,uel ſuſceptio eius.
Acheldemah, ager ſanguinis, uel ager ſangui-
neus. Syrum eſt, non Hebræum.
Acherubin,cognoſce, uel intellige: ſiue ſciens
multitudinem,aut multitudo ſcientiæ.
Achi,frater meus,uel fraternitas mea.
Achia, umbraculum,uel præruptio: ſeu frater
Domini,aut fraternitatis Dominus.
Achiam, frater populi,uel fratris populus: ſiue
 umbra-

umbraculum eis,aut præruptio eorum.
Achias,merces,uel retributio:ſeu frater Dominus,aut fraternitas Domini.
Achie,umbraculum,uel in collibus.
Achila,ſuſcipiens eum,uel ſuſceptio eius.
Achilai,ſuſcipiẽs eũ mihi,uł ſuſceptio eiꝰ mea.
Achim,fletus,uel plorans : ſiue frater eius,aut fraternitas eorum.
Achimaas, fratris mei onus, uel fratris mei aſſumptio.
Achimai, frater meus reductus , uel fratris mei reductio. (modo.
Achimau,frater meus qs,uel frater meus quo/
Achimelech , frater meus rex , uel fratris mei regnum.
Achimoth , frater meus mortuus, uel fratris mei deſertio.
Achimaam,fratris decor,uel frater decorus.
Achinoem,fratris decus, uel fraternitati delectabilis.
Achior,fratris mei lumẽ,uel frater meus montanus:ſeu fratris mei foramẽ , aut fratris mei iracundia.
Achis,frater meus,uel quomodo eſt.
Achis,frater uir, uel uerũtamẽ uir frater meus, aut fraternitas uiri.
Achiſamech, fratrem meum corroborans, uel fratris mei firmamentum.
Achiſamech, fratrem adiuuans,aut fraternitatis adiutor : ſeu fraternitatis fultura,aut fraternitatis erectio. (nitas.
Achitob,frater meus bonus,uel fratris mei bo-
Achitophel,frater meus cadẽs,uel frater meus irruens:ſiue frater meus tractans , aut frater meus cogitans.
Achiſib,ſtultitia,uel mendaciũ:ſeu frater meus deuorans,aut fratris mei hoſtia.
Accho , hamus , uel uſq; adhuc,ſiue humilitas, aut retentio.
Acchoe,hamus,uel uſq; huc:ſeu retinens eum, aut humilitas eius. (retenti.
Acchoitæ, hami, uel uſq; huc:ſiue humiles,aut
Acchos,hamus,uel uſq; huc:ſiue humilitas,aut retentio.
Achobor, mures,uel deuaſtatio.
Achor, turbatio,uel tumultus:ſeu peruertens, aut peruerſio.
Achor,fratris lumẽ,uel fratris altitudo : ſeu fratris foramen,aut fratris iracundia.
Achron,retentio, uel apprehenſio:ſeu retinẽs, aut apprehendens. (tio.
Achub,hami grauitas,uel humilitatis cõdẽna-
Accupha,hamus ſubditꝰ,uel humilis eructatio
Acchus,retinẽs conſiliũ,uel humilis cõſiliator.
Acchur,retinens lumen,uel humilitas ignea.
Achzib,retentio, uel derelicta:ſeu mẽdacium, aut ſtultitia.
Achziba,mentiens ei,uel ſtultitia eius:ſeu retinens eum,aut derelicta ei.
Ada,teſtificans,uel teſtimonium. (truelis.
Adad,teſtis,uel patruus:ſiue præcipuus,aut pa
Adada,teſtis eius, uel uſq; ad teſtimonium;ſiue præcipuus ei,aut patruelis eius.
Addabarim , deuteronomium Græcè,ſecunda legiſlatio Latinè. (rator.
Adadezer,decorũ auxiliũ, uel præcipuus ſepa
Adadezer,teſtimoniũ fortitudinis , uel patruelis ſanctificatio : ſiue fortitudine præcipuus, aut teſtificatio ſanctificationis.
Adaglã, congregãs eos , uel cõgregratio eorũ.
Adai , robuſtus, uel ſufficiens : ſiue teſtis meus, aut fortitudo mea.
Adaia , ſeruiens Domino , uel teſtimoniũ Dñi.
Addaia,ſeruus Domini,uel teſtificãs Dominũ.
Adalia,ſeruus laborans,uel ſeruus laborioſus.
Adam , homo , aut terrenus : ſiue indigena,uel terra rubra.
Adama , humus , aut terra ; ſiue terrena, uel deſiderabilis.
Adamę,cruores,uel ſanguines plurali numero
Adami,magnificans,uel qui eſt magnificentia: ſiue ſeruiens populo meo,aut teſtificans populum meum.
Adar,grex,uel populus.
Adar,pallium,uel ſublimis:ſiue teſtis uigilans, aut ſeruus ſuſcitator.
Adarſa,teſtificans ſolẽ,uel ſeruus illuminator.
Adaſſa, noua , uel nouitas:ſeu teſtis factus , aut ſeruitus plaſmationis.
Adaſſor,ſeruus fortis,uel teſtis anguſtiatus:ſeu ſeruiẽs petræ,aut teſtificans ſagittã luminis.
Adgam,pater ſordis,uel teſtis ſordidus.
Admatha , ſeruus donator, uel teſtificans conſummationem.
Adrach,ſtola,uel decorus : ſiue indumenti,aut induitio. (mõrum.
Adraim,mũdans peſsimos, uel mũdatio peſsi/
Adramelech , ſtola regis , uel decor regni : ſeu rex indutus,aut regnator decorum.
Adenabeth,ſeruus prophetizans,uel teſtificator prophetiæ.
Ader,rex effuſus,uel turris gregis: ſiue teſtis uigilans,aut ſeruus conſurgens.
Adeſa,teſtis facturæ,uel ſeruus plaſmator : ſiue ſeruitus nouitatis,aut teſtificatio ſanctifica/
Adema,ſeruus dñi,uel teſtificãs dñm. (tionis.
Adrahel,greges Dei,uel oues diuinæ:ſeu decorans Deum,aut induitio Dei.
Adremelech, ſtola regis, uel decor regni ; ſiue rex indutus,aut regnator decorus.
Adremmon,teſtis ſublimis,uel ſeruus eccleſiæ.
Adrezer, ſtola fortis , uel decor ſeparatus : ſeu decorũ auxiliũ, aut indumentũ ſanctificatio
Adi,ſeruus meus,uel teſtimoniũ meũ. (nis.
Adiada, ſeruiẽs teſtib. uł fortitudo teſtificãtiũ.
Adihel,ſeruus Dei , uel teſtificans Deũ deorũ.
Adin,ſeruiens cauſæ,uel teſtis iudicij.
Adina,ſeruiẽs cauſæ eius,uel teſtis iudicij eius.
Adino,tenellus,uel delicatus : ſeu fortis iudex, aut fortis cauſator.
Adithaim,ſeruitus duplex,uel teſtificatio.
Adrias, continens mala,uel locus malorũ : ſiue decor facturæ,aut induitio plaſmationis.
Adrihel,populus Dei,uel oues diuinæ ; ſeu decorans Deũ,aut induitio Dei. (do eius.
Ado,ſeruꝰ,ſeu teſtis;uel ſeruiẽs dño,aut fortitu





Adoar,ſeruus uigilans,uel ſeruus ſuſcitator.
Adoch , ſeruum tenens , uel teſtificationis apprehenſio.
Adollam,congregans eos, uel congregatio eorum : ſeu teſtimonium aquæ, aut teſtificatio in aqua.
Adollamin,idem quod Adollam.
Adollamites,congregans eos , uel cõgregatio eorũ:ſeu teſtis aquæ, aut teſtificatio in aqua.
Adom,ſeruiens eis,uel fortitudo eorum.
Adomin,rubra,uel aſcenſus ruforum.Iſte eſt locus ille cruentus & ſanguinarius,quò deuenit homo , qui ab Hieruſalem deſcendit in Hiericho,& incidit in latrones.
Adon,ſeruus mœrens , uel teſtis murmurans:ſiue fortis iniquus,aut fortitudo inutilis.
Adonai,Dominus,uel dominator.
Adonaia,dñs dominãs,uel domini dominatio.
Adonias , dominator eſt Dominus , uel Domini eſt dominatio.
Adonibezech, Dominus micãs , uel Dominus fulgurans , uel Dominus dominator egeſtatis,aut Dominus dominator uani cõtẽptus.
Adonicham , Dominus callidus , uel dominator calliditatis.
Adoniram , Dominus exaltatus , uel dominator ſublimis.
Adoniſedech , Dominus pacis , uel dominator iuſtitiæ.
Adopſithe,libertas,uel gaudium. (tionis.
Ador,ſeruitus generãs:uel teſtificatio genera/
Adulã,teſtimoniũ prius, uel ſeruiẽs æternitati.
Adurã,ruina exaltata,uel fluuius exaltatus,uel decor excelſi,uel generatio excelſa , uel decor excelſus,aut fluuius generationis.
Aduram , decor excelſi , uel generatio excelſa: ſeu decor excelſus,aut fluuij exaltatio.
Adrumẽtina,uiſio ſublimis,uł uidẽs ſublimiter
Aegla , uitula, uel iuuencula : ſiue ſolennis,aut feſtiuitas eius.
Aegyptus,tenebrę,uel anguſtia:ſiue tribulatio coanguſtãs, aut tribulationis coanguſtatio.
Aegyptij,tenebræ, uel anguſtantes:ſeu tribulãtes coanguſtatos , aut tribulatores coanguſtatorum.
Aeglon,iuuencula,uel uacca eorum:ſeu uacca mœrens , aut iuuencula inutilis.
Aelam , ueſtibulum , uel ante fores : ſeu poſtis, aut ſuperliminare.
Aelamite, ueſtibula, uel ante fores : ſeu poſtes; aut ſuperliminaria.
Aelam,appoſita,uel obiecta:ſeu deſpiciens,aut comparata.
Aelamitæ , appoſiti,uel obiecti : ſeu deſpicientes, aut comparati.
Aelmoth , tabernæ , uel officinæ : ſeu tabernæ mortis,aut officinæ mortuorum. (eius.
Aena, fons, uel biuiũ : ſeu fons eius, aut oculus
Aendor,fons generãs , uel oculus generatiõis.
Aenas , pauper , uel miſer ; ſeu reſpondens,aut reſponſio.
Aengamin,fons hortorum,uel oculus elatorũ.
Aenon,fons eorum,uel oculus eorum.



Aerim,aceruus lapidum , uel aceruati lapides.
Aeſdrelõ,auxilium mœroris, uel miſericordia dolentium.
Aeſmon, terra deſerta, uel terra inculta:ſeu terra mœrens,aut terra inutilis.
Aetham , ualida , uel antiqua : ſiue aſcendens, aut fortitudo.
Aethi,obſtupefaciens,uel perterrẽs : ſeu terror patris mei,aut ſtupefaciens pater meus.
Aethiopia,tenebræ, uel caligo:ſeu tenebrans, aut caligans.
Aethiopes , tenebroſi , uel caliginoſi, ſeu tenebrantes,aut caligantes.
Aethonodoſai,uia inferior, uel uiãtes inferius.
Aphaim, humus eorum , uel uolatus eorũ : ſeu liberans eos,aut ſecuritas eorum.
Apha,idem.
Aphaim,humus,uel uolatus:ſeu liberans pauperes,aut ſecuritas gratiæ.
Apham,humus mea,uel uolatus meus:ſeu liberãs pauperes meos,aut ſecuritas gratię meę.
Aphar,terra,uel puluis:ſiue humus,aut fodiẽs.
Aphar,puluis ſuſcitans,uel humus uigiliæ ; ſeu liberans uigiles , aut ſecuritas ſuſcitatorum.
Aphara, terra eius,uel puluis eius : ſiue humus eius,aut fodiens eum.
Aphara,puluis ſuſcitãs eum,uel humus uigiliæ eius:ſeu liberans uigilantes eis,aut ſecuritas ſuſcitatorum eius.
Aphara,taurus,uel uitulus:ſeu puluis eius,aut fodiens eum.
Apharam,fodiens humum,uel puluis inutilis.
Apharaim,puluis ſuſcitans eos, uel humus uigilia eorum : ſeu liberans uigilantes eis,aut ſecuritas ſuſcitatorum eius.
Apharim,fodiens mare,uel maris effoſsio.
Apharim,puluis ſuſcitans eos,uel humus uigiliæ eorum:ſeu liberans uigilantes eis,aut ſecuritas ſuſcitatorum eius.
Apharſa,terra digna,uel fodiens eleuationem: ſeu liberalitas ſolis , aut liberãs illuminatos.
Apharſacei,terreni dignè,uel fodientes eleuatos:ſeu liberi ſolis,aut liberãtes illuminatos.
Apharſual , tellus ſaluata,uel terra ſalutis : ſiue puluis ſuſcitans ſalutem,aut humus uigilans ſaluationi.
Arphaſothi, ſecuritas,uel libertas:ſeu liberum germen, aut ſecuritas reſurrectionis.
Apharias,iudicans Dominus, uel iudiciũ Dñi.
Aphec, continuit , uel continentia : ſiue continens,aut furor nouus.
Aphec, continebit, uel apprehendet:ſiue continens,aut apprehenſio.
Apheca,continebit eum,uel apprehẽdet eum: ſiue continentia eius, aut apprehenſio eius.
Aphee, furor alienus,uel uita diſsipata:ſeu uitam diſsipans,aut uitæ diſcuſsio.
Apheleti,mirabilis,uel admirandus: ſeu uiuificans,aut excludens. (lus.
Apher,humus,uel fodiens:ſeu puluis, aut uitu
Apherezei,ſeparati, uel abſq; muro:ſeu fodientes obuiam , aut uituli fornicantes.
Aphes,in finibus,uel in extremis.

Aphes,liberè egrediẽs,ul' ſecuritas egreſsiõis.
Aphia,liberalis Dominus, uel liberalitas Dñi.
Aphrica,fertilis,uel augmentata.
Aphricani,fertiles,uel augmentati.
Aphiba,colligens rectè, uel congregãs cõuerſionẽ:ſeu liber egreſſus, aut ſecura egreſsio.
Aphith, ſecurus,uel liber: ſeu ſecuritas, aut liberalitas.
Aphon,uolãs iniquè,uel uolatus mœroris: ſeu liberè murmurans,aut ſecuritas inutilis.
Aphonitæ, uolantes iniquè, uel uolando mœrentes: ſeu ſecuri inutiliter, aut liberè murmurantes.
Aphus,uolans conſilio,uel uolatus conſilij: ſeu liberè conſulens,aut ſecurus feſtinator.
Aphuth,eius indumẽtum, uel eius declinatio.
Aphutei,eius indumẽta,uel eius declinatiões.
Aga, loquens, uel meditans: ſeu meditatio,aut loquela.
Agaba,feſtiuus pater,uel ſolennitas patris.
Agabus, nuncius tribulans, uel tribulationis annunciatio.
Agag, δῶμα, uel tectum: ſeu feſtiuè ſolennis, aut feſtiua ſolennitas.
Agagitæ, δώματα, uel tecta: ſiue ſolennes feſtiuè, aut feſtiui ſolenniter.
Agai,quæſtio,aut feſtiuitas: ſeu loquens mihi, aut meditatio mea.
Agla,uitula,uel iuuencula: ſeu ſolennis, aut feſtiuitas eius.
Agar,aduena,uel conuertens: ſeu feſtum ſuſcitans,aut ſolennitas uigiliæ.
Agareni,aduenę,uel conuerſi: ſeu feſta ſuſcitantes,aut ſolennitates uigiliarum.
Agarai,aduena uultur, uel conuerſio deuoratoris: ſiue feſtiuus magiſter meus, aut ſolennitas magiſtri mei.
Age, quæſtio, uel ſolennis: ſeu meditatio,aut loquela.
Ageba,ſolennis pater,uel feſtiuitas patris.
Agedgad,feſtiua ſeruitus prædonis, uel ſolenne teſtimonium accinctionis.
Agelon,ſolennis candor,uel annuncia iniquitatem meam.
Aggæus,feſtiuus,uel ſolennis: ſeu quærens conſilium, aut lætus feſtiuator.
Agi,quæſtio,uel ſolennis: ſeu ſciens me,aut feſtiuitas mea.
Agia,quęrens Dominũ,uel ſolẽnitas Domini.
Agirẽmon,fons ſublimis, uel fons eccleſiæ: ſeu fons cõgregãs, aut fons malorũ granatorũ.
Agrippa,cõgregãs ſubitò,ul' cõgregatio ſubita
Agrith, aduena, uel incola: ſiue aduena meus, uel incola meus.
Agrithæ, feſtiui, uel ſolennes: ſiue loquentes, aut meditantes.
Ahab,frater patris,ul' fraternitas paternitatis.
Ahaion, campi, uel aulones: ſeu ualles grandes,aut ualles campeſtres.
Ahalath,mons diuidens,uel mons leuis,id eſt, limpidus,ſiue lubricus.
Ahamon,ſapientia,uel ſapientiſsimus.
Ahara,fratris odor,uel frater odoris.
Aharel,poſt exercitũ,uel ſequens exercitũ dei. Ipſe eſt Obab cognatus Moyſi,q & Iethro.
Ahares,teſta,uel ſol: ſeu ſiccitas,aut ariditas.
Aham,patruus,uel patruelis: ſeu fortis,aut apprehendens.
Ahazias,patruus Dominus,uel patruelis dño: ſiue apprehendens Dñm, aut fortitudo Dñi.
Aheberim,Hebræorum, uel tranſeuntium: ſeu tranſitus,aut tranſitores eorundem.
Ahei,umbraculum,uel infœcunditas.
Aheri,declinans,uel declinatio.
Aheſam,uoluntas,uel conſilium, uel uoluntati,aut conſilio eorum.
Ahi,uiuet, uel uiuit: ſeu uita uallium,aut quæſtio uitæ.
Ahia,quærens eum,uel uallis eius: ſeu uita uallium eius,aut quæſtio uitæ eius.
Ahialim,cerui, uel ceruorum lapides: ſiue uallis fermenti,aut quæſtio malitiæ.
Ahialon,admirans,uel admiratio: ſeu uita mœrens,aut uallis iniquitatis.
Ahias,uita plaſmata,uel uita facturæ: ſeu frater ſuſtollens,aut frater plaſmatio.
Ahidad,uiuens gloria, uel uita gloriæ: ſeu frater meus glorians,aut fratris mei gloria.
Ahie,ſterilitas,uel obũbratio: ſeu frater obumbrans,aut fratris obumbraculum.
Ahihel,uiuens Deo,uel uiuens Domini: ſeu uita uallium Dei,aut quæſtio uitæ diuinæ.
Ahiere, uallis amica, uel uita amici: ſeu frater meus amicus,uel fratris mei amicitia.
Ahiezer,frater meus fortis,uel fratris mei auxiliator: ſeu uita ualliũ ſeparatarum,aut quęſtio uitæ ſanctificationis.
Ahilam,dolens,uel parturiens: ſeu ante fores, uel ante ueſtibulum.
Ahiloth, frater uincens, uel frater ligatus: ſeu uallis declinans,aut uitæ uocatio.
Ahiluth,uallis inclyta,uel quęſtio nobis: ſeu frater inclytus,aut fraternitatis nobilitas.
Ahiman,uita qualis,uel quæſtio quæ: ſeu frater quis,aut fraternitas quomodo.
Ahimelech,uita regum, uel uallis regia: ſeu frater meus rex,aut fratris mei regnum.
Ahim,fons,uel oculus.
Ahinadab, frater ſpontè, uel frater ſpõtaneus: ſeu uita uallium ſpontanearum, aut quæſtio uitæ ſpontaneæ.
Ahin,frater mœrens, aut frater iniquus: ſeu uita ualliũ dolẽtium, aut quæſtio uitæ inutilis.
Ahiram,uallis excelſa,uel uita exaltata: ſeu frater meus ſublimis,aut fratris mei exaltatio.
Ahiran,ſculptor,aut ſculpens.
Ahiroth,ſculptum,uel ſcalptum.
Ahiſamech, fratris mei ſculptura, uel fratris mei erectio: ſeu frater meus adiuuãs,aut fratrem meum roborans.
Ahiſar,frater meus princeps,uel fratris mei leuamen: ſeu uita uallium principis, aut quæſtio uitæ anguſtiantis.
Ahitub,frater meus bonus, uel fratris mei bonitas: ſeu uita uallium deſerentium,aut quæſtio uitæ deſertæ.





Ahoi,ſpina uel compunctio.
Ahoites,ſpinoſi uel compungentes.
Ahoiban, ſpina ſapientiæ, uel compunctio intelligentis.
Ahoiman,perturbans,uel perturbator: ſeu pũgens quis, aut ſpina quomodo.
Ahim,inutile,uel iniquitas.
Ai,uultur uel deuorator.
Aia,uultur eius,uel deuorans eum.
Aiath,uultur uel condemnatio, ſeu uultur declinans,aut deuoratio peccatorum.
Aicham,frater meus ſurgens, uel fratris mei reſurrectio, ſeu uultur callidus, aut deuorator calliditatis.
Aihel,uultur Dei,uel deuorator Deus.
Ailath,dolens uel parturiens,ſeu uultur uictus, aut deuorator declinans.
Ahiron,uallis admirans, ſiue ubi erant uiri,aut ubi uiſi ſunt.
Ailud, uultur utinam utilis,uel deuorator utinam declinatus.
Ailul,ubi erant urſi,uel ubi urſi ſunt.
Aim,inutilis aut idolatra.
Aiman, idolum gratũ, uel inutilis donatio,ſeu uultur quis,aut deuorator quomodo.
Aim,fons uel oculus.
Ainan,uultur decorus, uel deuoratio pulchritudinis.
Ainagallim,oculus uituli,uel fons inundãs,ſiue oculus reuelatus,aut fons tranſmigrationis.
Ainon,uultur mœrens, uel uultur iniquus, ſeu deuoratus murmure,aut deuorator inutilis.
Air,ciuitas,uel oppidum.
Airſames,ciuitas ſolis, uel oppidũ illuminatũ.
Aiſmoth,deſertio,uel adductio mortis.
Aith,condemnatus uel condemnatio.
Aiud,uultur inclytus,uel deuorãs glorioſum.
Ala,commixtio,uel conſcendens,ſiue infirmus aut infirmitas.
Alab,lactea uel dulcedo.
Alach,lubricum,uel pars mea.
Alacarnaſum, fermentum cõcidens duces, uel commixtio diuidens principes.
Alal,laxitas,uel laſsitas: ſiue leuitas,aut latitudo.
Alala,laxitas eius, uel laſsitas eius: ſeu leuitas eius,aut latitudo eius.
Alam,infirmans eos,uel commixtio eorum.
Alamat,deſpiciens utrem,uel contemnens indignationem.
Alamõ,deſpectio,uel deſuper multitudinẽ,ſiue infirmãs eos dolori,aut cõmiſcẽs eos iniqtati.
Alas,commixtio,uel fermentum.
Alaſam,triplicem uel conſternatam,ſeu cõmiſcens populum,aut fermentatio populi.
Albialbon,patris mei dolor,uel pater meus ſub intelligens.
Alchimus,fermentum uani conſilij,uel commiſcens callidam feſtinationem.
Ale,conſcenſio,uel commiſcens, ſiue infirmus, aut infirmitas.
Aleph,mille,uel doctrina tentationum.
Alepſim,ignis uel igneus,ſeu doctrina mandati,aut milia tentationum.
Allel,laus uel laudatio.
Alleluia,laudate Dñm,uel laudatio Domini.
Alexander,alleuans tenebras, uel auferens anguſtias tenebrarum.
Alexandria,idem.
Alexandrini,tenebras alleuantes,uel tenebrarum anguſtias auferentes.
Alphalti,bitumen,uel aquæ bituminis.
Alpheus,doctus uel documentum, ſiue fugitiuus, aut milleſimus.
Alian,contemnens donũ,uel deſpectio gratiæ.
Alian,eiectus uel eiectio.
Alimis,ueſtibulis uel ſuperliminaribus.
Alinath,uter uel indignatio.
Alinathã, cõtẽptor doni,uel deſpiciẽs donatorem.
Almon,contemptus,uel deſpiciens.
Almondeblathaim,contemptus palatharũ,uel deſpiciens opprobria.
Almoth,uter uel indignatio.
Aloẽs,laus facturæ,uel laudatio plaſmatoris.
Allon,laus doloris, uel laus mœroris, ſiue laudator iniquus,aut laudator inutilis.
Alua,deſpiciens uel contemnens, ſiue contemptus,aut deſpectio.
Alua,contemnens eos, uel deſpiciens eos, ſeu contemptus eis,aut deſpectio eorum.
Alulan,contemptus uel deſpectus.
Alus,fermentum,aut commixtio, ſeu contemnens conſilium,aut deſpectus feſtinator.
Am,gens uel populus.
Ama,gens mea,uel populus meus.
Amaa, gens eius, uel populus eius: ſeu populi teſtis,aut populum teſtificans.
Amaad,populũ teſtificãs, uel populi teſtificatio.
Theboleth,ſpica paleæ,uel inſulſitas germinationis.

Thebon,paleæ,uel inſulſitas.

Thechel,ſtateræ appenſio,uel appenſum eſt in ſtatera.

Thecue,tuba canens,uel buccinator.

Thecua,tuba,uel buccina:ſeu ſonitus,aut percuſsio.

Thecuam,tubæ,uel buccinæ : ſeu ſonantes, aut percutientes.

Thecuem,idem.

Thecuitæ,idem.

Thecuath, buccina delinquens, uel percuſsio peccatoris.

Thecuam, patiens,uel patientia : ſeu percutiẽs eos, aut buccina eorum.

Thedor,paxillus,uel infixio.

Theem,meridianus,uel ſtatura menſuræ.

Theglath,tranſmigrans, uel tranſmigrator : actiua ſignificatione intelligendum eſt:id eſt, alios faciens tranſmigrare.

Theglatphalaſſar,tranſmigrans cadentẽ principem, uel tranſmigratio cadẽtis principis.

Theglatphaliſar,idem.

Thehen,ſtatera menſuræ,uel ſtatera mẽſurata.

Thehenitæ,ſtatera menſurata, uel ſtatera menſurationis.

Thelabin,diſperſi,uel diſperdentes:ſeu diſperſio,aut diſperſiones.

Thelame,ager aquarum,uel riui fluuiorum.

Thelaſſar,appendens principem,uel appenſio principis.

Thelem,ros eorum,uel ager aquarum.

Thelmelathelarſa,ager aquarum diſpergentiũ ſolem, uel riui fluuiorum diſpergentes illuminatos.

Thelmon, ros doni, uel irroratio requieſcẽtis.

Thelmon,ros doni,uľ irroratio requieſcentiũ.

Thema, auſter, uel Africus:ſeu auſtralis, aut meridianus.

Theman,auſter,uel Africus.

Themana,auſter eius,uel Africus eius.

Themani,auſter meus,uel Africus mihi.

Themanites, auſtralis, uel Africanus:ab Africo,non ab Africa.

Themna,uectans,uel defectio.

Themor, ſmyrna, uel conſummatio amaritudinis.

Themora, ſmyrna eius, uel conſummatio amaritudinis eius.

Themorites,Smyrnenſis,uel conſummatus in amaritudine.

Thena, caſtra,uel donata : ſeu donationes, aut dona eorum.

Thenath,caſtra fratris,uel dona fletuum.

Themath, ficus,uel amygdalum.

Thenoemeth,conſolatus,uel conſolatio.

Theodas,laudans,uel laudatio : ſeu ſignum capiens,aut captura ſignaculi.

Theodatus,laudans,uel laudatio.

Theophilus,conuertens,uel conuerſus:ſeu ſurſum ferens,aut ſurſum portatus.

Therath, procul,uel elongatus.

Theraphin,idola, uel incendia:ſiue figuræ,aut imaginationes.

Tercath,ſubuertens,uel ſubuerſio.

Therphala, ſubuerſione cadens, uel explorata diuiſio.

Therphalei,exploratores diuiſi, uel ſubuerſione cadentes.

Themath,explorata redemptio, uel exploratio redemptionis.

Therſa,pulchra,uel placens : ſeu complacitio, aut complacens ſibi.

Theſan,poſuit donum,uel depoſitio gratiæ.

Theſis,poſita, uel depoſitio.

Thesbi,captiuans,uel conuertens:ſeu captiuitas,aut conuerſio.

Thesbites,conuertens,uel captiuator:ſeu feſtinus ad intelligendum, aut intelligentia feſtinata.

Thesbon, feſtinata intelligentia,uel feſtinatio ad intelligendum.

Thesbues,captiuans,uel captiuator : ſeu captiuus,aut captiuitas.

Theſſalonica, feſtinans umbram ſtatuere, uel feſtinans umbram firmare.

Theſſalonicenſes, feſtinantes umbram ſtatuere,uel feſtinantes umbram firmare.

Theth,ſubter,uel infra : ſeu bonũ,aut excluſio.

Thetim, boni, uel excluſi : ſeu inferiores, aut ſubteriores.

Theudas, laudans,uel laudatio:ſeu ſignum capiens,aut captura ſignaculi.

Thezez,ager horribilis,uel tuba terribilis.

Thiathira,illuminata,uel illuminatrix : ſeu illuminans,aut illuminatio.

Thiathireni,illuminantes,uel illuminati.

Thiabath,forum,uel macellum.

Thicon,medium,uel dimidiatio.

Thiconium,idem.

Thicna,ſpes,uel deſperatio.

Thina,humilia,ual reſpondentia.

Thicon diſpergens mœrorem, uel diſperſio iniquitatis.

Thimæus,pinguis,uel ruminans.

Thiras,timor, uel redditus : ſeu timens,aut ſuperfluus.

Thiria,timens Dominum,uel rediẽs Domino.

Thriphon,diſſoluens dolorem, uel ſeruiens iniquitati.

Thrimoth, diſſoluẽs mortẽ,uel requietio mortis.

Thob,ablatio,uel uniuerſitas.

Thobel, uanitas, uel ablatio : ſeu ductus ad luctum,aut conuerſus ad uniuerſa.

Thochaath,ſtridens,uel ſtridor.

Thocem,ſtridor fortis,uel ſtridens oculus.

Thooth,gehenna,uel ſtulticia:ſeu latitudo,aut pœna ampla ſtultorum.

Thophec, oris operculum, uel oris protectio: ſeu os protegens,aut os protectum.

Thophel, os Dei protegens, uel Dei protectũ: ſeu oris Dei operculũ, aut oris Dei ꝓtectio.

Thopheth, gehenna pauoris,uel ampla pœna uitæ ſtultorum.

Thogorma,auellens,uel interpres : ſeu quiſpiã incolatus,aut incolatus auulſio.

Thola,coccinum,uel uermiculus.

Tholad,coccineus ſeruus,uel rubens color teſtium.

Tholaitæ,coccinei,uel rubicundi.

Thole,coccineum,uel rubens color.

Tholmai,ad menſuram deducens,uel ad menſuram reductio : ſeu ſulcus meus, aut ſuſpenſio mea.

Tholomai,idem.

Tholomaida, ad menſuram deducens, uel ad menſuram reducta.

Tholomais,idem.

Tholomaidenſes,ad menſuram deducti,uel ad menſuram deducentes.

Tholomeus,ad menſurã deducens, uel ad mẽſuram reductus.

Tholus,rotundus,uel rotunditas.

Thomas,abyſſus,uel geminus:unde & Græce Didymus appellatur.

Thopo, manentia,uel latitudo.
Thorath, lex,uel pentatheucus.
Thoſe,captiuitas,uel feſtinatio.
Thoſaites,captiuus,uel feſtinator.
Thot,error,uel amentia.
Thoti,error meus,uel amentia mea.
Thau, amens, uel errans : ſeu error eorum, aut amentia eorum.
Thorchade,requieſcens,uel requietio.
Thorgaditæ, ſerui ſuccincti, uel requieſcentes latrunculi.
Thubal, ductus ad luctum, uel conuerſus ad uniuerſa.
Thubal, deſerens, uel deſertus : ſeu deferens, aut delatus.
Thubalchaim,ductus ad luctum lamẽtationis, uel conuerſus ad uniuerſa acquiſitionis.
Tubalchaim, deſerens paſsionem, uel deſerẽs lamentationem : ſeu delatus poſſeſsioni, aut deſertus acquiſitioni.
Thubin, deſerens, uel deſertio : ſeu bene metiens,aut bona menſura.

## V

VGil, feſtinans germen, uel conſilium uetuſtatis.
Vchocha, ignis mordens, uel dolor præſtolationis.
Vchocha, infirmus, uel debilis:ſeu infirmans eos,aut infirmitas eorum.
Vphanitæ,infirmi,uel debiles:ſeu infirmantes eos,aut infirmitates eorum.
Vphir,infirmus,uel infirmitas : ſeu irritum,aut herboſum.
Vl, dolens, aut parturiens : ſeu dolor,aut parturitio.
Vlai,cœnum,uel palus (à palude nõ à palo) ſeu dolor femoris,aut dolor umbraculi.
Vlaim,prius,uel antè:ſeu prior,aut anterior.
Vr,lumen,uel ignis:ſeu incendiũ,aut feneſtra.
Vrai, lumen meum,uel ignis meus, uel incendium meum.
Vram, Deus excelſus,uel lumen excelſum:ſeu ignis eorum,aut feneſtra eorum.
Vram, lucens populo,uel igneus populus : ſeu incendens populum, aut incendium populorum.
Vratha, ignis peccati, uel incendens peccatũ: ſeu lumẽ temporale, aut aperiens peccatori.
Vrbanus,luce gaudens, uel lucis gaudium:ſeu gaudens igne,aut gaudens incendio.
Vrei,lõgitudo mea, uel illuminator meus : ſeu ignis meus,aut incendium meum.
Vri,lux mea,uel ignis meus:ſeu incendens me, aut apertio mea.
Vrias, lux mea Dei, uel lumen meum Domini : ſeu Dominus ignis meus, aut Dominus incendium meum.
Vriel lucens Deo, uel ignis Dei : ſeu aperiens Deo,aut incendium Dei.
Vs,conſilium,uel conſiliator : aut feſtinans, ſeu feſtinatio.
Vſam, conſulens populo, uel cõſilium populi: ſeu feſtinans eos,aut feſtinatio eorum,
Vſathi,feſtinante me,uel conſiliante mihi : ſeu conſilium meum,aut feſtinatio mea.
Vſathites,feſtinans,uel conſiliator.
Vſi,conſulens mihi, uel conſilium meum:ſeu feſtinans me, aut feſtinatio mea.
Vſim,feſtinans eos,uel conſilium eorum.
Vſim,conſilium, uel feſtinatio:ſeu feſtinus conſilio,aut feſtinator conſilij.
Vthai,dolor ſigni,uel conſilium errans.
Vzai,conſilium,uel conſiliator.
Vzal,conſilium eius, uel conſiliator eorum.
Vaph,finis,uel definitio.
Vaphſi,finis meus,uel definitio mea.
Vaphiſus, finis conſilij, uel definiens æſtimationem.
Vaphiſi,finis conſilij mei, uel definiens feſtinationem meam.
Vagao, ipſa uallis æſtuans, uel ipſa uallis æſtuatio.
Vaiecra, liber Leuitarum, uel liber Leuiticus.
Vaiedabder,liber numerans,uel liber numeri.
Vaizatha,ipſe ducens huc,uel ipſe fornicator.
Vaſem,finis dentium,uel deſtinatus anguſtiæ.
Vaſthi,finis ſignatus, uł definitio cõſummata.
Vahu,hæc,uel ipſa:ſeu ipſe,aut ille.
Veluth, finis utilis,uel definitio declinationis.
Vur, uires,uel uirium : ſeu prouocatio iræ, aut iracundia prouocationis.

## Z

ZAab,aurum obryzum,uel aurũ puriſsimũ.
Zaba, mouens, uel motus : ſeu fluctuans, aut fluctuatio.
Zabad, fluens torris, uel torris fluitio, quem uulgò titionem uocant.
Zabadan,fluens torris inutilis, uel fluens torris idololatriæ.
Zabadei,fluxus torris,uel torrium fluitio.
Zabadia, fluens torris Domini, uel torris fluens Domino.
Zabai,motus meus,uel fluctuatio mea.
Zabbaon,mouens dolorem,uel fluctuatio iniquitatis.
Zabat,mouens delictum,uel torris fluens peccato.
Zabam,mouens eos,uel fluctuatio eorum.
Zabel,iſta confuſio,uel iſte ignominioſus.
Zaber,mouens puteum,uel fluctuatio fontis.
Zabdi, fluxus uehemens,uel fluxus abundans, uel fluens abundanter.
Zabdias, fluxus uehemens Dei, uel fluens abundanter Deo.
Zabdiel,idem.
Zabina,iſte uenit reſpondens,uel iſta uenit reſponſio.
Zabuth,fluens torrens,uel torris fluitio.
Zabulon,fluxus noctis,uel iuſiurandum eius.
Zabulon,habitaculi ſubſtantia, uel habitaculũ eorum:ſeu habitaculum fortitudinis,aut habitaculum pulchritudinis.





Zabulonitæ, fluxus noctium, uel iuraiuranda eorum.
Zabulonitæ,habitaculorum ſubſtantiæ,uel habitacula eorum : ſeu habitacula fortitudinũ, aut habitacula pulchritudinum.
Zachai,iuſtus meus,uel iuſtificatio mea.
Zacharias,memorans Dominum, uel auxiliũ Domini.
Zacher,memoria,uel adiutoriũ : ſeu iuſtus,uel uigilans,aut iuſtificatus conſurgens.
Zachæus,iuſtitia,uel iuſtificatio:ſeu iuſtus cõſilio,aut iuſtificatus feſtinans.
Zachur, memoria, uel adiutorium : ſeu iuſtus igneus,aut iuſtificatus illuminans.
Zadab,iſte pater,uel iſta paternitas.
Zadabia,iſte pater Dominus, uel iſta paternitas Domino.
Zaph,illuminare,uel illuminatio.
Zaphi,lumen meum,uel illuminatio mea.
Zaphin,illuminans eos,uel illuminatio eorũ.
Zai,ductæ,uel huc:ſeu oliua,aut fornicatio.
Zaim,iſta,uel hæc.
Zaith,ductę huc,uel fornicarius tibi:ſeu oliua eius, aut fornicatio eorum.
Zalmon,ſub umbra, uel obumbrãs : ſeu ſubumbratus,aut obumbratio.
Zamma,iſte fluens,uel fluxus eius.
Zambri, iſte laceſſens,uel iſte amaricans.
Zandi,fluxus uehemens, uel fluxus abundans.
Zamira,iſte apertus,uel iſte illuminans.
Zemra,pſallens ei,uel canticum eius.
Zamran,pſallens eis,uel canticum eorum.
Zamre,pſallens mihi,uel cantatio mea.
Zamrim,pſallens eis,uel cantatio eorum.
Zamro, pſallens magiſtro, uel canticum magiſtri.
Zanoa,iſta requies, uel iſta commotio:ſeu iſte repulit,aut iſte requieuit.
Zanoe,idem.
Zara,oriens,uel orientalis.
Zarad, deſcendens, uel alienus : ſeu deſcenſio, uel alienatio.
Zaradaim, deſcenſio inutilis, uel alienus idololatra.
Zarai,oriens mihi,uel orientalis meus.
Zaraias,oriens Domino,uł oriẽtalis Domini.
Zarath,ortus peccati,uel orientalis delinquẽs.
Zarda,alienatus ualde,uel alienatus ab eo.
Zare,ortus eſt,uel orientalis eſt iſte.
Zared,deſcendens,uel abalienatus.
Zaraidæ,deſcendentes,uel orientales ſunt iſti.
Zares, ortus facturæ, uel orientalis plaſmatio.
Zareth,oriens pauor,uel orientalis uita.
Zarias, oriens Domino, uel orientalis Domini.
Zatham,iſte humilis,uel reſponſio iſta.
Zaua,iniquus,uel iniquitas.
Zauath,donatus,uel donatio.
Zauadia,dos Domini,uel dos Domino.
Zazi, horridus,uel terrendus.
Zazim, horror, uel terror : ſeu horrendi, aut terribiles.
Zazomin,quæ eſt hæc aqua,uel pręparati in acie:ſeu aciẽ præparãtes,aut aciei pręparatio.
Zeb, lupus, uel rapax : ſeu deuorans, aut deuorator.
Zebad,fluens torris,uel torris fluitio.
Zebadia, fluens torris Domini, uel torris fluẽs Domino.
Zebee, uictima, uel rapina : ſeu hoſtiæ,aut deuoratio.
Zebedæus, donatus, uel dotatus : ſeu fluens iſte,aut fluitio iſta.
Zeber, lupus uigilans, uel deuoratio reſurrectionis.
Zebi,lupus meus,uel deuoratio mea.
Zebida,dotis meæ fortitudo, uel donatio mea deſiderabilis.
Zebub,muſca,uel muſcæ pluraliter.
Zebul,habitatio,uel tabernaculum.
Zebulonites,tabernaculum mœroris,uel inhabitatio iniquitatis.
Zeci,memor mei,uel memoratio mea.
Zechri,idem.
Zechrin, memorans eos, uel memoratio eorũ.
Zechur, memoria luminis, uel memoratio ignea.
Zephernua, hoc os uidiſti,uel huius oris uiſio.
Zephrona,os hoc uidit,uel oris huius uiſio.
Zei,iſte meus,uel iſte mihi.
Zelpha,os hians, uel os fluens:ſeu os ambulãs, uel oris fluitio.
Zemma,iſte fluens,uel iſte fluxus eius.
Zemeri,iſte amaricans,uel iſte exacerbans.
Zemram,cantans ei, uel canticum eorum : ſeu tempus eorum oſtendens, aut temporis eorum oſtenſio.
Zemri,pſallens mihi, uel canticum meum : ſeu iſte laceſſens,aut iſte amaricans.
Zena,commouens, uel commotio:ſeu ipſe requieſcens,aut ipſa requietio.
Zenam, commouens eos, uel commotio eorum:ſeu ipſe requieſcens eis,aut ipſa requietio eorum.
Zerihel, iſte magiſter Deus, uel iſta eſt magiſtratio Dei.
Zerimoth,iſte timens mortem, uel iſte metuens altitudinem mortis.
Zeſum,iſte lapis,uel iſta duricies.
Zethaa,iſte pauidus,uel iſte ſuperior.
Zethan,iſte amarus,uel iſta commutatio.
Zethea,iſte amens,uel iſte erroneus.
Zethua,iſte errans ei,uel iſta amentia eius.
Zehu,iniquus,uel iniquitas.
Zeuan,iniquus eis,uel iniquitas eorum.
Zeuoth,gentilis,uel ſparſio.
Ziph,florens,uel germinans.
Ziphei,florentes,uel germinantes.
Zipha,germen,uel illuminare.
Ziphai,germen meum,uel illuminatio mea.
Zio,ductio,uel oliua.
Ziza,horrendus,uel terribilis.
Zo,iſte,uel iſta.
Zoara,minor,uel paruula : ſeu uitula conſternans,aut uitula conſternata.
Zobadomas, fluens, uel torris iniquus Dominus,

minus,aut fluens torris mœrenti Domino.
Zocho,prophetia,uel prophetacio.
Zoe,attrahens,uel attractio.
Zoheleth tractans,uel protrahẽs:ſeu tractum, aut protractio.
Zoheth,iſte pauidus,uel iſte uiuax.
Zolomin,p̄parãtes aciẽ, uel præparati in acie.
Zomin,aciẽ præparãtes, uel in acie præparati.
Zoob,aurum,uel diuitiæ.
Zoon,iſte iniquus,uel iſte inutilis.
Zoor,plaſma,uel plaſmator : ſeu iſte apprehendens,aut iſte iracundus.
Zoori,plaſma meum , uel plaſmator meus:ſeu iſte apprehendẽs me, aut iſte iracũdus mihi.
Zorobabel, aliena translatio, uel ortus in Babylone : ſeu iſte princeps translationis , aut iſte magiſter conuerſionis.
Zozomin , quæ hæc eſt aqua , uel quæ ſunt hæ cogitationes : ſeu præparantes aciem, aut in acie præparati.
Zuſitidis,conſilium,uel conſiliatrix.
Zuzim, conſiliãtes eos, uel conſiliatores eorũ.

INTERPRETATIONVM HEBRAICORVM NOMINVM, FINIS.

# Excerptiones patrũ, collectanea, Flores ex diuerſis, quæſtiones & parabolæ.

DIC mihi quæſo,quæ eſt illa mulier, quæ innumeris filijs ubera porrigit,quæ quantum ſucta fuerit,tantum inundat? Mulier iſta eſt ſapientia. Dic mihi ubi ſit anima hominis, quando dormiunt homines? In tribus locis : aut in corde, aut in ſanguine , aut in cerebro. Dic mihi quis primus finxit literam? Mercurius Gigas. Quid primùm à Deo proceſsit? Verbum hoc, Fiat lux. Qui ſunt nati , & non ſunt mortui? Enoch & Elias. Dic mihi quis primus obtulit holocauſtum Deo? Abel agnum. Dic mihi quæ primùm fuit alma? Maria, ſoror Aaron: uel quæ prima uidua? Dina, filia Iacob. Dic mihi quis primus excogitauit aratrum? Cham , filius Noë : uel quis plantauit uineam? idem Noë, & ipſe primus ebrius fuit. Dic mihi quis primus ſacerdos in ueteri teſtamẽto fuit? Melchiſedech: in Nouo? Petrus, & Iacobus frater Domini. Quis primus fuit diaconus? Stephanus. Dic mihi,qui ſunt filij,qui uindicauerunt patrem ſuum in utero matris ſuæ? filij uiperæ. Dic mihi quæ eſt terra, quam nõ uidit ſol neq; uentus, niſi una hora diei : nec antea, nec poſtea? Terra per quam exijt populus Iſrael in mari rubro. Dic mihi quis primus prophetauit? Adam quando dixit , Hoc nunc os ex oſsibus meis,& caro de carne mea.

Omnis homo,qui in dolore poſitus eſt, memor ſit illius ſententiæ,Ne quid nimis. Vidi filium cum matre manducantem, cuius pellis pẽdebat in pariete. Sedeo ſuper equum non natum,cuius matrem in manu teneo. Quæro barbarum,quem inuenire non poſſum. In Aquilonali parte ciuitatis , ubi aqua attingit parietẽ: tolle ſaxum quadratum,ibi inuenies barbarũ.

Dic mihi quæ eſt illa res , quæ cum augetur, minor erit:& dum minuitur, augmentum accipit. Nemo in eccleſia amplius nocet , quàm qui nomen & opinionem ſanctitatis habet. Cui plus creditur, plus ab eo exigitur. Potentes potenter tormenta patiuntur , ſicut per prophetã dicitur: Ducunt in bonis dies ſuos,& in puncto ad inferna deſcendunt. Quatuor claues ſunt:ſapientia uel induſtria legendi,aſsiduitas interrogandi , honor doctoris,cõtemptio facultatum. Dic quot annos uixit primus parens Adam? Noningentos triginta. Qui ſunt tres amici & inimici,ſine quibus uiuere nemo poteſt? Ignis, aqua & ferrum.

Melius eſt ire ad domum luctus,quàm ad domum conuiuij:in illa enim cunctorum finis admonetur hominum,& uiuens cogitat quid futurus ſit. Melius eſt à ſapiẽte corripi,quàm ſtultorũ adulatione decipi. Quodcunq; poteſt manus tua facere,inſtanter operare,quia nec opus nec ratio, nec ſcientia, nec ſapientia erũt apud inferos,quò tu properas. Melior eſt patiens uiro forti:& qui dominatur animo ſuo expugnatore urbium. Et qui iuſtificat impium, & qui cõdemnat iuſtum,abominabilis uterq; apud Dominum. Sicut urbs patens, & abſq; murorum ambitu , ita uir qui non poteſt in loquendo cohibere ſpiritũ ſuum. Dicit piger , Leæna in uia, leo in itineribus. Sicut oſtium uertitur in cardine ſuo,ita piger in lectulo ſuo. Abſcondit piger manus ſub aſcella ſua , & laborat ſi ad os ſuum eas cõuerterit. Tria ſunt inſaturabilia,& quartum quod nunquam dicit , Sufficit : infernus & os uuluæ,& terra. Aqua non ſaturatur aqua:ignis uerò nũquam dicit, Sufficit. Altos quippe gurgites fluminũ paruæ,ſed innumeræ replent guttæ pluuiarum. Imperiti ſicut loqui neſciunt, ita tacere non poſſunt. Mos enim qui uſu longo confirmatus fuerit, non paruo labore uitatur. Valde enim durum eſt in ueteri teſtamento noua meditari. Si non uendis quod amas,nõ emes quod deſideras. ſæpe enim in uili ſacculo fulget aurum. Sit omnis homo uelox ad audiẽdum,tardus ad loquendum. Arena maris, pluuiarum guttæ,dies ſeculi , altitudo cœli, multitudo ſtellarum,profunditas terræ,& imum abyſsi,& capilli capitis, ſiue plebs hominum uel iumentum : hæ non niſi à Deo tantum numerãda ſunt. Per tria ordinatur anima : per cogitationem bonam , per ſermonẽ rectum, per opus iuſtitiæ. Paulus plantauit,Apollo rigauit,Dominus incrementum dedit. Habete Chriſtum in cordibus, & ſignum eius in frontibus. Multos



tos inimicos habemus, qui curſum noſtrum impedire feſtinant. Armate uos ſemper ſignaculo crucis Chriſti , quia hoc eſt quod timent ac fugiunt dæmones,ſigno territi Saluatoris Domini noſtri Ieſu Chriſti. Magi ſunt , qui munera Domino dederunt : primus fuiſſe dicitur Melchior,ſenex & canus,barba prolixa & capillis: tunica hyacinthina , ſagoq; mileno, & calceamentis hyacinthino & albo mixto opere , pro mitrario uariẹ compoſitionis indutus:aurũ obtulit regi Domino. Secundus nomine Caſpar, iuuenis imberbis , rubicundus , milenica tunica,ſago rubeo,calceamentis hyacinthinis ueſtitus:thure quaſi Deo oblatione digna , Deũ honorabat. Tertius fuſcus,integrè barbatus , Balthaſar nomine: habens tunicam rubeam , albo uario,calceamẽtis milenicis amictus:per myrrham filium hominis moriturum profeſſus eſt. Omnia autem ueſtimenta eorum Syriaca ſunt. mundorum nanq; eſt munda contingere,& ſanctorum ſancta cognoſcere. In maleuolam animam non intrabit ſapientia, neq; in corpus ſubditum peccatis.

Quid eſt malum? Corruptio boni. Quid eſt mors? Abſentia uitæ. Eſt enim uita, carnis anima:uita animẹ dominus. Deſpicit Deus,ſi quis exultet in malis alterius. nam poſuit Deus ordinem,ut terra ſeruiret corpori, corpus animẹ, anima menti, mens Deo. Veteris Teſtamenti ſunt libri quinquagintaquinque, Noui autem uigintiſeptem. Eſt auis quædam in Indiẹ partibus , prope ſolis ortum , uiginti alas habens, cuius uoce audita, omnes ſomno & ſopore ſopiuntur : cuius uox per mille paſſus auditur. huius auis magnẹ uocabulum eſt Goballus. Eſt enim lapis in mari oceano tam miri decoris, qui aliquoties apparet , aliquoties uerò arenis præoperitur. Hæc autem auis cum auiculam genuit nimis pulchrãm ac ſonoram , uidens lapidem in mari ſereno die radiantem, illius deſiderio rapitur , & uolat ut capiat eum, quæ dũ adhuc alas extendit,lapis arenis tegitur. Eſt autẽ cetus in mari magnus ualde , qui cum uiderit Goballum ad lapidem uolantem , ſtatim occurrit ad nidum huius,& auiculas auferens deuorat : & ueniens Goballus in æſtu nimis recurrit ad nidum, quoddam ſolatium ſui laboris putãs reperturum : & inueniens nidum uacuum, ſepties clamat:ita ut non ſolùm ingentes lachrymas fundat,ſed & omnes qui eam audiunt, ſe à lachrymis cohibere nõ poſsint. Tunc ſeipſum in profundum mergit, & moritur. Et tu homo Goballus habẽs naturam decoram nimis, quæ generat ſapientiam uenuſtam. Lapis autem in mari,amor diuitiarum eſt, qui ſeducit hominẽ: & relicta ſapientia,uolat ad diuitias congregãdas:cetus autem in mari ſtultitia eſt , qui aufert ſapiẽtiam ſimul cum diuitijs. Stultitia naſcitur, & homo perdit ſapientiam , perdit diuitias, & infelici rapitur morte. Vnde Gelfidius ait, Melior eſt ſapientia auro, & conſilium precioſius argento,& præclarius omni lapide precioſo: at diſciplina præeminentior omni ueſtitu gemmato. Sapientia, quæ de fontis aurei liquidiſsima uena prorumpit,gemmis omnibus,uarijsq; margaritarum generibus , & cunctis precioſior inuenitur gazis,quẹ ſuos ſectatores ad aulã cœleſtis paradiſi deducit. Melius eſt una hora uiuere cum ſapientibus , quàm uinum bibere cum inſipientibus.

Tres principales manſiones cõſtituit Deus: cœlum & terram,& infernum: & in illis tribus tres principales res. In cœlo conſtituit pacẽ & æternitatem:in terra autem conſtituit fidem & pœnitentiam,& remiſsionem peccatorum : in inferno conſtituit timorem, & æternam pœnã, & nullam remiſsionem. De terra autem,quẹ in medio poſita eſt,replebitur cœlum & infernus. Tria remedia ſunt:baptiſmus,pœnitentia, martyrium. Melior eſt in malefactis humilis confuſio,quàm in bonis ſuperbis gloriatio. Fides intellectũ aperit,infidelitas claudit. Sicut ſtellas cœli non extinguit nox,ſic fideli adhærẽtes firmamento ſanctæ ſcripturæ non obſcurat mũdana iniquitas.

Dic mihi nomina duorum latronum, qui cũ Ieſu ſimul crucifixi ſunt:Matha & Ioca. Matha credidit,Ioca negauit uitam,mortẽ elegit. Dic mihi nomen illius diuitis,qui loquitur ad Abraham ex profunditate inferni? Dico tibi, Tantalus eſt. Dic mihi nomen illius militis,qui pũxit latus Domini noſtri Ieſu Chriſti? Dico tibi, Legorrius dictus eſt. Dic mihi quot patres ſunt in hoc ſeculo? Dico tibi,tres : pater cœleſtis,pater terrenus,pater in doctrina. Dic mihi quot ſenſus hominis ſunt? Dico tibi,decem: uiſus,auditus,guſtus,tactus,odor, ſapor,amor, tremor,mutatio & locutio. Dic mihi quot uitæ ſanctis leguntur? Tres:uita præſens,uita in bonis operibus,& uita æterna futura. Dic mihi quot mortes peccatoribus reputãtur? Mors in peccato, & ſeparatio animæ & corporis, & mors pœnæ. Dic mihi quot genera ſunt baptiſmi? Tria:primum, baptiſmus eſt , quo ſordes peccatorum per regenerationis lauacrum abluuntur : ſecundum, quo quiſq; ſanguine ſuo per martyrium baptizatur:tertium, baptiſmus lachrymarum. Dic mihi, quæ eſt illa res quæ cœlum totamq; terram repleuit , ſyluas & ſurculos confringit, omniaque fundamenta concutit: ſed nec oculis uideri , aut manibus tangi poteſt. Dic mihi tres uictorias ignis . Prima uictoria,in qua apparuit ſpiritus ſanctus: ſecunda,quæ eleuauit Heliam : tertia,quæ comburit peccatores,& terram in die iudicij. Dic mihi tres uictorias uenti. Prima uictoria inflat,& nõ uidetur:ſecunda ſanctificauit mundum poſt diluuium: tertia non comburetur in die iudicij. Dic mihi,utrum altius cœlum quàm terra? Altior terra,qui in cœlo eſt,Elias & Enoch. Multi apud homines ſunt reprobi, apud Deum autem electi. Melior eſt qui minuitur ſenſu,& in timore Dei eſt,q̃ qui abundat ſenſu,& trãſgreditur legem. Peccator dominatur in hoc ſeculo,iuſtus autem in regno Dei. Sunt nonnulli, qui aliorum cauſas cernere ſolent,& ſuas negligunt,

gunt, ſemetipſos non aſpiciunt in peſſima conuerſatione. Dic mihi quę prima interrogatio fuit: in corpore'ne, an in ſpiritu, uel in quo loco? In callida ſuggeſtione ſerpentis ad mulierem, quando dixit in paradiſo, Quare præcepit uobis Deus, ut nõ comederetis de ligno hoc? Sapientia ſine eloquentia prodire poteſt, ſtultitia ſine eloquentia deſtruit multos. Dic mihi, unde fugit dies ante noctẽ, & nox ubi currit, & in quo loco uterq; requieſcit? In ſole requieſcit dies, & in nube nox. Dic mihi, ubi ſedit Deus, quando creauit cœlum & terram? Super pẽnas uentorũ. Dum cadit equus, ſub quo ſunt quatuor pedes: quanto magis homo, qui una lingua loquitur, poteſt cadere, neq; ſuam reiterare ſententiã, dum cecidit. Valde ignominioſum eſt, ſi tunc quærat diſcere, cum quæſtionem debet enodare. Modica fuiſti Roma, quando me erexiſti: ſed minor eris, quando me deijcies. Quàmdiu ſtat colyſæus, ſtat & Roma: quãdo cadet colyſæus, cadet & Roma. Quãdo cadet Roma, cadet & mundus. Quid ſtas, quid ſtupes bos Britannice? Sto, ſtupeo, ſtimulum quæro, ut pungam bouem Gallicum. Cogitationes meas ſtylo alligo, ne obliuione fugiãt: ſcrutor quaſi non reputatus eſſem, quia memoriæ lingua labitur. Tres infelices in lege leguntur. Qui ſcit, & non docet: qui docet, & non facit: qui neſcit, & non interrogat. Tribus modis fit rex: eo quòd frangit inimicos, & quòd armat exercitum, & quòd exigit tributum. Pauperem ſuperbum, & diuitem fallacem, & ſenẽ fatuum odit anima mea. Carpere & detrahere etiam imperiti poſſunt.

*De ſummo planus, ſed non ego planus in imo*
*Verſor utrunq; manu, diuerſo & munere fungor:*
*Altera pars reuocat, quicquid pars altera fecit.*
*Sunt mihi ſunt lachrymæ, ſed non eſt cauſa doloris.*
*Eſt iter ad cœlum, ſed me grauis impedit aër.*
*Et qui me genuit, ſine me non naſcitur ipſe.*
*Verſicolor ſugiens cœlum, terramq; relinquo:*
*Non tellure locus mihi, non in parte polorum eſt:*
*Exilium nullus modò tam crudele ueretur:*
*Sed madidis mundum faciam frondeſcere guttis.*

Sexaginta reginæ, ac octuaginta concubinę & adoleſcentularum, quarum non erat numerus. Surge Aquilo, & ueni Auſter, perfla hortũ meum, & fluent aromata illius. Suſurro & bilinguis, maledicti ſunt à Deo: multum enim turbabunt pacem habẽtes. Verus qui uiuit in uertice regnans, potens in populo, pius eſt in ſolo, mitis in mundo, magnus ubiq;. Amico fideli nulla eſt cõparatio. Amicus diu quæritur, uix fidelis inuenitur, difficile ſeruatur.

Quot ſunt flumina paradiſi? Quatuor: Phiſon, Geon, Tigris, Euphrates: lac, mel, uinum & oleum. Aquæ mundi quot ſunt? Duæ: ſal & aqua. Vbi eſt memoria? in ſenſu. ubi eſt ſenſus? in cerebro. Cui non datur ſenſus, non datur & cerebrum. Dic tres dies inueſtigabiles. Lex in utero Moyſi, & Ioannes in utero Elizabeth, & Chriſtus in utero Mariæ. Quis lapis pulchrior & durior ſole? Lapis quem reprobauerunt ædificantes, id eſt, Chriſtus.

Quatuor uitia ſunt lectionis: Canon diuinus, in quo narratur & prædicatur uita futura: hiſtoria, in qua narrantur geſta rerum: numerus, in quo intelliguntur ſigna futura, & ſolennitates diuinæ: grammatica, in qua intelligitur ſcientia uerborum. Ecce quantum iuſtitia regis in ſeculo ualeat, intuentibus perſpicuè patet. Pax populi eſt tutamentum patriæ: immunitas plebis, munimentum regis: cura languorũ, gaudium hominum: temperies aëris, ſerenitas maris: terræ fœcunditas, ſolatium pauperum: hæreditas filiorum, ſibimetipſi ſpes futuræ beatitudinis. Quid enim ſtolidius fieri poteſt, ſi mẽs ad perfectionem feſtinare contendat, quando totius corporis habitus ſenectute confectus ad interitum properat? Dum oculi caligant, auris grauiter audit, capilli fluunt, facies in pallorem mutatur, dentes lapſi numero minuuntur, cutis areſcit, flatus inſuauiter odorat, pectus ſuffocatur, tuſsis cachinnat, genua trepidant, talos & pedes tumor inflat, & homo interior qui nõ ſeneſcit, his omnibus aggrauatur; & hæc omnia iamq; ruituram domum corporis citò pronunciant. Quid enim ſupereſt, niſi dum huius uitæ defectus appropiat, nihil aliud cogitare, quàm quomodo futuræ uitæ aditus proſperè comprehendatur. Frequens lectio, & quotidiana meditatio plus laborare ſolet, quàm labor corporis. Duo prophetæ, quorum alter prophetauit poſt mortem: alter uerò ante natiuitatem, ſunt Samuel & Ioannes.

Quid eſt quòd mater me genuit, & mox eadem gignetur à me? Dic mihi quis homo, qui non natus eſt, & mortuus eſt, atq; in utero matris ſuæ poſt mortem baptizatus? Eſt Adam. Quis uir mortuus bis, & ſemel natus? Eſt Lazarus, quem ſuſcitauit Ieſus. Quis bis natus, & bis mortuus? Quis homo qui mortuus eſt, nec ſepultus, nec putredinem habuit carnis? Quot filios habuit Adam? Triginta filios, & triginta filias. Aliter. Filiorum Adam computatio, ut alij dicunt, ſexagintaduo: & filiarum computatio, quinquaginta tres ſunt. Quot annos uixit Abraham? Centum octogintaquinq;. Quis primus mortuum ſuſcitauit? Helias: ubi eum ſuſcitauit in Galgala. Quot genera uolucrum pennata ſunt? Trigintaſeptem. Quot ſunt genera ſerpentium? Trigintaſex. Quis primus princeps factus fuit? Ninus, filius Beli. Quæ prima ciuitas? Niniue. Quis eam ædificauit? Ninus. Quis primus imperator factus eſt? Saul. Quot ſunt prouinciæ? Centum & triginta. Quot linguæ? Septuagintaduæ.

Videte quæſo ordinem humanæ uitæ miſeræ. de terra enim creatus es, terram calcas, in terram ibis, à terra reſurges, in igne probaberis, iudicium expectabis æternum: poſt hæc aut ſupplicium aut regnum poſsidebis. Vnuſquiſque utrum poſsideat, incertus eſt. Duo ſunt eleemoſynarum genera: unum, ut eſurientibus porrigatur buccella: aliud, ut ignoranti ſubminiſtretur doctrina. Diſpares ſunt in regno cœlorum



lorum, propter ſingulorum merita, manſiones. diuerſitas enim operum diuerſitatem facit præmiorum. Vir ſapiens non putat ſe mori, ſed migrare: nec amicos relinquere, ſed mutare. Debet ante eſſe diſcipulus, quiſquis doctor eſſe deſiderat. Philoſophia eſt amor quidam, ac intentio ſapientiæ, quæ fons & nutrix eſt omnis artis ac diſciplinæ. Bene per Salomonem dicitur, Ne des honorem tuum alienis, & annos tuos crudeli: ne forte impleantur extranei uiribus tuis, & labores tui ſint in domo aliena: & gemas in nouiſsimis, quando conſumpſeris carnes & corpus tuum. Lucerna Domini ſpiraculum hominis eſt, quæ inueſtigat omnia ſecreta uentris. Qui offert ſacrificium ex ſubſtantia pauperis, quaſi qui uictimat filium ſuum in conſpectu patris ſui. humanum enim iudiciũ multis corrumpitur: amore, odio, timore: auaritia ſæpe iudicum integritas uiolatur, & contra iuſtitiæ regulam miſericordia declinatur.

Dic quid eſt aurum? Mancipiũ mortis. Quid eſt argentum? Inuidiæ locus. Quid eſt ferrum? Omnis artis inſtrumentum. Qui ſunt qui ſani ægrotant? Qui aliena negocia curant. Dic qua ratione homo laſſus non fit? Lucrum faciendo. Dic quid eſt longiſsimum? Spes, uel cogitatio. Quid eſt regi & miſero cõmune? Naſci & mori. Quid eſt optimum & peſsimum? Verbum. Quid eſt quod alij placet, alij diſplicet? Vita. Non omnes epiſcopi, epiſcopi ſunt. Attende Petrum, ſed & Iudam conſidera: Stephanum & Nicolaũ reſpice. ἀνατολή, δύσις, ἄρκτος, μεσημβρία, oriens, occidens, aquilo, meridies.

*Artificis labor eſt, fallaces fingere formas:*
*Condere uiuaces tu potes omnipotens.*

Multis mortuus eſt mundus, ſed illi mortui non ſunt mundo. Bona diligunt ſeculi, ſed minime conſequuntur. In utraque uacui, qui futura perdunt, & præſentia non acquirunt. Scito quòd in nouiſsimis diebus inſtabunt tempora periculoſa. Sunt homines ſe amantes, non Dei gloriam, ſed ſuam quærentes. Homo homini reſeruat iram, & à Deo quærit medelam: & in hominem ſimilem ſibi non habet miſericordiam. Si non habet miſericordiam, quis exorabit pro delictis illius?

Dic mihi, quot modis dicitur omne quod dicitur? Quatuor: aut bonum bene, aut malũ male: aut bonum malè, aut malum bene. Sex diebus rerum creaturam formauit Deus. Prima die condidit lucem: ſecunda, firmamentum cœli: tertia, ſpeciem maris & terræ: quarta, ſidera cœli: quinta, piſces & uolucres: ſexta, beſtias, ac iumenta: nouiſsima, ad ſimilitudinem ſuam primum hominem Adam. Cur homo nouiſsimè factus eſt? Quia maioris honoris eſt. Ordinatis omnibus atq; bene cõpoſitis, oportebat more ſponſi, formari hominẽ. Sex ſunt quæ odit Dominus, & ſeptimum deteſtatur anima eius: oculos ſublimes, linguam mendacem, manus effundentes innoxium ſanguinem, cor machinans cogitationes peſsimas, pedes ueloces ad currendum in malum, proferentem mendacia teſtem fallacem, & eum qui ſeminat inter fratres diſcordias. Apoſtoli Chriſti, prædicatores fidei, & doctores gentium, certis locis in mundo ad prædicandum ſortes proprias acceperunt. Petrus nanq; Romam accipit, Andreas Achaiam, Iacobus Hiſpaniam, Thomas Indiã, Ioannes Aſiam, Matthæus Macedoniam, Philippus Galliam, Bartholomæus Lycaoniam, Simon Zelotes Aegyptũ, Matthias Iudæam, Iacobus frater Domini, Ieroſolymã. Paulo cum cæteris apoſtolis nulla ſors propria traditur: quia in omnibus gentibus magiſter & prædicator eligitur.

Octo ſunt principalia uitia, quæ humanum genus infeſtant: primum gula, ſecundum fornicatio, tertium auaritia, quartum ira, quintũ triſtitia, ſextum acedia, id eſt, ocium uel tædium cordis, ſeptimum, uana gloria, octauum ſuperbia. Non amittas antiquum amicum, nouus enim non erit ei ſimilis. Monſtro ſimilis eſt auaritia ſenilis. Quæ ſunt tria muta, quæ docent ſapientiam in corde hominis? Eſt mens, oculus & litera. Duodecim abuſiua in hoc ſeculo ſunt: hoc eſt, ſapiens ſine operibus, ſenex ſine religione, adoleſcens ſine obediẽtia, diues ſine eleemoſyna, fœmina ſine pudicitia, domus ſine uirtute, Chriſtianus contentioſus, pauper ſuperbus, rex iniquus, epiſcopus negligens, plebs ſine diſciplina, populus ſine lege. Per hæc ſuffugatur iuſtitia Dei. Septem ſunt quæ nõ inueniuntur in hoc mundo: uita ſine morte, iuuentus ſine ſenectute, lux ſine tenebris, gaudiũ ſine triſtitia, pax ſine diſcordia, uoluntas ſine iniuria, regnum ſine commutatione. Septem uerò hæc inueniuntur in regno cœlorum. Noli eſſe deſidioſus & piger, ſed labora manibus tuis, ut habeas unde tribuas indigenti & pauperibus: tantum enim expetitur à te, quantum tibi fuerit creditum.

Quæritur, qua hora Dominus ſurrexerit, cũ quadraginta horis in morte fuiſſet? Iuxta Auguſtinum deſcribitur: Id eſt de die, qua crucifixus eſt Dominus, quatuor remanent horę: duodecim horę noctis ſabbati, duodecim ipſius ſabbati, duodecim noctis Dominicæ: in ſepulchro uerò triginta horis fuit. Quatuor ſunt principales uirtutes: prudentia, iuſtitia, fortitudo, tẽperantia. Ante omnem creaturam mundi creati ſunt angeli, & ante omnem creationem angelorum diabolus formatus eſt: ſicut ſcriptum eſt, Ipſe principium uiarum Dei. Bene ambuletis, & ſic Deus in itinere ueſtro, & angelus eius comitetur uos. Dic mihi gradus uel differentiæ rerum quot ſunt? Sex: nõ uiuentia uiuentia, irrationabilia rationabilia, mortalia immortalia. Nouiſsimus ſuper omnia Deus. Sed hæc omnia ut gradibus creſcunt, ita ſibi qualitate naturæ præcellunt. nam arbor præfertur lapidi, & pecus arbori, & homo pecori, & angelus homini, & Deus præponitur angelis. Semper uirtutes ſequitur inuidia. Feriunt fulgura ſummos montes. Nec mirandum eſt hoc de hominibus, cum ipſe Dominus zelo & inuidia phariſæorũ ſit cru-

ſit crucifixus. Sola miſeria caret inuidia, quia nemo inuidet miſero. Inuidiæ ſiquidem maculam de ſeſe non abluit, qui alteri conferre denegat, quòd cum dederit, non amittit. Obſequiũ amicos, ueritas odium parit.

Cui rei ſacerdotes mali ſimiles dicendi ſunt, niſi aquæ baptiſmatis, quæ baptizatorum peccata diluit, alios ad regna cœlorum mittit, & ipſa in cloacam deſcendit. Qui obturat aures ſuas ad clamorem pauperum, ipſe clamabit, & non exaudietur. Amicitia quæ deſinere poteſt, nunquam uera fuit. In hoc quippe mundo humana anima quaſi nauis eſt, contra ictum fluminis conſcendentis. uno loco nequaquam ſtare permittitur, quia ad ima relabitur, niſi ad ſumma admittatur. Maior eſt culpa manifeſtè q̃ occultè peccare: dupliciter enim reus eſt, qui agit & docet. de talibus Eſaias ait, Et peccata ſua ſicut Sodoma prædicauerũt. Quid peius eſt domo, ubi fœmina imperium habet in uirum. Vidi filium inter quatuor fontes nutritum: ſi uiuus fuit, diſrupit montes: ſi mortuus fuit, alligauit uiuos. Vidi bipedem ſuper tripodem ſedẽtem, cecidit bipes, corruit tripes. Vidi filiũ non natum, ſed ex tribus perſonis ſuſcitatũ, & eum nutritum, donec uiuus uocaretur. Vidi mortuum ſuper uiuum ſedentem, & ex riſu mortui moriebatur uiuus. Vidi uirginem flentem & murmurantem, uiæ eius ſunt ſemitæ uitæ. Vidi mulierem cum ſex oculis, cum ſexaginta digitis, cũ tribus linguis, cum uno ore loquentẽ.

*Sunt mihi ſex oculi, totidem ſimul auribus hauſi:*
*Sed digitos decies, ſenos in corpore geſto,*
*Ex quibus en quatuor, denis de carne reuulſis,*
*Quinquies at tantum uideor retinere quaternos.*

Quod tacitũ uelis eſſe, nemini dixeris: à quo enim alio ſilentium exigis, quod tibi ipſe non imperaſti. Qui uult corpus ſuum dedicare cõtinentiæ, habitare cum fœminis non præſumat. Mulierum frequens uiſus mollificat mentem, & hebetat ſenſum, & ſapientem eſſe non patitur. Mulierem ſapientem quis inueniet? mos enim mulierum eſt, ut neminem de longinquo diligant: ſed propè debet eſſe, qui uult fœminis ſe reconciliare. Sapiens uir cunctam mulierem reſpuit, ſtultus uerò concupiſcit eam, miſerabiliterq; decipitur ab ea. Cauete filioli mei fœminarum ſpecies, per quas mors ingreditur, & non parua pernicies. Dilectio enim fortis eſt ut mors, ea enim comparatur igni. Charitas omnia ſuffert. Perfecta charitas foras mittit timorem. De timore Domini naſcitur dilectio, ſicut Apoſtolus ait: Si linguis hominum loquar, & angelorum, & ſi nouerim myſteria omnia, & omnem ſcientiam, & ſi habuero omnem fidem, ita ut montes transferam: & ſi diſtribuero in cibos pauperum omnes facultates meas, & ſi tradidero corpus meum ita ut ardeam, charitatẽ autem non habeam, nihil mihi prodeſt. Quamuis corpore quis & ſpiritu uirgo ſit, ſi manibus, aut oculis, aut auribus, aut lingua peccet, quomodo ſanctus dicendus eſt corpore? Neq; enim tibi ſufficit à malis ocioſum eſſe, ſi ocioſus fueris à bonis. Noli attendere in faciem mulieris, ne te ſcandalizet uultus eius. Nunquid alligauit quis ignem in ſinu ſuo, & ueſtimenta eius non ardeãt: aut ambulare ſuper prunas poteſt, & non comburentur plantæ eius? hoc enim Salomon de familiaritate mulierum dixit. Contemnenda eſt auaritia, quæ nobis ideo iniqua lucra procurat, ut nos ſuos faciat: noſtri enim eſſemus, ſi illa noſtra non eſſet. Contemnenda eſt, inquam, auaritia, quæ uelut ignis, quanto plus accipit, tanto amplius quærit. Auarus enim inferno ſimilis eſt, quia infernus nunquam dicit, Sufficit: ita auarus nunquam ſatiabitur auro. Sacerdos ergo, ſi prædicationis eſt neſcius, quã clamoris uocem daturus eſt præco mutus? Nõ plus ſapere, quàm oportet ſapere ad ſobrietatẽ. Secularia igitur iudicia ſi habueritis, cõtemptibiles qui ſunt in eccleſia, illos cõſtituite ad iudicandum: ut ipſi uidelicet diſpenſationibus terrenis inſeruiant, quos dona ſpiritalia non exornant. Si quis præoccupatus fuerit in aliquo delicto, uos qui ſpirituales eſtis, inſtruite huiuſmodi in ſpiritu manſuetudinis, conſiderans teipſum, ne & tu tenteris.

Amicum ſecretò admone, & palàm lauda. Citò per aduerſa fraudulentus patet amicus. nam in proſperitate incerta eſt amicitia: ſæpè per ſimulationem amicitia colitur, ut qui non potuit apertè decipere, decipiat fraudulenter. Amicitia certa nulla ui excluditur, nullo tẽpore aboletur: ubicunq; ſe uerterit tempus, illa firmata eſt. Rari ſunt qui uſque in finem exiſtant chari. Nam multos à charitate aut aduerſitas temporis, aut contentio quælibet actionis auertet: ſæpè etiam per honorem quorundam mutantur & mores: & quos antè glutinatos charitate habuerunt, poſtquam ad culmen honoris ueniunt, amicos habere deſpiciunt. Memento quod dictum eſt, Melius eſt amicos probatos bene ſeruare, quàm frequenter ignotos quærere, & notos amittere. Stultus ſi tacuerit, ſapiens putabitur. Laudet te os alienũ, & non tuũ. Omnis piger propheta eſt. Ne dicas amico tuo, Vade, & reuertere, cras dabo tibi: cũ ſatis poſſis dare. Occaſiones quærit, qui uult recedere ab amico ſuo. Os iuſti, uena uitæ. Stultitia colligata eſt in corde pueri, & uirga diſciplinæ fugabit eam. Inficiuntur enim membrana colore purpureo, aurum luceſcit literis, gemmis ueſtiuntur codices, & eorum Chriſtus ante fores morietur. Qui amat uina, non execratur crateras: qui nucleos, non putamina: qui ſegetes, nõ boues: qui lac, non uaccas: qui Deum, non proximum: & qui amat ſcientiam, non abhorreat à grammatica, ſine qua nemo eruditus aut ſapiẽs eſſe poterit. Qua cauſa ſcribitur, In die illa magna tribulationis nemo liberabitur, niſi Noe, Daniel & Iob. In his tribus ſanctis tria genera hominum ſignificari uidentur, quæ liberanda in die tribulationis à periculis promittuntur. In Noe, gubernatores eccleſiæ præfigurantur: in Daniele, ſancti continentiam ſectantes: in Iob, coniugati & iuſtitiam diligentes.





Adam uixit annos quindecim in paradiſo, Eua quatuordecim: alij dicunt ſeptem, ſine uxore quadraginta dies. Die ſexto mãducauit Adam de ligno ſcientiæ boni & mali, decimoquinto anno ætatis ſuæ. Tria uaſa ſunt linguarũ: Ebræum, Græcum, Latinum. Tres enim hæ linguę in titulo crucis Chriſti conſecratæ ſunt. Prima Ebræa propter legem, ſecunda Gręca propter ſapientiam Græcorum, tertia Latina propter regnum Romanorum: & ideo hæ tres linguæ primatum in omnibus linguis obtinent: nam erat ſcriptum Ebraicè, Græcè, Latinè, Ieſus Nazarenus rex Iudæorum. Prima die ſeptem opera fecit: id eſt, materiam informem, angelos, lucem, cœlos ſuperiores, terram, aquam atq; aerem: ſecunda die firmamentum ſolum, tertia die quatuor: maria, ſemina, ſationes atq; plantas. Quarta die tria: ſolem, lunam & ſtellas. Quinta die tria: piſces aquarũ, reptilia & uolatilia. Sexta die quatuor: beſtias, pecudes, reptilia terræ, & hominẽ. Et facta ſunt omnia uiginti duæ generationes in diebus ſex: & uiginti duę generationes ſunt ab Adam uſq; ad Iacob, ex cuius ſemine naſcũtur omnes gentes Iſrael, & uiginti duo libri ueteris Teſtamẽti uſq; ad Eſther: & uiginti duo literarum ſunt elementa, quibus conſtat diuinæ legis doctrina.

*Virtutes magnas de uiribus adfero paruis:*
*Pando domus clauſas, iterum recludo patentes:*
*Seruo domum domino, ſed rurſus ſeruor ab ipſo.*
*Eſt domus in terris clara quæ uoce reſultat:*
*Ipſa domus reſonat tacitus, ſed non ſonat hoſpes:*
*Ambo tamen currunt, hoſpes ſimul & domus unà.*
*Vnda fui quondam, quòd me citò credo futuram,*
*Nunc rigidi cœli duris connexa cátenis:*
*Nec calcata pati poſſum, nec nuda teneri.*
*Cernere me nulli poſſunt, nec prendere palmis,*
*Argutum crepitum uocis citò pando per orbem,*
*Viribus horriſonis ualeo confringere quercus.*
*Nam ſuperos ego pulſo polos, & rura peragro.*
*Crede mihi, res nulla manet ſine me moderante,*
*Et frontem faciemq; meam lux nulla uidebit.*
*Quis neſcit ditione mea conuexa rotari*
*Alta poli, ſoliſq; iubar, lunæq; meatus.*
*En ego non uereor rigidi diſcrimina ferri,*
*Flammarum neu torre cremor: ſed ſanguine capri*
*Virtus edomiti molleſcit dura rigoris.*
*Sic cruor exuperat, quem ferrea maſſa paueſcit.*

Primus baptizauit Moſes in nube & in mari, & in typo, & in figura. Habuit enim mare formam baptiſmi, nubes uerò ſpiritus ſancti, manna panis uitæ. Chriſtus nanq; in ſpiritu ſancto baptizauit. Vidi unum hoſpitem ſtantem ſuper pedẽ, corpus eius de terra, ſanguis eius de ceruiſia. Memento ſemper quòd paradiſi colonum mulier de poſſeſsione ſua iecit. Tres ſunt filiæ mentis: fides, ſpes, charitas. Ab Adam uſq; ad Chriſtum tria iſta latuerunt dæmones: quod Chriſtus ex uirgine natus, paſſus in cruce, ſepultus in terra, uel qui deſcẽdit ad inferos. Tribus locis in Euangelio legitur Dominum iratum nocuiſſe corporaliter. Prima uice totũ gregẽ miſit in mare, ſecũda uice ficulneam maledixit, tertia uice quòd eiecit uendentes & ementes è templo. Quis primus dixit Alleluia, aut in quo loco, uel pro qua re dictum eſt? Inter Thabor & Hermon dictum eſt. Dauid propheta dixit Alleluia, hoc eſt, laus Dei. Auguſtinus dixit, Alle, ſeculum: lu, me fac: ia, Domine. Hieronymus dixit Alle, lau: lu, date: ia, Dominum. Gregorius Alle, pater: lu, filius: ia, ſpiritus ſanctus. Ambroſius dixit, Alle, lux: lu, uita: ia, ſalus ſummi Dei. Sobrietas ſeruat memoriam, acuit ſenſum, ſincerat mentem, dirigit uultum, integrat pudorem, mitigat uitia, figurat aciem: elinit aures, exonerat cerebrum, exprimit linguam, explicat ſermonem, nutrit medullam, confirmat ſanguinem, procurat uenas, cõſtringit neruos, contemnit libidinem, recreat ſomnum, propagat ſenectutem, perhibet myſteriũ, & hominem conſtabilit.

Ebrietas eſt imbecillitas prima, obuoluit memoriam, euacuat ſenſum, negligit mentem, confundit intellectum, concitat libidinem, inuoluit linguam, impedit ſermonem, corrumpit ſanguinem, obtundit uiſum, perturbat uenas, obturat auditũ, infirmat neruos, ſubuertit ſenſum, reſoluit uiſcera, onerat cerebrum, debilitat memoriam, aufert fortitudinẽ, flagitat ſomnum, impedit mẽſtrua, obturat animum, maculat corpus, & hominem ſuo uitio coinquinat, & ſine honore facit.

Omne uitæ huius tribulationes aquis cõparãtur prætereũtibus: propterea quia ſi quid tribulationis in hac uita acceſſerit, non ſtat, ſed celeriter tranſit:

*Laus uera in Dominum depromitur ore precantis,*
*Si quæ uoce fluunt, intima cordis habent.*

De occultis cordis alieni timere, iudicare peccatum eſt:

*Ex operum ſpecie clarebunt intima mentis,*
*Quis ue hominis mentem ſpiritus intus alit.*
*Semper enim ſanctis supereſt quod creſcere poßint,*
*At perfectorum gloria principium eſt.*

Omnes qui in Chriſto piè uolunt uiuere, neceſſe eſt ut ab impijs atq; diſsimilibus patiãtur opprobria, illiſq; diſpliceant. Omnia uitia in malefactis tantummodo ualent, ſola ſuperbia etiam in rectè factis cauenda eſt. nam bonus tẽporalibus bonis nec extollitur, neque malis frangitur:

*Terræ autem & fœni breuiter florentis amator,*
*Seu caret optatis, ſeu fruitur, miſer eſt.*
*Magnum peccatum eſt amor immoderatus habendi.*
*Et plus quàm uitæ ſufficiat, cupiens.*

Nulla enim laus eſt contemnere, quòd adipiſci dignè non ualeas. & nos Eccleſiaſtes iubet dare partem ſeptimam, partem octauam: id eſt, credere utroq; teſtamento. Neminem beatum dicas ante mortem. hoc ideo debet: quia quandiu uiuimus, in certamine ſumus: & quandiu in certamine ſumus, nulla eſt uictoria.

*Omnis enim quicunq; Deo nil fertile nutrit,*
*Ceu ſterilis truncus lignis æquabitur uſtis.*

Iuſtus ut palma florebit.

*Frondes ſemper habent, & tanquam Libana cedrus*

*Multiplicandi ſunt, & uertice ſidera tangent.*

Nam ſunt qui ſuos errores emēdare nō poſſunt, & alios reprehendere conantur. Sicut mētiri nō poteſt, qui non loquitur: ſic peierare nō poteſt, qui iurare non appetit. Non eſt contra Dei præceptum iurare, ſed dum uſum iurandi facimus, periurij crimen incurrimus. Iſtis fomitibus quaſi quibuſdā gradibus coaleſcit omne peccatum. Cogitatio nanq; praui delectationē parit, delectatio conſenſionem, conſenſio actionem, actio conſuetudinem, conſuetudo neceſsitatem. Dum unuſquiſq; diuina illuminatione preuenitur, ſtatim moleſtijs turpium cogitationum pulſatur. Qui aut nullius aut rari conſcij ſunt delicti, aut nunquam aut rarò terroribus fatigantur nocturnis. Alta etenim quæq; debent multis audientibus contegi, & uix paucis aperiri. Cum graui enim dolore amittuntur, quæ cum magno amore habētur: minus autem carendo dolemus, quæ minus poſsidendo diligimus. Dum quiſq; donum aliquod accipit, nō appetat amplius quàm quòd meruit: ne dum alterius membri officiū arripere tētat, id quod meruit, perdat. Carnis curam ne feceritis in deſiderijs: quæ ergo in deſiderijs fieri prohibentur, procul dubio in neceſsitate conceduntur. Cum uerò linguę derogantium corrigi nequeunt, æquanimiter ſunt per omnia tolerandi. Sæpè uerò cum de uita proximorū conquerimur, mutare locum conamur, ſecretum uitæ remotioris eligere, uidelicet ignorantes, quia ſi deſit ſpiritus, non adiuuet locus. Tolerandi ſunt ergo ubiq; proximi, quia Abel fieri nō ualet, quē Cain malitia non exercet. Vides ſcripturam ſacram ſæpius de ęterno loqui, quę de præſenti ſolent intelligi. Teſtamētū ideo dicitur, quia idoneis teſtibus utrinq; præfectis ſcriptum eſt atq; ſignatum. Si talia ſunt peccata, quæ quaſi mortuum ab altari remouent, prius agenda pœnitentia eſt, ac ſic deinde hoc ſalutiferum medicamentum ſuſcipiendum. Qui enim peccare deſinit, communicare non deſinat. Coniugatis autē abſtinendum eſt à coitu plurimis diebus, orationi uacare, ac ſic deinde ad corpus Chriſti accedere. Matutina enim luce radiāte Dominus & ſaluator ab inferis reſurrexit, quando cœpit fidelibus oriri lux, quæ moriente Chriſto occiderat peccatoribus: ſiquidem & eo tempore cūctis ſpes futuræ reſurrectionis creditur. Valde neceſſarium eſt iuſtum in hac uita, & uitijs tentari, & uerberari flagello, ut dū uitijs pulſatur, de uirtutibus non ſuperbiat. Tentari autem oportet iuſtū, ſed tentatione plagę, non tentatione luxuriæ. Alij datur per ſpiritum ſermo ſapiētiæ in eodem ſpiritu: ſunt enim quidam qui per donum gratiæ & ipſa intelligunt, quæ exponi à doctoribus non audierunt: hi uidelicet ſermonem ſapientiæ perceperūt. Et ſunt quidam qui per ſemetipſos intelligere audita nequeūt, ſed ea quæ in expoſitionibus legerūt, retinēt: adq; ſcientias quas didicerunt, perueniunt. Vnde itaq; iſti niſi ſermone ſcientiæ pleni ſunt? Sicut præſciuit Deus hominem peccaturū, ita & præſciuit qualiter illum per ſuam gratiam repararet, qui ſuo arbitrio deperire potuiſſet. Mihi uiuere Chriſtus eſt, & mori lucrum. Omnipotenti in quantum ſe amore coniūxerat, qui ſibi uitam tantummodo Chriſtum, & mori lucrum eſſe deputabat. Diuinæ autem uirtutis myſteria quæ comprehendi non poſſunt, non intellectu diſcutienda ſunt, ſed fide ueneranda. Dic ergo ſi noſti gyros cœli, terræ cardines, aquarū abyſſos, ubi finiuntur, ubi ſuſpenſi ſunt? Scimus autem, quòd ex nihilo factum ſit, pendeat in nihilo. Sed ſi eſt aliquid, quod dicitur nihilum, iam nihil non eſt: ſi hoc nihil eſt nihilum, nuſquam mundi moles depēdet, nec eſt ubi ſit, quod creatum eſt ut ſit: quomodo ergo nuſquā eſt, quod nouimus quia eſt? Perpende ergo ſi uales, quomodo rubrum mare uirga diuiſum eſt, quomodo ex petræ duritia percuſsione uirgę unda emanauit, quomodo Aaronis uirga ſicca floruit, quomodo ex eius genere ueniēs uirgo cōcepit, quomodo & in partu uirgo permāſit, quomodo quatriduanus mortuus iuſsione ſuſcitatus, ligatis manibus & pedibus de ſepulchro exijt, quem poſt mortem ſolui Dominus per diſcipulos iuſsit: quomodo idem redemptor in uera carne atq; oſsibus reſurgens clauſis oſtijs ad diſcipulos intrauit: unde & in tabernaculo per legem duo altaria fieri iubentur, unum uidelicet exterius, aliud uerò interius: unum in atrio, aliud ante arcam: unum quod aere coopertum eſt, aliud quod auro ueſtitum. atqui in altari aureo cremantur carnes, & in altari aureo incenduntur etiā aromata. Quare hoc fratres chariſsimi, qđ foris cōcrematur, & carnes ſunt & aromata. Hæc quotidie uidemus: quæ duo ſunt cōpūctionis genera, cum alij adhuc per timorem plangūt, alij uerò iam ſe per amorem lamentis afficiunt. Spirituales quippe illi patres omnes in Deo trinitatem eſſe crediderunt, licet de eadem trinitate patres nunquam aperte loquuti ſunt. Eſaias nanq; audiuit angelica illa agmina in cœlo clamātia, Sanctus, ſanctus, ſanctus, Dominus Deus Zebaoth: ut enim perſonarum trinitas monſtraretur, tertiò ſanctus dicitur: ſed ut una eſſe ſubſtantia trinitatis appareat, non Domini Zebaoth, ſed Dominus Zebaoth eſſe perhibetur. Quod Dauid quoq; ſimiliter ſentiens ait, Benedicat nos Deus Deus noſter, benedicat nos Deus: qui cum tertiò dixiſſet Dominū, ut unum hunc eſſe oſtenderet, ſubdidit, Et metuant eum omnes fines terræ. Paulus quoq; loquitur, dicēs, Quoniam ex ipſo, & per ipſum, & in ipſo ſunt omnia. Ex ipſo, uidelicet ex patre: per ipſum, per filium: in ipſo autem, in ſpiritu ſancto. Cum ergo ipſum tertiò dixiſſet, adiūxit, Ipſi gloria in ſecula ſeculorum. Qui enim non dixit ipſis, ſed ipſi, dicēdo ter, ipſum diſtraxit, & perſonas: & ſubiungendo ipſi gloria, nō diuiſit ſubſtantiam. Scio humiliari, ſcio & abundare (ubiq; & in omnibus inſtitutus ſum) & ſatiari & eſurire, & abundare, & penuriam pati. Omnia poſſum in eo qui me confortat. Nunquid nam fratres ars eſt aliqua, humiliari & abundare,



undare, ſatiari & eſurire, abundare & penuriā pati: ut ꝓ magno ſe habere iſta tātus prędicator inſinuet? Ars omnino, & mira diſciplinæ ſcientia, quæ toto nobis cordis eſt anniſu diſcenda. Quem enim penuria ſua non frangit, à gratiarum actione non retrahit, in rerum temporaliū deſiderio nō accendit, ſcit humiliari: hoc enim loco Apoſtolus humiliari dicit, penuriam pati. Nam ſtatim è contrario ſubiunxit, Scio abūdare. Qui enim acceptis rebus non extollitur, qui eas ad uſum uanæ gloriæ nō intorquet, qui ſolus non poſsidet quod accipit, ſed hoc cum indigentibus miſericorditer diuidit: qui acceptis alimentis non ad ingurgitationem uentris utitur, ſed ad reparationem uirtutis: nec plus carni tribuit, quàm neceſsitas patitur, ſcit abundare. Scit ſatiari, qui alimentorum inopiam ſine murmuratione tolerat: & qui non neceſsitate uictus agit aliquid, unde anima peccati laqueum incurrat, ſcit eſurire. Quem ergo nec in abundantia ſuperbia eleuat, nec in neceſsitate cupiditas irritat, nouit abundare, nouit penuriā pati. Qui cum ſtatim ſubderet, Omnia poſſum: ne elationis uerba eſſe crederemus, adiunxit, In eo qui me confortat. Denarius autem numerus per ſemetipſum multiplicatus in centenarium ſurgit: unde rectè quippe per centenarium magna perfectio deſignatur, ſicut de electis dicitur, Omnis qui relinquit domū uel fratres, uel ſorores, aut patrē & matrem, aut filios & agros, propter nomen meum, centuplum accipiet, & uitam æternam poſsidebit. Neq; etenim ſanctus quiſq; ideo terrena deſerit, ut hæc poſsidere in hoc mundo multiplicius poſsit: qa quiſquis terreno ſtudio terram relinquit, terrā non relinquit, ſed appetit: nec qui unam uxorē deſerit, centum accepturus eſt. Sed per centenarium numerum perfectio deſignatur, poſtquam etiam uita æterna promittitur: quòd aliquis Dei nomine temporalia atq; terrena contemnit, & hic perfectionem mentis recipit, ut iam ea non appetat, quæ cōtemnit, & in ſequēti ſeculo ad æternæ uitæ gloriam peruenit. Cēties itaque recipit quod dedit, qui perfectionis ſpiritum accipiens, terrenis non indigens, etiā ſi hæc non habet. Ille enim pauper eſt, qui eget eo quod non habet. nam qui non habens, habere non appetit, diues eſt. paupertas quippe inopia mentis eſt, non in quantitate poſſeſsionis: nam cui cum paupertate bene conuenit, non eſt pauper. Languor animæ, id eſt, peccatorum infirmitas, pernicioſus eſt: de qua etiam Apoſtolus ait, Quis infirmatur, & ego non uror. nam infirmitatem carnis utilem eſſe, idē Apoſtolus approbat, dicens, Quando infirmor, tunc potens ſum. Contentioſorum ſtudium nō pro ueritate, ſed pro appetitu laudis certat. Omnes pene uirtutes corporis mutantur in ſenibus, & creſcente ſola ſapientia, decreſcunt cæteræ.

Matthæus mel, Marcus lac, Lucas uinum, Ioannes oleum, eccleſia paradiſum. Matthæus arat, Marcus ſeminat, Lucas irrigat, Ioannes incrementum dat. Matthęus homo, Marcus leo,



Lucas uitulus, Ioannes aquila. Multæ manſiones ſunt in domo patris mei pro diuerſitate laborum. Matthæus in Iudæa, Marcus Romæ, Lucas in India, Ioannes in Aſia. Sicut impoſſibile uenatori iugulare aliquod animal trans montem, ita impoſsibile eſt diabolo iugulare animas ſanctorum per orationes multas. Non te redimere poteſt aliquis poſt obitum tuum, ſi tu ipſe te redimere nō uis. Nec aliud dicat imperitus, Nō laborioſum eſt opus ſcribendi, tres digiti ſcribunt, totum corpus laborat.

## DE DVODECIM LAPIDIBVS.

CHryſolithus, quem lapidem lux & dies celat, ita ut nocte igneus ſit, in die autem pallidus. Sapphirus ſimilis gemmis, ſed non eſt ſexangulus: in mari rubro inuenitur, radijs percuſſus ſolis ardentem fulgorem ex ſe emittit. Sardius lapis purpureus colore, quem timent ſerpentes præ fulgore, ut ferunt. Asbeſtus ex ipſo ſole ſanguineo colore tingitur, quem accēſum dicunt extingui non poſſe. Hyacinthus, quem ferunt quòd ſentiat auras & ſerenitas tempeſtatum. Carbunculus colore ruſeo, quem oculi amant: à longè ſplendorem ſpirat, & propè non uidetur. Cerdamios, qui habet fulgorem ſub diuo. nam in domo ceruleo colore eſt. Chryſopraſus ex auro & purpura ceu mixtam lucem trahens, quem amant aquilę. Beryllus, nube aurea tegitur: & ſex angulos habet, tenentem manu adurere dicitur. Smaragdus, quem colore purpureo, hyacintho ſimilem poteſtate eſſe dicūt, & ex eo lunares motus excitari putant. Sardonyx uilis lapis, nigri coloris eſt, aquis profundis alitur. Achates lapis micans guttis aureis, reſiſtens ſcorpionibus: quiq; intra os receptus ſitim ſedat.

## DE LVMINARIBVS ECCLESIAE.

VIs nunc acriter mi frater Deſideri, ut tibi quaſi de luminaribus firmamenti, quę toto mundo refulgēt, pauca de ſcriptoribus, qui nobis multa de obſcuritatibus, quæ propter carnalem mentem intelligentiā impediunt, ad ſplēdorem conſiderationis ſpiritalem proferre potuerunt, manifeſtiſsimè dicam? At uereor Suſannę Helciæ filiæ in me ſententia iniquo iudicio presbyterorum dicentis, ne impleatur, Anguſtię mihi ſunt undiq;: & mihi ſimiliter ſunt anguſtiæ. Si enim uoluero aliquem ex his reprehendere, aduerſarios atq; inimicitias mihi ubiq; concitabo: ſi autem noluero quod poſtulaſti, nūquam fnuenies: ſed unius tamen uoluntatem cōdemnare, quàm multorum concilium trāſire uel deſpicere melius eſſe uidetur. Quia unuſquiſq; in ſcripturis ſanctis diligēter laudari meruit: ſed omnes leniter leuiterq; cum omni amore tangam, ut utrunq; pacificè impleam.

Auguſtinus epiſcopus uolans, per mōtium

culmina quaſi aquila, ea quæ in montium radicibus ſiunt, non conſiderans, multa cœlorum ſpacia terrarumq; ſitus, & aquarum circulum claro ſermone pronũciat. Qui enim in lignum fructuoſum conſcendere uult, paulatim ad ſuperiora, & ibi maiora poma carpere feſtinat, ramos is proximos paruulis relinquit: nos autem paruuli ſumus infirmiq; ac minores, ſi inferiora congregare ualuerimus, nobiſcũ bene agitur.

Hilarius epiſcopus Romanorum, lucifer eccleſiarũ, quæ lucerna & precioſus lapis, ad quẽ mortalia aſcendunt, pulchro ſermone aureoq; ore uniuerſa loquitur. Si enim aliqua ſecus uiã cecidiſſe potuiſſent, tamen ab eo in ſcripturis meſsis magna exorta eſt.

Origenes Adamantius altiora ac maiora cogitans, propriumq; ingenium non ſufficiens, aliud per aliud ſubnectit: & cum hęc nimio mẽtis ardore cogitaſſet, oneribus maioribus carricabat ſe: & cum ſic incedere non potuiſſet, ruina magna illuc deuolutus eſt, & ruina eius par fuit doctrinæ: & quæ per aliquas ſeductiones ineptas multos de uia recta in aliam uiam perduxit, & uenenum eius quaſi tinnulis uocibus Syrenarum, quæ canticis pluribus nocere potuit: melior omnibus in bonis, peior in malis. Alia enim huius dogmata pulchra & utilia, alia uerò ſecus uiam ſeminata ſunt: multi tamen alij eius peſsimi diſcipuli multa uenenoſa ſub nomine huius edidiſſe uidentur.

Euſebius Cæſarienſis, clauis ſcripturarum, cuſtosq; noui teſtamenti multis maior in conſcriptione eſſe à Græcis commendatur. Tria ſunt præclara quæ hoc in operibus eius uerè teſtãtur: Canones quatuor Euãgeliorum, & decẽ hiſtoriæ Eccleſiaſticæ, quæ nouum Teſtamentum narrant atq; cuſtodiũt: & chronicon, id eſt temporum breuiarium, & per omnia eius ueſtigia, quod iterare potuiſſet, nunquã reperimus.

Heliodorus pater domum ampliſsimam per modicum foramen reſpiciens, tentãs quæ oſtia concluſa: clauemq; non habens, uix pauca in lucem prodere ualuit: ſed quę potuit narrare, fideliter narrauit.

Ambroſius frater profundorum, pinnæ raptus & aeris uolucer, quamdiu in profundum ingreditur, fructum de alto capere uidetur, & omnes eius ſententiæ fidei & eccleſię & omniũ uirtutum firmæ ſunt columnæ.

Dardanus quoq; multas quæſtiones arripiens, per mentis aſtutiam, nucemq; citra nucleũ non confringens, multa impoſsibilia in ſcripturis cum fiducia loquitur.

Paulino uiſum eſt magiſter fieri, & non erat ante diſcipulus, & fructum ſine radice oriri exiſtimat, facereq; tentauit. Ideo eius conſcriptiones ſcriptore & charta non indigent.

Pelagius apud fideles ſermo eſt, de quo etiã & mihi grauis cauſa deputationes uerborũ penè in toto orbe annunciata eſt, quæ omnes eccleſiæ quaſi lupum de ſylua declinarent, aureũ colorẽ ſuper nigrũ uenenũ cõponẽs, fontẽ dulcẽ primi mellis amaritudini malitiæ cõmiſcuit.

Iouinianus læta facie, & corde aſpero, potu dulciſsimo felle commixto, multos potauit, cõtrarias ſentẽtias per odij occaſionem Chriſtianis proferens compoſuit: & Hieronymũ quoq; maximè in omnibus laborioſum aſsiduè quæſtionibus infinitis afficit & uexat.

Iulius Africanus, cuius ueſtigiũ omnes Auſtrales orientales diligenter unanimiterq; in Danielis hebdomadibus inueſtigant, uniuerſa temporum ſpacia cum omni peritia rigidoq; ſermone conſtruxit, & nulla omnium quæ ſcripta ſunt per eum, in toto orbe unquam data eſt contradictio.

Famonius à multis culpabilis dura ſentẽtia, fortiterq; uniuerſa difficilia in genere conatus eſt: & quaſi tunc undas maris nauigare non poteſt, uel tunc impetum torrentis natare non poteſt: ita cuncta quæ ſcripſit cõtra ſcripturas ſanctas conſtare non poterant. Ita quaſi umbra ſecus hominem ſunt.

## DE SEPTEM DONIS SPIRITVS SANCTI.

SEptem dona ſpiritus ſancti, quæ enumerat Eſaias. Spiritus ſapientiæ, quæ fuit cum Adam, qui primus prophetauit, & nomẽ omnis creaturæ nominauit, quæ eſt ſub cœlo. Spiritus intellectus, qui fuit cũ Noë, q intellexit bonũ facere, uſquequo meruit audire uerbum Dñi, Fac arcam de lignis. Spiritus conſilij, qui fuit cum Abraham, qui nihil fecit pręter conſilium, quod dedit Dominus, Exi de terra tua, & de cognatione tua, & de domo patris tui, & ueni in terram quã tibi demõſtrauero. Spiritus fortitudinis, qui fuit cum Iſaac, qui ſuſtinuit iniurias gentium, cum quibus habitauit: qui ſcit quod dictũ eſt Abrahæ, Tibi dabo terrã hanc. Spiritus ſciẽtiæ, qui fuit cũ Iacob, cui apparuit Deus in uiſione, in loco qui dicitur Bethel, quãdo fuit apud Laban: & apparuit ei, quando reuerſus à Laban, & congreſſus eſt cum illo Deus, & dein de Iſrael uocatus eſt. Spiritus pietatis, qui fuit cum Moyſe, qui dixit, Si non dimittis populo huic peccatum hoc, dele me de libro tuo, quem ſcripſiſti. Spiritus timoris, qui fuit cum Dauid qui dixit, Non contingat mihi, ut mittã manũ meã in Chriſtũ dominũ, cũ perſecutus eſt Saul.

## DE SEPTEM ORDINIBVS.

CLeros ſors, id eſt, pars dicitur. Inde dicitur clericus, quia pars Domini eſt, uel Dominus pars eius. Caput noſtrum mentẽ ſignificat. Capilli cogitationes. Superior pars capitis raſa, mentem Dominũ contemplãtem ſignificat. Superiorem partem radimus, cum temporalẽ cogitationem ab animo reſecamus: inferiorem in corona æquamus, cum tẽporalia neceſſariò cogitantes, cõcorditer cũ corona diſponimus. Capilli oculis uel auribus non ſupercreſcant: id eſt, cogitationes temporales auditum uel uiſum



ſum mẽtis nõ impediant. Non multũ eſt curandum, actores cõſuetudinem nos exquirere, ſed poſſumus cõſuetudines ex corona miniſtrare. Hoſtiarij in ueteri Teſtamento ianuas templi cuſtodiebant, ſuſcipientes ſanos, eijcientes infirmos. Modò in eccleſiam recipiunt fideles, eijciunt infideles. Lectores in ueteri Teſtamento apertè & diſtinctè docebãt populũ uerba legis: modò ſpiritualiter lectores ſunt, q de moribus tractãt. Exorciſta, id eſt, adiurator in ueteri Teſtamento, habebat poteſtatẽ imponẽdi manus, expellere dæmonẽ ab homine, modò uicia per orationem debet effugare ab anima. Acoluthi & ceroferarij, in ueteri Teſtamento lumen præparabant: modò in eccleſia lumen ueritatis debent præparare mentibus fidelium. Subdiaconi, ſicut in ueteri Teſtamẽto, ita nunc oblationes à presbyteris ſuſcipiunt in domo Domini, & ipſa uaſa corporis & ſanguinis Domini diaconis offerunt. Diaconus ſuper altare ponit, & inde recipit. Leuitæ in ueteri Teſtamẽto excubabant cuſtodientes uniuerſa, quæ pertinebant ad cultum tabernaculi, ſeruientes in miniſterio: in nouo Teſtamento prouidebant uniuerſa, quæ neceſſaria erant multitudini, cor unum & animam unam habenti. Igitur modò cuſtodientes miniſterium ſibi commiſſum, quæcunq; neceſſaria ſunt ad cœleſte conuiuium, diſponunt ſuper menſam Domini, & ſignant manu. Per manus & diſcretiones digitorũ, diſcreta opera ſpiritus ſancti ſignificantur. Ipſi exordium ſumpſerunt ab ipſo Aaron: qui tunc ſacerdotes, nunc presbyteri nominantur: qui tũc principes ſacerdotum, nunc epiſcopi nuncupãtur. Presbyteri conſortes ſunt cum epiſcopis in pluribus, in paucis uerò diſsimiles. Baculum habet epiſcopus, ut ſubditos regat, infirmos ſuſtineat: annulum, ut ſacramenta Dei non omnibus aperiat. Primum ueſtimẽtum habet ephod lineum, quod interpretatur ſuperhumerale, ſignificans uocis cuſtodiam, & mundiciam bonorum operum, ſub quibus oportet unumquẽque ordinari ad miniſterium Dei, ut ex his cordis eius, & fidei ſinceritas comprobetur. Secundum eſt tunica linea, quæ Græcè poderis, Latinè talaris dicitur, eo quòd uſq; ad talos deſcendat. Hanc Ioſephus byſsinam uocat. Conſtat uerò ex byſſo & lino, & ſignificat continentiam. Vnde & alibi dicit, Eſtote fideles uſq; ad mortem. Tertium eſt cingulum, ne tunica ipſa defluat, & greſſum impediat. Hoc nimirum cuſtodiam ſignificat, quæ neceſſaria eſt ſacerdoti: ne caſtitas per tunicam ſignificata, fiat remiſſa, & uento elationis, & frigore iniquitatis patefacta, curſum bonorum impediat, & ad ultimum ſordibus concupiſcẽtiæ polluta uileſcat. Quartum eſt mappula, id eſt, amapha, quæ ut nomen ipſius indicat, manibus tergendis præbebatur. Oportebat ſacerdotem mappulas tenere manibus, ut cum emendatione mentis opus ſpontaneum concordet, & dignè exerceatur officiũ, quod piè eſt diuino munere collatum. Vel ſudarium dicitur, unde tergitur ſudor, & omne ſuperfluum corporis, in ſiniſtra portetur parte. Significat autem ſtudium mũdanæ cogitationis, quo in hac uita delectationes, tædia, & alia ſuperflua mentis extinguimus. Quintum eſt orarium, quod quidam ſtolam uocant, quod eſt cõceſſum. Bene etiam orationibus conuenit orarium, conueniens ueſtimentum officio. Apertè etenim collum ſimul & pectus tegit ſacerdotis, ut ſpiritu ipſius fruatur, quicquid ore proferat, tractatũ ſummę rationis attẽdat, ut pſallens ſpiritu pſallat & mente: quia cor ſapientis erudiet os eius, ne improuiſe loquatur. Sextum eſt Dalmatica, à prouincia Grecię dicta, id eſt, Dalmatia, ipſa habet duas lineas retrò, & duas antè: qa uetus & nouum Teſtamentum rutilãt dilectione Dei & proximi: hoc eſt, immaculatum eſſe ad Dominũ, fratrem uiſitare, pertinet ad proximũ. Triginta fimbrias habet retrò, quadraginta antè. Singulæ lineæ altrinſecus quindecim, quòd linea charitatis, in ueteri Teſtamento & nouo in proſperis & aduerſis quindecim ex ſe ramos producit: quia charitas ex Deo eſt, paciens eſt, benigna eſt, non æmulatur, non agit perperam, non inflatur, non eſt ambitioſa, non quærit quæ ſua non ſunt, non irritatur, non cogitat malum, non gaudet ſuper iniquitatem, cõgaudet autẽ ueritati: omnia credit, omnia ſuffert, omnia ſperat, omnia ſuſtinet. Siniſtra pars habet fimbrias, quia actualis uita ſolicita eſt, & turbatur erga plurima. Dextera non habet: cõtemplatiua uita quieta eſt. Largitas manicarũ, largum diſpenſatorem Euangelij ſignificat. Caſula circundatus aliquando Euangelium legit diaconus, ut expeditus ad Euangelium poſsit accedere, uel menſam Domini præparare. Caſula aperta eſt in dextera parte, unde emittitur brachium: quia auctor Euangelij, quem debet diaconus imitari, in dextro latere lancea perfoſſus eſt. Septimum eſt, quod caſulam uocant, hanc Græci planetam dicũt: quia ſuprema omnium ueſtimentorum, & ſuo munimine alia tegit. Hanc ergo ueſtem poſſumus intelligere caritatem, de qua enumeratis uirtutum ueſtimẽtis Apoſtolus ait, Super autem omnia hæc charitatem habentes, quod eſt uinculum perfectionis. Similiter caſula opera iuſtitiæ ſignificat, ut illud, Sacerdotes tui induãtur iuſtitia. Suppar eſt poſt tergum, inter humeros & ante pectus. Poſt humerum pondus boni operis ſignificat, ubi duplex ueſtimentum: quia ſic bona opera debent foris oſtendi, ut intus coram Deo integra ſint in pectore. Duplex, quia in eis utrunq; debet eſſe doctrina ad homines, & ueritas interius. Oportet duo duplicia coniuncta ſint, quia tunc bene miniſtratur, cum bonum opus, & uera doctrina conueniunt. Induant quoq; ſacerdotes pedes ſandalijs, Euangelica auctoritate cõceſſum: quo calceamẽto nec pes tectus eſt, nec nudus ad terram: dans intelligi, ut nec Euangelium occultetur, nec terrenis commodis innitatur: & partim Euãgeliũ debet operiri, partim manifeſtari, ut fideles inueniant doctrinam, & contẽptores nõ inueniãt materiã blaſphemãdi.

### DE QVINDECIM SIGNIS.

QVindecim ſigna, quindecim dierum ante diem iudicij, inuenit Hieronymus in annalibus Hebræorum. Prima die eriget ſe mare in altum quadraginta cubitis, ſuper altitudines montium, & erit quaſi murus, & omnes ſimiliter. Secunda die deſcendent uſq; ad ima, ita ut ſummitas eorum uix conſpici poſsit. Tertia die erunt in æqualitate, ſicut ab exordio. Quarta die piſces & omnes beluæ marinæ, & congregabuntur ſuper aquas, & dabunt uoces & gemitus, quarũ ſignificationẽ nemo ſcit niſi Deus. Quinta die ardebunt ipſæ aquæ ab ortu ſuo uſq; ad occaſum. Sexta die omnes herbæ, & arbores ſanguineum rorem dabũt. Septima die omnia ædificia deſtruentur. Octaua die debellabunt petræ adinuicem, & unaquæq; in tres partes ſe diuidet, & unaquæq; pars collidet aduerſus alteram. Nona die erit terræmotus, qualis non fuit ab initio mũdi. Decima die omnes colles & ualles in planiciẽ conuertentur, & erit equalitas terræ. Vndecima die homines exibũt de cauernis ſuis, & current quaſi amentes, nec poterit alter reſpondere alteri. Duodecima die cadẽt ſtellæ & ſigna de cœlo. Decimatertia die congregabuntur oſſa defunctorum, & exurgẽt uſq; ad ſepulchrum. Decimaquarta die omnes homines morientur, ut ſimul reſurgant cũ mortuis. Decimaquinta die ardebit terra uſq; ad inferni nouiſsima, & poſt erit dies iudicij.

### DE CRVCE DOMINI.

CRux Domini de quatuor lignis facta eſt, quæ uocantur cypreſſus, cedrus, pinus, & buxus. Sed buxus non fuit in cruce, niſi tabula de illo ligno ſupra frontem Chriſti fuit, in qua conſcripſerunt Iudæi titulũ, Hic eſt rex Iudæorum. Cypreſſus fuit in terra uſq; ad tabulam, cedrus in tranſuerſum, pinus ſurſum. Septem ſunt gradus, in quibus Chriſtus affuit. Oſtiarius fuit, quando deſtruxit oſtia inferni, & ligauit diabolum: lector fuit, quando aperuit librum Iſaiæ prophetæ, in quo inuenit, Spiritus Domini ſuper me, euãgelizare pauperibus miſit me: exorciſta fuit, quando eiecit ſeptem dæmonia de Maria Magdalene: acoluthus fuit, &c. ſubdiaconus fuit, quando lauit pedes diſcipulorũ ſuorum: diaconus fuit, quando fecit de aqua uinum: presbyter fuit, quando fregit panem diſcipulis ſuis, dicens, Accipite & comedite, hoc eſt corpus meum.

### DE SEPTEM PECCATIS.

HAec ſunt peccata Adæ, quæ & originalia ſunt. Primum peccatum fuit ſuperbia, quia dilexit eam in ſua poteſtate pluſquam Dei: ſecundum ſacrilegium, quia Deo non credidit: tertium homicidium, quia ſemetipſum peccando occidit: quartum fornicationem ſpiritaliter habuit, quia integritatem mentis corrupit: quintum furtum, quia cibum prohibitum attigit: ſextum auaritia, quia pluſquam debuit, appetiuit: ſeptimum gula, quia uetitum fructum comedit. Hæc ſunt quoq; uindictæ ſeptem. Prima, maledictio eius terrę: ſecunda, eiectio de paradiſo: tertia, aduentus in terram uilem: quarta, mors filij: quinta, labor: ſexta, mors corporis: ſeptima, deſcenſio eius ad infernum: & quia ſepties peccauit, ſeptem uindictas accepit. Hęc ſunt ſeptem peccata Cain. De ſeptem peccatis Cain alij uaria ſuſpicantur: & primum aſſerunt fuiſſe peccatum, quòd non rectè diuiſerit: ſecũdum, quòd inuiderit fratri ſuo: tertium, quòd dixerit, Egrediamur foras: quartum, quòd interfecerit eum: quintum, quòd procaciter negauerit, Neſcio: ſextum, quòd ſe ipſum damnauerit, Maior eſt iniquitas mea, quàm ut ueniã merear: ſeptimum, quòd nec damnatus egerit pœnitentiam. Sex ſunt ætates mundi: prima ab Adam uſq; ad Noë: ſecũda, à Noë uſq; ad Abraham: tertia, ab Abraham uſq; ad Moyſem: quarta, à Moyſe uſq; ad Dauid: quinta à Dauid uſq; ad Ioannem baptiſtam, & aduentum Domini: ſexta, à reſurrectione Domini uſq; ad finem ſeculi. & ſic tradunt ſeniores, quòd ſex milia annis mundus à Deo omnipotẽti cenſitus fuiſſet. Sex ætates hominis ſunt. Prima infantia, ſeptẽ annos tenet: ſecunda pueritia, alios ſeptem annos tenet: tertia adoleſcentia, quæ quatuordecim annos tenet: quarta iuuentus, quæ uiginti unum annũ tenet: quinta ſenectus, quæ uiginti octo annos tenet: ſexta dicitur ſenium, ultima ætas, uel decrepitus, quæ nullum certum tenet numerum annorum.

### DE QVATVOR ORDINIBVS.

CEciderunt columnæ ſuſtinentes aulam, & ideo obruitur aula. Dominus noſter Ieſus Chriſtus fecit unam aulam, id eſt, mundum: & hanc aulam fecit de quatuor rebus, id eſt, de quatuor elementis, quę ſunt, ignis, aër, terra, aqua: & in hac aula fecit quatuor angulos, id eſt, quatuor partes mundi, orientem, meridiem, occidentem, & ſeptentrionem. Ad iſtam aulam ſuſtinendam conſtituit Dominus quatuor columnas, quæ ſuſtinuerunt aulam illam, id eſt, quatuor ordines hominum: ſcilicet oratores, defenſores, mercatores, laboratores. Oratores autem conſtituit Dominus in mundo ad hoc, ut pro alijs ordinibus orarent, & lucerent eis per noctem, qui ſunt in tenebris ignorãtiæ, hoc eſt in peccato, & illos ad lumen reducerẽt, bonum eis exemplum monſtrando, & bonã prędicationem. Ipſi uerò nec bene uiuunt, nec docẽt, ſed ſuo malo exemplo populum Dei occidunt. de



de his dicitur, Stellæ non luxerũt, & ideo de cœlo ceciderunt, & ſic cecidit iſta columna. Defenſores, id eſt milites cõſtituit ad hoc, ut alios tres ordines defenderẽt: ipſi uerò cũ debuiſſent defendere, facti ſunt raptores de rapina: & inde ſe ueſtiunt, & inde putãt facere eleemoſynas, quæ nihil proſunt eis. & de his dicitur, Defecerũt in uanitate dies eorum, & anni eorũ cum feſtinatione, & ideo ira Dei aſcendit ſuper eos, & ſic cecidit iſta columna. Mercatores conſtituit, ut alios tres ordines ab inopia defenderent, ut de orientali abundantia replerent occidentalem inopiam: & è contrario, de meridionali abundãtia replerent ſeptentrionalem inopiam: ipſi uerò populum derident, quia fraudibus & periurijs omne quod habent, lucrantur. de his dicitur, Qui confidunt in uirtute ſua, & in multitudine diuitiarum ſuarum gloriantur, omnes in inferno ponentur, & ibi mors depaſcet eos: & ſic cecidit iſta columna. Laboratores conſtituit, ut de labore eorum alij tres ordines paſcerentur. Iſti uerò faciunt bene hoc, ad quod conſtituti ſunt. ſicut dicitur in Pſalmo, Labores manuum tuarum, &c. quem qui manducant, beati ſunt. Sed ipſi cũ ſic poſſent uiuere iuſtè, de proprio labore & ſudore, & inde populum Dei paſcere, & ſic ſuſtinere aulam, ne omnino caderet, & ſic peruenirent ad regnum Dei: ipſi uerò deuiando cadunt, quia in primis auferunt Domino ſuo Ieſu Chriſto & patri, & ſuæ matri eccleſiæ, ſua iura, decimas & primitias: & eſt mirum quomodo audent quęrere panem ab eo, cui ſuũ auferunt, cum dicitur, Panem noſtrũ quotidianum da nobis hodie. Iterũ inuident uicinis ſuis de honoribus, de cãpis, de uineis: & ſi poſſunt, ſubtrahunt illi unam metam, aut mutant terminum: & ſic cadit iſta columna, & ſic perijt penè totus mũdus, niſi ille ſuccurrat, qui ipſum creauit. Fratres, quia nos non poſſumus agere hoc, & nos regem precemur, Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum, ut ipſe qui fecit & mundum, regat nos & mundum: ſic ut poſsimus peruenire ad regna cœlorum, ipſo adiuuante, qui uiuit & regnat cum patre & ſpiritu ſancto, per omnia ſecula ſeculorum, Amen.

### DE EVCHARISTIA SVMENDA.

IN miraculis Bonifacij papæ legimus, quòd Dominica die cantabat miſſam, poſt miſſam benedixit panem, & dum communicabat populum, uenit unus filius Iudęi, & introiuit in eccleſiam, & accepit panem de manu ſancti Bonifacij, & manducauit: & ſtatim cœpit ardere, & clamare, Sancte Bonifaci, feſtina me baptizare. nã panis, quem indignè accepi, me cõfundit: & uenit clamor uſq; ad Iudęos. Venit pater eius per iudicium Iudæorum, & compleuit de lignis & ſpinis unam domum, & accendit ignem, & filium ſuum intus iactauit, & cœpit ire ſanus per medias flammas, & mater aſpiciens, per flammas non potuit filium ſuum uidere: & cum magno clamore cœpiſſet uocare ſanctam Mariã, ut filium ſuum ſanaret, & iactauerunt eam Iudæi in medium ignem. Cùm hoc audiuit beatus Bonifacius, uenit indutus quaſi ad miſſam, & cũ multis Chriſtianis in ignẽ introiuit, & inde puerũ cum matre ſanos extraxit. Deprecemur Deum, ut ſic donet nobis ſuum corpus accipere, ut uitam æternam mereamur habere, per Chriſtum Dominum noſtrum, Amen.

### HYMNI DE DIE IVDICII.

A Prophetis inquiſiui de die illa iudicij, aut ſi longè aut propè eſſet: hæc ſigna dedere mihi: In tremendo die.
Beatos martyres Deus fecit, quorum paſsionẽ ſuam dedit, ut pro illo paterentur, & pro nobis interuenirent: in tremendo die.
Cum erit diſſolutio & magna tribulatio, ceſſabunt patrocinia, & erit conſummatio: in tremendo die.
Deus ab auſtro apparebit, terribilis adueniet orbem ponere in deſertum, & uindictam retribuere: in tremendo die.
Extinguetur ſol & luna, ſtellæ cadent in terrã, cœlum mouebit ſe de loco, & plicabitur ut liber: in tremendo die.
Fundamenta orbis terræ corruent cum ira grãdi, montes liqueſcent, terra inareſcet ſimul, & mare ſiccabitur: in tremendo die.
Glorioſus apparebit Chriſtus, in throno ſedebit iudicare ſuam plebem, cui legem ipſe dedit: in tremendo die.
Hoc quod dixit, adimplebit, angelus tuba cantabit, in ictu oculi cum audierunt uocem: in tremendo die.
Ibi ſtabit ſeruus malus, expectans cum uenerit Dominus eius: hora qua nõ ſperat, inquirentur acta eius: in tremendo die.
Kalumnia ſuperborum, & rapina impiorum, ibi tũ ambo occurrent cum lachrymis miſerorum: in tremendo die.
Libri dantur in medio, & erit memoratio: ab angelis recitãtur peccata noſtra initio congregata: in tremendo die.
Miſer ergo quid facio, aut quid reſpõdebo? hoc quod mihi occultũ eſt, meis auribus audiã: in tremendo die.
Non accipitur perſona, ceſſabunt ſacrificia: non ſe redimem diuites, qui congregauerũt peccata: in tremendo die.
O quales reges potentes, quibus obedierunt gentes, ibi ſtabunt ante thronum, cum magno fletu gementes: in tremendo die.
Principes ſublimiores ibi anhelabunt pro ardore, non eſt qui faciat uentum illis, neq; qui tergat ſudorem: in tremendo die.
Quàm amarus dies ille, de quo loquitur propheta, uelox nimis & timenda, peccatoribus tremenda: in tremendo die.

Rapidus patet infernus tenebroſus & horrendus, aperiet fauces ſuas nimium inſatiandas: in tremendo die.

Semper ſit ſolicitudo monente Deo noſtro, nõ grauentur corda noſtra in crapula & uino: in tremendo die.

Tanta parentur tormenta, quanta non cupit mens noſtra: ſed ipſe locus ſe demonſtrat, ubi erit fletus fruſtra: in tremendo die.

Vnicus filius iudicans orbem, Chriſtum qui non confitentur, ipſi peribunt in fine: in tremendo die.

Χριστοῦ ut compleantur uerba, eius fiant præcepta, breuiantur dies illi, erunt ut una hora: in tremendo die.

Υἱοὶ erũt dies illi, quãdo uenit Dominus in terrã, Deus tu libera nos àb illa æterna pœna: in tremendo die.

Zabulo immittẽte Eua peccauit ſerpẽte, Deus tu nos libera ab illa ira æterna: in tremendo die.

AVdax eſt uir iuuenis, dum feruet caro mobilis, audaciter agis, perpera tua membra coinquinas: attende homo quia puluis es, & in puluerem reuerteris.

Breue eſt tempus iuuenis, conſidera quòd morieris: uenitq́ dies ultimus, & perdes florem optimum: attende homo.

Carni tuæ conſentiens, animam tuam decipis, dum flecteris ad libidinẽ mali, deceptus remanes: attende homo.

Dentes tui fremitant, & labia exaſperãt, & lingua mala generat, tua uita trepidat: attende homo.

Eleuans tuos oculos, ut uanitatem uideas, flectitur mens miſera, membra ad malũ erigis: attende homo.

Feciſti malum conſilium, & offendiſti nimium, quia multum ſecutus es tumorem ad libidinem: attende homo.

Gloriam quæris in populo, laudem humanam diligis, placere Deo non cupis, qui te de cœlo reſpicit: attende homo.

Honorem tranſitorium præſumpſiſti accipere, ſed maior pœna ſequitur, cui maiora credũtur: attende homo.

In terra ſemper aſpicis, ſemper de terra cogitas, ſed hic relinques omnia, unde ſuperbus ambulas: attende homo.

Karo te traxit in foueã, uide ne malè pereas, feſtina te corrigere, antequam finis ueniat: attende homo.

Luge modò, dum tempus eſt, ne gemas in iudicio, ubi non ualet gemitus, nec ulla interceſſio: attende homo.

Modò labora fortiter, dum es in iſto corpore, emenda tuum uicium, ne gemas in perpetuum: attende homo.

Non te frangat cupiditas, nec te flectat fragilitas, & noli cum diabolo participare amplius: attende homo.

O ſi ex corde intelligas, quæ præcepta legis ſunt, ut ille qui adulterat, lapidibus ſubiaceat: attende homo.

Per Saluatorem iterum uenit magna redẽptio, ut cuncta quæ cõmittuntur, pœnitendo remittantur: attende homo.

Quare non uis iuuenis recurrere ad Dominũ: roga eius clementiam, ut donet indulgentiam: attende homo.

Rumpe cordis duritiam, mentis tui malitiam, reuertere ad Dominum, antequam finis ueniat: attende homo.

Suſcipit Chriſtus pœnitentiam, & donat indulgentiam, ab illa uera anima, quæ carnem ſuam macerat: attende homo.

Terribilis Chriſtus uenit ad iudicandum ſeculum, at ipſe reddet ſingulis ſecundum ſuam operam: attende homo.

Veniet dies iudicij, erit fortis diſtrictio, ubi nõ adiuuat pater filium, nec filius defendit patrem: attende homo.

Χριστὸς uenit cum angelis, & ipſe reddet unicuique, ſingulis ſecundum ſua opera: attende homo.

Υἱὸς adquirit gratiam, delet peccati maculas: humilitas & charitas ducit ad cœlos in patriam: attende homo.

Zelum habet bonum ac optimum qui Deum amat ac proximum, lætabitur in ſeculum, & gaudet in perpetuum: attende homo, quia de terra factus es, & in terrã reuerteris.

ORATIVNCVLAE.

REctorem mundi Chriſtũ regem ex uirgine natum, Dominum precibus peculiariter et apoſtolos rogemus. Petrus mihi apoſtolus aperiat ianuam uitæ, & Paulus prædicator gentiũ introducat in cœlũ. Andreas uirtutem tribuat ante tribunal Chriſti. Iacobus atro proſtrato agmine, angelorum me ſinibus tradat. Iohannes cum gratia me potet ab omnipotentis pectore. Philippus me lampadibus ornatũ, lætum ad regem perducat. Thomas mihi organorũ laudibus in æuum cantet triumphalia merita. Bartholomæus me mellifluis mandet alloquijs, ubi angelorũ amator agmina delectat ſecum. Iacobus mihi Alphæus auream reddat coronam, uarijsq́ floribus gemmarũ in fulgido ſplendeſcat lumine. Simõ mihi monilia tribuat zelotes ſancta, unde angelica celſitudo admirabilis uidebitur omnibus. Iudas me cõfeſsis uocib. ad ineffabilem patientiam uehat, ubi trinitas diuina ternis adoratur uocibus: patrem & filium, & ſpiritum uno ore omnes collaudant Dominum.

ALIA ORATIO.

O Ieſu Nazarene, fili Mariæ, reus tibi ſum regũ regi, cuius regnũ eſt ſine fine. Deus Domine meus, tibi ſum reus mortis, eſto mihi nũc patiens, qui es fortis & potens. Adiuro Dominum uerum, unum ſemper & trinum, ut adire tantum poſsim ſanctum Martinum. Rogo nũc regem regum, qui eſt lumen diuinum, ut ualeã ſanctũ uiſitare Martinum. Chriſte Deus deorũ, cuius



cuius eſt numen mirum, fac me lugere ſanum, iuxta ſanctum Martinum. Viam dirige planè ò Ieſu Nazarene, ut ualeam purè, ibi peccata flere. Mihi adiutorium erit per naufragium, Chriſti militis miri ſuffragium Martini. Volo te uiſitare, fac me ad te uenire, qui es uirtutis tantæ ò mi ſancte Martine. O ſancte Martine, nunc intercede quæſo pro me dolente, malè labe culparum preſſo. O mi ſancte Martine, pro me nunc intercede, ne me cõtingant comæ flammæ perennis pœnæ. O mi ſancte Martine, turbæ cœlorum chare, ne ſim particeps pœnæ, mihi auxiliare. O ſancte Martine, mihi auxiliare, ut fruar in fine uitæ perenni pane. Gloria tibi pater, qui es frater & mater.

ITEM ALIA.

DOminator Dominus deus omnipotẽs, qui es trinitas una, pater in filio, & filius in patre, cũ ſpiritu ſancto, qui es ſemper in omnibus, & eras antè omnia, & eris per omnia Deus benedictus in ſecula. Commendo animam meam in manus potẽtiæ tuæ, ut cuſtodias eam diebus ac noctibus, horis atq́ momentis, miſerere mei Deus angelorum. Dirige me rex archangelorum, cuſtodi me per orationes patriarcharum, per merita prophetarum, per ſuffragia apoſtolorum, per uictorias martyrum, per fidem confeſſorum, qui placuerunt tibi ab initio mundi. Oret pro me ſanctus Abel, qui primus coronatus eſt martyrio. Oret pro me ſanctus Enoch, qui ambulauit cũ Deo, & translatus eſt à mundo. Oret pro me ſanctus Noë, quem Dominus ſeruauit in diluuio propter iuſtitiam. Roget fidelis Abraham, qui primus credidit Deo, cui reputata eſt fides ad iuſtitiam. Intercedat pro me ſanctus Iſaac, qui fuit obediẽs patri uſq́ ad mortem, in exemplum Domini noſtri Ieſu Chriſti, qui oblatus eſt Deo patri pro ſalute mundi. Poſtulet pro me felix Iacob, qui uidit angelos Dei uenientes in auxilium ſibi. Oret pro me ſanctus Moyſes, cum quo locutus eſt dominus facie ad faciem. Subueniat mihi ſanctus Dauid, quẽ elegiſti ſecundum cor tuum Domine. Deprecetur pro me ſanctus Elias propheta, quem elegiſti in curru igneo uſq́ ad cœlum. Oret pro me ſanctus Heliſeus, qui ſuſcitauit mortuum poſt mortem. Oret pro me ſanctus Eſaias, cuius labia mũdata ſunt igni cœleſti. Adſit mihi beatus Hieremias, quẽ ſanctificaſti in utero matris. Oret pro me ſanctus Ezechiel, qui uidit uiſiones mirabiles Dei. Deprecetur pro me electus Daniel, deſiderabilis Dei, qui ſoluit ſomnium regis, & interpretatus eſt, & bis liberatus eſt de lacu leonum: & tres pueri liberati ab igne: duodecim prophetæ, Oſeas, Amos, Micheas, Ioel, Abdias, Abacuc, Ionas, Nahũ Sophonias, Aggæus, Zacharias, Malachias, Eſdras. Hos omnes inuoco in auxilium meum. Adſiſtãt mihi omnes apoſtoli Dñi noſtri Ieſu Chriſti, Petrus & Paulus, Ioannes & Andreas: tres Iacobi, Philippus, Bartholomæus, Thomas & Matthæus. Barnabas & Matthias, & omnes martyres tui. Depelle à me Domine concupiſcentiã gulæ, & da mihi uirtutem abſtinentiæ: fuga à me ſpiritum fornicationis, & da mihi amorem charitatis: extingue cupiditatem, & da mihi uoluntariam paupertatem. Cohibe iracundiam meam, & accende in me nimiam ſuauitatem, & charitatẽ Dei & proximi. Abſcinde à me Domine triſtitiam ſeculi, & auge mihi gaudium ſpirituale. Depelle à me iactantiam mentis, & tribue mihi compunctionem cordis. Minue ſuperbiam meam, & perfice in me humilitatem ueram. Indignus ego ſum, & infelix homo, quis me liberabit de corpore mortis huius peccati, niſi gratia Domini noſtri Ieſu Chriſti: quia peccator ego ſum, & innumerabilia ſunt delicta mea, & non ſum dignus uocari ſeruus tuus. Suſcita in me fletum, mollifica cor meum durum & lapideum, & accende in me ignem timoris tui: quia ego ſum cinis mortuus. libera animam meã ab omnibus inſidijs inimici, & conſerua me in tua uoluntate: doce me facere uolũtatem tuam, quia Deus meus es tu, tibi honor & gloria, per omnia, &c.

ITEM ALIA.

DEus meus, & pater meus, rex meus, protector meus, munda me à peccatis meis, & ab iniquitate mea laua me Domine, & ſalua me: quoniã peccata multa feci coram te, & nõ ſum dignus uocari ſeruus tuus, propter iniquitates meas, quæ ſunt innumeræ. dimitte Domine debita mea, quia deprecor cum omni diligentia, & intimo cordis amore: ſupplico tibi Domine, immitte ueram dilectionẽ in cor meum, & amorem cœleſtem in ſenſum meum, & obumbrent me miſericordiæ tuæ Domine Deus. reuoca mihi ad memoriam agonem, ut merear uidere in regno cœleſti, ubi pater regnat cum filio & ſpiritu ſancto in ſecula ſeculorum, Amen.

ITEM ALIA.

IN nomine patris, & filij, & ſpiritus ſancti, Gabriel eſto mihi lorica, Michael eſto mihi baltheus, Raphael eſto mihi ſcutum, Vriel eſto mihi protector. Rumiel eſto mihi defenſor, Paniel eſto mihi ſanitas, & omnes ſancti ac martyres: deprecor ut iuuent me apud iuſtum iudicem, ut dimittant mihi in die iudicij peccata mea, in nomine Domini noſtri Ieſu Chriſti. Oro uos & deprecor, ut me in orationibus ueſtris dignemini habere, ut nunquã inimicus uel aduerſarius nocere poſsit. Peccaui Domine coram te, & coram angelis tuis, fac cũ ſeruo tuo miſericordiã tuã, tibi Dñe iuſtitia, tibi Dñe miſericordia. Sana me Dñe, & ſanabor, qm̃ ſalus mea tu es, & ueniat oratio mea ad templũ ſanctũ tuũ: tibi honor & gloria, per omnia ſecula ſeculorũ, Amẽ.

ITEM ALIA.

APeri mihi pulſanti ianuã uitæ, princeps tenebrarũ nõ occurrat mihi, nec ueniat mihi pes ſuperbiæ, & manus extranea à te nõ cõtingat me: ſed ſuſcipe me ſecũdũ uerbũ tuũ, & perduc me ad cõuiuiũ epularũ tuarũ, ubi epulãtur tecũ oẽs amici tui. Tu es Chriſtus filius dei uiui, qui cum patre tuo uiuis & regnas, in ſecula ſeculorum, Amen.

TERTII TOMI FINIS.